
EX LIBRIS




PAUL R. MAGOCSI



Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/brevisnotitiafun02basi



Eximus, Illmus, Rmus, Dnus, Andreas Bacsinszky Eppus Munkatsinensis
Aquisitor Abbatiæ S. S. Apost: Petri, et Pauli de Tapoltza. V.
Capituli Seminarii Unghvar, Sedis Epplis ex Op: Munkats ad
Oppid: Camer: Unghvar Translator, Annum ætatis
agens 73.

Prixner sc. Pesthini 1805.

BREVIS NOTITIA

FUNDATIONIS

THEODORI KORIATHOVITS,

OLIM

DUCIS DE MUNKACS, &c.

EXHIBENS

Statum Græco-Catholicæ Diœceſis Munkacsienſis Hierarchicum, juxta ſeriem

EPISCOPORUM

cum præcipuis eorundem, aliorumque Illuſtrium Virorum Geſtis, e variis Bullis Pontificiis, Diplomatibus, Decretisque Regiis, ac aliis Documentis authenticis potiſsimum concinnatum.

PARS QUARTA

TOMUS II.

AUTHORE

R. P. JOANNICIO BASILOVITS,

Ordinis Sancti BASILII Magni,

In Venerab. Monaſterio de Monte Csernek ad S. Nicolaum prope Oppidum Munkacs

PROTO-HEGUMENO.

CASSOVIÆ,

Typis JOANNIS JOSEPHI ELLINGER

1804.

DE

STATU HIERARCHICO

DIOECESIS MUNKACSIENSIS.

PARS IV.

CAPUT I.

§ I.

Statum Diœceſis Munkacsienſis Hierarchicum a Joanne, hujus nominis Primo Epiſcopo ad Andream æque Primum, actuque hanc Diœceſim feliciter gubernantem Præſulem Excellentiſsimum expoſui quidem, hocque Tripartitum Opus meum ſub Titulo: BREVIS NOTITIA Fundationis Theodori Koriathovits olim Ducis de Munkács &c. Anno

1799. Typis Ellingerianis Caſſoviæ in lucem edidi: quia vero Tertiam hujus Partem non Diplomatice, ut reliquas priores, ſed Synoptice ſolum, & absque Documentorum inductione ob carentiam eorundem, concinavi; ideo nunc Diplomatibus, Decretisque Regiis, Bullis item Pontificiis aliisque Documentis huic ſcopo meo ac Propoſito deſervituris, exacte jam proviſus lubens reſumo laborem, & fata tam proſpera quam adverſa, quæ Diœceſi huic evenerunt, ſincere, & absque omni partium ſtudio enarare pergo.

§ II. Hæc Diœceſis principaliter Ruthenam complectitur Nationem, in nonnullis tamen Comitatibus, utpote Maramoroſienſi, Szathmárienſi, Szabolcsienſi, & Ugocsienſi exiſtentem etiam Populum Valachicum admixtum habet. Porro Ruthenorum Originem, Sedes, Religionem, ac Ritum noſſe juvat. Rutheni, alias Rhoſsi, Ruſsi, Roxolani, Chaſari, Bulgari, Croatæ &c. ſunt ejusdem omnes Nationis Slavicæ a vocabulo Szlava, quod gloriam ſignificat, Szlavi dici amant, qui, a locis, quæ incolunt, a Sedibus, quas tenent, communiter diverſa ſortiuntur nomina.

§ III. Dicuntur Rutheni a Græco vocabulo Rytenos, & illud (ut quidem volunt) a Ryomai, quod liberatum ſignificat. Juxta Aſſemanum (Tom. I. pag. 121.) Ruſsi appellantur a vocabulo (Rhos, de quo in Sacris Literis) ſive ab eorum Principe Rhoſſo, ſive a Diſperſione, quæ Roſſeja patrio ſermone dicitur, ut Roſsi iidem ſint, ac Græcis Nomades.

§ IV.

§ IV. Horum origo refertur ad Sarmatas, ac proinde Sarmatæ quoque cognominantur, & hi a Medis Ortum ducunt. (Ita Plinius Lib. 6. Cap. 7. Mela Lib. 4. C. 3. Bochart. apud Aſſemanum Tom. I. pag. 200.) Porro hi Mæoticam, & Caſpiam Palludes accolebant olim, & inde horum pars potior ad ulteriores Aſiæ Septemtriones progreſſa eſt, quorum ſucceſſu temporis Bellica opera Juſtinianus Imperator Anno 557. acceptata uſus Hunnos, atque Severos debellaverat, qui poſtmodum partim ad Iſtrum fluvium, partim ad Volgam conſederant, Sedemque ſuam cum Duce ſuo Micola dicto fixerant. Ducem hunc Imperator idem in Orcanum, ſeu Limitaneum contra Græcos conſtituit. Hinc vulgo nominabantur Orozok, ſive Cuſtodes Limitum. Vulgari quoque, ſeu Bulgari a Vulga, vel Bulga fluvio Græcis ita dicto, appellati ſunt (vide Cl. Bardossi Supplemen. Annalectorum Terræ Scepuſienſis pag. 81.) inde ad Orientem, Occidentem, Aquilonem cæterasque mundi partes diſperſi, Jure Armorum Sedes ſuas fixerunt ita quidem, ut merito Aſſemanus de Slavis his ita honorifice aſſerat: hæc eſt Gens, quæ ab exilibus Principiis orta in validiſsimam Nationem excreſcens, late circumquaque vicinos Orientis, & Occidentis populos in Jus ſuum ita traduxit, ut a primeva illa feritate ad meliorem cultum translata Græcam, Latinamque Eccleſiam toto Orbe difuſam in ſe una videatur complecti; Quis putaſſet, ait, e media inter Volgam, & Boryſthenem vaſtiſsima illa Hyperborea Regione, quam Scythicam veteres appellant, denſiſsimis quondam non minus Ethnicæ ſuperſtitionis,

Aſſeman Calend. Eccl.Univ. Tom. IV. Præfatio. &c.

quam Barbaricæ feritatis tenebris Gentem poſt tot ſecula involutam ſurrecturam, quæ dum in penitiores Bizantini, atque Germanici Imperii partes invadens; eas deletis, aut in captivitatem abductis Incolis, occupat, aſpirante demum Divini Numinis gratia ſuffultam ſuperſtitionem excuteret, everteret, deleretque, & quam prius totis viribus exagitabat Chriſtianæ Religioni colla ſubmitteret, ut id de Slavis dicam, quod in Sacris Litteris (Genes. C. 12.) de Abrahamo Hebræorum Patriarcha ſcriptum legitur: neceſſe fuit egredi Slavos de terra ſua, & de cognitione ſua, & de domo Patrum ſuorum, & venire in terram, quam Deus illis præparaverat &c.

§ V. Venit quoque in Hungariam hæc Roſsica Natio, & eodem Armorum Jure Sedes ſuas in locis diſsitis locaverat, & neque primum cum ſeptem his Ducibus, Almo, Eleud, Kund, Ound, Thoſu, Hub, & Tuhuto, Anno 886. hanc cum Magyaris ingreſſa eſt, & in unam quaſi gentem coaleſcens Nobilium cœtum efficiebat, & inter Primores, ac Primates Regni ex Illa aſſumebantur, verum longe antea cum Rege Atilla adhuc has Provincias ſubintrans easdem inhabitavit. (Recole ea, quæ a me prius dicta ſunt in Appendice ad Caput IX. Partis ſecundæ pag. 207-8.

§ VI. Quoniam autem in diverſis Orbis partibus ſtationes ſuas hæc Natio Ruſsica locaverat, ideo etiam ejusdem ex gentiliſmo ad Fidem Chriſtianam converſionis Epochæ ab Authoribus diverſæ recenſentur.

C A-

CAPUT II.

§ I.

Referente Strittero (Tom. II. pag. 965. n. I.) Ruſsi Anno 846. miſsis ad Theodoram Imperatricem Legatis expetierunt nonnullos ſpectatæ pietatis, Doctrinæque Viros Divini verbi precones ad ſe mittendos. Illa initis cum ſancto Ignatio Urbis Regiæ Patriarcha conſiliis, Cyrillum Theſſalonicenſem Monachum Græcæ, Latinæ, Slavicæque linguæ peritum, antea Conſtantinum vocatum eo cum ſucceſſu exmiſerat, ut idem, aſſumptis compluribus ad Sacram Expeditionem hanc Sociis Bogaro eorum Principe in Michaelem Baptiſato reliquam gentem ad Volgam, Tanaim, & Boryſthenem fluvios diffuſam, Fidei cognitione imbuerat, quæ Natio a Græcis, Latiniſque Scriptoribus Ruthenica ſeu Ruſsica a vocabulo Roos contracte Rus; quod undam vel fluentum ſignificat, Ruthenorum nomine appellari ſolet (vide Clar. Bardossi pag. 85. Supplemen. Analectorum Terræ Scepuſienſis.

§ II. Alter Bogar ſive Bulgarus Princeps, compoſita cum Græcis Anno 860. pace (Methodio Cyrilli Fratre cum aliis Presbyteris diſtinctam in minore Bulgaria meſſem Apoſtolicam faciente,) Chriſtianam Religionem amplexus eſt, ſub Michaele Auguſto, Michaeliſque nomen accepit, conſpecta nempe terribili, ſecundi Dominici Adventus pictura, quam ipſe Methodius confecerat. Quo exemplo

moti

moti primum ejus domeſtici Baptiſati ſunt, deinde, tumultuantibus primoribus oppreſsis, populum quoque Sacro baptismate initiari fecit. (Vide Leonem Grammaticum, Georgium Monachum, Conſtantini Contin. apud Aſſemanum Tom. III. pag. 8. Eandem utramque converſionis Epocham refert Nicetas (in vita S. Ignatii apud Aſſemanum Tom. III. pag. 34.)

§ III. Sigismundus Herberſteinius in Rerum Moſcoviticarum Commentario de Ruthenis (referente Aſſemano Kalendarii Eccleſiæ Univerſæ pag. 2.) ita ſcribit: Qui initio Ruthenis imperaverint, incertum eſt; characteribus enim carebant, quibus res geſtæ mandari potuiſſent: poſteaquam vero Michael Rex Conſtantinopolitanus Litteras Slavonicas in Bulgariam Anno Mundi 6406. miſiſſet, tum primum, non ea duntaxat, quæ tum gerebantur, verum etiam, quæ a Majoribus acceperant, & per longam memoriam retinuerant, ſcribi, inque Annales eorum referri cæpta ſunt. Ex quibus Annalibus conſtat, Cozeros populum a nonnullis Ruthenis tributi nomine Aſpreolorum pelliculas de ſingulis ædibus exegiſſe: item Waregos ipſis Imperaſſe. — — Videntur itaque mihi Rutheni ex Wagriis, ſeu Wageris potius Principes ſuos evocaſſe, quam externis, & a Religione ſua, moribus, idiomateque diverſis, Imperium detuliſſe. Cum itaque Rutheni aliquando inter ſe de Principatu contenderent, ac mutuis odiorum facibus inflammati, exortis denique graviſsimis ſeditionibus decertarent; tum Coſtomiſſel Vir, & prudens,

&

& magnæ in Novogardia auctoritatis in medium conſuluit, ut ad Waregos mitterent, atque tres Fratres, qui illic magni habebantur, ad ſuſcipiendum Imperium hortarentur. Mox audito Conſilio, Legatis miſsis, Principes germani fratres accerſuntur, venientesque eo, Imperium ipſis ultro delatum inter ſe dividunt. Rurick Principatum Novogrodiæ optinet — — Sinaus conſedit in Albo Lacu. Truwor vero in Principatu Plescovienſi. Hos autem fratres Originem a Romanis traxiſſe, gloriantur Rutheni. Horum vero Fratrum ingreſſus in Ruſsiam juxta Annales fuit Anno Mundi 6370. id eſt Chriſti 862.

§ IV. Animadvertendum hic primo Slavonicarum Litterarum Inventorem fuiſſe S. Cyrillum Slavorum Apoſtolum, aliunde conſtat. Secundo: De Cozeris inquit ibidem Herberſteinius, unde aut qui nam fuerint, nihil præter Nomen ex Annalibus de Waregis itidem certi quidquam ab illis cognoſci poterit. Verum Cozeri non alii ſunt, ait Aſſemanus, quam Chazari Tauricam Cherſoneſum incolentes. Porro Gentes Waragorum Drevlanorum, Jazigarum, ſeu Jazuingarum, Polouciorum, aliæque finitimæ, quamvis diviſæ ſub diverſis Dominis contra ſe invicem, ſemperque pugnaverint, omnes tamen Sarmaticæ ſeu Roxolanicæ Nationis fuere: ita Culcinius in ſpecimine Eccleſiæ Ruthenicæ in Serie Chronologica Magnorum Ruſsiæ Ducum numero 7. in Rurico pag. 107. Mare Balticum & Sinus ille, qui Germaniam a Dania, item Pruſsiam, Livoniam, Maritimam denique Ruſsici Imperii partem a Svedia ſeparat, adhuc

B apud

apud Ruthenos nomen ſuum retinet, atque Wareczokoje more, hoc eſt Waregum Mare appellatur, ut ſcribit idem Herberſteinius. Porro: Tertio quos Rutheni Romanos vocant, ii haud dubie Græci ſunt, Biſantino Imperio potiti, aut ſubjecti, qui ſibi Romæorum nomen a Roma Nova, id eſt Conſtantinopoli, impoſuere, uti ex Hiſtoriis Biſantinis notum eſt.

§ V. Duobus Fratribus illis ſine hærede defunctis, Principatus omnes Rurick ſuperſtes optinuit (narrationem ſuam Herberſteinius continuat) hic moriens filium juvenem Igor nomine una cum Regno commendat cuidam Olech propinguo ſuo, qui id de victis multis Provinciis, auxit; arma in Græciam uſque transferens Bizantium etiam obſedit. Et cum triginta tribus annis regnaſſet, atque in caput ſeu Cranium ſui equi, jam olim mortui, pede forte impegiſſet, vermis venenoſi morſu læſus occubuit. „ Mortuo „ Olech, Igor ducta ex Pleſcovia Uxore Olha Imperare „ cæpit, qui cum exercitu ſuo longe progrediens, He- „ racleam, & Nicomediam usque perveniſſet, tandem „ bello ſuperatus aufugit. Poſt a Malditto Drewliano- „ rum Principe in quodam loco — — occiditur. Filius „ autem Swatoslaus, quem infantem reliquit, quum per „ ætatem imperare non poſſet, interim Mater Olha regno „ præfuit: Ad quam quum Drewliani viginti internun- „ cios miſiſſent, cum mandatis, ut eorum Principi nu- „ beret; Olha nuncios Drewlianorum vivos obrui juſsit. „ Suos interim Legatos ad eos miſit, nimirum ſi ſe Prin-

„ cipem,

„ cipem, & Dominam expeterent, ut plures, atque præ-
„ ſtantiſsimos procos mitterent; mox alios ſelectos quin-
„ quaginta Viros ad ſe miſſos, in balneo combuſsit: alios-
„ que Legatos iterum miſit, qui adventum ſuum annun-
„ tiarent; juberentque apparare aquam mulſam aliaque
„ ex more ad parentandum marito defuncto neceſſaria.
„ Porro ad Drewlianos quum veniſſet, maritum deplan-
„ xit, Drewlianos inebriavit, quinque millia illorum occi-
„ dit: Mox Chioviam reverſa, exercitum ſcripſit: Contra
„ Drewlianos progreſſa, victoriam reportavit; fugientes in
„ Caſtrum proſecuta, obſidione ad integrum annum pres-
„ ſit. Poſt, interpoſitis conditionibus, tributum illis de
„ qualibet domo, tres videlicet columbas, totidemque
„ paſſeres imperat: Acceptasque in tributum Aves, conti-
„ nuo alligatis ſub alas igneis quibusdam inſtrumentis di-
„ mittit. Avolantes columbæ ad ædes conſuetas redeunt,
„ revolantque, Caſtrum incendunt. Inflammato jam Ca-
„ ſtro diffugientes, aut occiduntur, aut capti venduntur.
„ Occupatis itaque omnibus Drewlianorum Caſtris ulta
„ mariti mortem, Chioviam revertitur: Dein Anno mundi
„ 6463. (Chriſti 955.) in Græciam profecta baptismum
„ ſub Rege Joanne Conſtantinopolitano ſuſcepit: Commu-
„ tatoque nomine, Olhæ, Helena vocata eſt, ac magnis
„ poſt Baptismum a Rege muneribus acceptis, domum
„ revertitur. Hæc prima inter Ruthenos Chriſtiana fuit,
„ ut Annales eorum teſtantur, qui eam ſoli æquiparant,
„ ſicuti enim ſol ipſum mundum illuminat; ita & ipſa
„ Ruſsiam fide Chriſti illuſtraſſe dicitur. Swatoslaum

„ autem filium ad Baptiſmum nequaquam perducere po-
„ tuit: Qui cum adoleviſſet, ſtrenuus, ac promptus ſta-
„ tim, omnes bellicos labores, periculaque conſueta non
„ detrectavit: in bello nulla impedimenta, ne vaſa qui-
„ dem coquinaria exercitui ſuo permiſit, carnibus toſtis
„ duntaxat utebatur, humi requieſcens, ſella capiti ſub-
„ jecta. Vicit Bulgaros, ad Danubium usque progreſſus:
„ inque Civitate Percaslaw ſedem ſuam poſuit; ad Ma-
„ trem, atque Conſiliarios ſuos dicens: Hæc enim Sedes
„ mea in medio Regnorum meorum: ex Græcia ad me
„ adferuntur Pandocki, aurum, argentum, vinum, varii-
„ que fructus: Ex Hungaria, argentum, & equi: Ex
„ Ruſsia ſchora, cera, mel, ſervi. Cui mater: jam jam
„ moritura ſum: Tu me ubicunque volueris, ſepelito.
„ Itaque poſt triduo moritur, atque a Nepote e Filio Wo-
„ lodimero jam Baptiſato in numerum Sanctorum refer-
„ tur, diesque undecimus Julii Sacer illi dicitur." Huc-
usque Herberſteinius.

CAPUT III.

§ I.

De his primis Ruſſorum Ducibus, Rurico, Igore, ejus-
que Uxore Olga, & Swatoslao ex Annalibus eorun-
dem, qui Stepennia Knihi, id eſt graduales libri nuncu-
pantur, narrat eadem quoque Culcinius in Specimine Ec-
cleſiæ Ruthenicæ a pag. 107. Et de Rurico quidem hæc
habet:

habet: „ Hic fuit Dux Waragorum, vocatusque — —
„ a Ruſsis Septemtrionalibus, ut ipſis præeſſet, fundavit
„ Novogorodum, Sedemque Imperii ibidem fixit, ac Duca-
„ tum annis 17. exercuit (ab anno ſcilicet 861. ad 878.) Et
„ mox, ſub Rurico Principe SS. Cyrillus, & Methodius,
„ converſis ad fidem Chriſti Bulgaris, Serbis, Moravis,
„ cæterisque vicinis Slavis penetrarunt usque in Ruſsiam,
„ ac plurimos ad Chriſtianam religionem pertraxerunt. Ad
„ hæc pariter tempora refertur miraculum a quodam An-
„ tiſtite Græco editum, quum librum S. Evangelii inje-
„ ctum Rogo integrum, prorſusque illæſum, ut narrat
„ Cardinalis Baronius in Appendice de Ruthenis produ-
„ duxiſſet. Rurico ſucceſsit ejus Filius Igorus, pro
„ quo adhuc impubere rexit Ducatum Olgus (Olech)
„ Pleſcovienſium Dux titulo Tutoris ad Annum 886.
„ Aſſumpſit deinde Imperium Igorus, duxitque in Uxorem
„ Olgam (Olham) Filiam ejusdem Olgi ſui Tutoris, qui
„ varia bella pro genero, ac Domino ſuo feliciſsime ges-
„ ſit. Et Anno 896. ducens exercitum contra Principes
„ Kiovienſes Oskoldum, ac Dirum, qui ab infelici in
„ Græcos expeditione inglorii redibant, profligatis eo-
„ rum copiis, ipſos etiam occidit. Unde Igorus trans-
„ ferens Sedem Ducatus Novogrodo Kioviam, non jam
„ Septemtrionalibus, ſed & Meridionalibus Ruſsis Impe-
„ rare cœpit — — Regnavit Igorus annis 35. (ab anno
„ 886. ad 921.) interfectusque poſtmodum a Drewlanis
„ dum ab expeditione contra Græcos facta redibat, reli-
„ quit in Imperio Olgam Conjugem, & Swatoslaum Fi-

 „ lium

„ lium ſuum, hæc pro Filio pluribus annis Regnum for-
„ titer adminiſtravit, & miſſo contra Drewlanos exercitu
„ Vires eorum attrivit, mortemque ſuo marito illatam
„ graviter ulta eſt. Tandem cum Regnaſſet annos 24.
„ (ab anno 921.) ceſsit Swatoslao Filio Imperium, &
„ anno 945. profecta Conſtantinopolim, jam fere ſeptua-
„ genaria Sacrum Baptismum ſuſcepit, ac Helenæ nomen
„ aſſumpſit, ſub Conſtantino Octavo Imperatore. Redux
„ in patriam, plurimos quidem ad Religionem Chriſtia-
„ nam perduxit, ſed Swatoslaum filium ſuum ad am-
„ plectendam fidem pertrahere minime potuit. Magnis
„ denique ornata virtutibus, ac meritis obiit anno 970.
„ ſeu ut alii volunt 978. ob eximiam pietatem Divorum
„ albo ab indigenis adſcripta. “ Ceterum in anno, quo
fuit baptiſata, variant ſcriptores.

§ II. Ruſſorum facit quoque mentionem Annaliſta quidam Bertinianus ab Aſſemano Tom. I. pag. 239. relatus, qui tradit quosdam cum Legatis Theophili Imperatoris Orientis ad Ludovicum Pium Occidentis Imperatorem veniſſe, qui ſe Rhoſſos dicebant, comperit autem eos (Ludovicus) gentes Sweonum ſeu Swedonum Regni illius exploratores potius, quam amicitiae petitores eſſe. Verum quidem eſt Ducem illum ſeu Principem, a quo Swedi hi ad utrumque Imperatorem miſsi fuerant, Ruſſorum Chaganum fuiſſe; ex eo tamen non evincitur hos Sweones fuiſſe revera Rhoſſos, ſed duntaxat Ruſſorum nomine a Ruſsico Principe ſub titulo Legatorum ut exploratores

miſſos.

miſſos. Errat proinde, qui putat Ruſſos a Sweonibus genere non differre.

§ III. Neque ex eo etiam, quod Liutrandus Ruſſos appellet Nordhmanos (Lib. I. Cap. 3.) eosdem origine Germanos eſſe: idem enim dicit L. V. Cap. 6. Gens quædam eſt ſub Aquilonis parte conſtituta, quam a qualitate corporis Græci vocant Ruſſos, nos vero a poſitione loci vocamus Nordhmanos. Liutprandus fallitur dum Ruſſos ait a Græcis ob qualitatem corporis, quaſi rubei eſſent, appellari. Ethimologiam enim hujus Ruſſorum nominis (ut jam antea dictum) deducit Aſſemanus Tom. I. a pag. 121. nimirum, ſive a Rhoſſo eorum Principe, ſive a diſperſione, quæ patrio ſermone Roſſeja dicitur, ut Roſsi idem ſint, ac Græcis Nomades. Ruſsi a poſitione loci nominantur Nordhmani. Nord enim ſignificat germanice Aquilonem, man autem marem ſeu virum, atque adeo Nordhmani idem ſunt, ac Aquilonares homines. Eadem itaque natio Ruthena per Univerſum quodammodo diſperſa, diverſas etiam ſortita eſt denominationes a diverſis ſcilicet ſuis Sedibus, ac locis, populisque quibus permixta in vulgari quidem ſermone inter ſe haud parum differt, in Divinis tamen officiis, libris ritualibus, qui ritum Græcum profitentur, Idioma literale idem conſtanter retinet: Ruſsi proinde, ſeu Rutheni, Bulgari a fluvio Bulga ſic dicti Raſciani item, Croatæ, & his ſimiles Slavi ſeu ad Orientem, ſeu Occidentem, ſeu ad Aquilonem, ac alibi locorum, ſive Swedis, ſive Germanis, ſive Hun.

ga-

garis intermixti cohabitent, ac etiam illorum linguam communem habeant, omnes tamen genere, & origine pro iisdem reputari debent. Denique Scriptores, eandem Nationem jam Ruthenos, jam Ruſſos paſsim appellare ſolent, eſto pro exemplo Herberſteinius & Culcinius, paulo ante per me relati, quorum hic Ruricum, Igorum, Swatoslaum, & reliquos, nominat Ruſſos, quos ille Ruthenos appellat.

§ IV. Quid ſi ille Rhoſſus (de quo paulo ante dictum) qui ad Ludovicum Pium, exploratores miſerat, Rhoſſorum Chaganus, Kius fuerit a quo Kiovia condita? & id quidem Culcinius Rerum Ruſsicarum cæteroquin peritiſsimus, utpote, qui Voliniam Patriam habuit, de Kio ſcribit in Serie Ducum Ruſsiæ pag. 103. his verbis: Regnaſſe in Ruſsia hunc Kioviæ conditorem ſæculo poſt natum Chriſtum Octavo, multi opinantur. Nec obſtat huic opinioni Anthologium Ruthenorum, in quo ad diem 30. Novembris Sinaxarium de Sancto Andrea Apoſtolo hæc habet: (Navigavit Andreas) in Scythiam, & tandem „ Divina Providentia perveniens in Ruſsiam, acceſsit ad „ montes Kiovienſes, dixitque ſuis Sociis: Videte illos „ montes &c. “ Ex hoc enim non recte inferri poteſt, jam tempore Prædicationis Andreæ exſtitiſſe Kioviam, adeoque adventum Chriſti præceſsiſſe Kioviæ Conditorem. Hæc enim verba: Acceſsit Andreas ad montes Kiovienſes ita ſunt intelligenda: Acceſsit Andreas ad montes non qui tunc, ſed qui nunc Montes jam vocantur Kiovienſes.

C A-

CAPUT IV.

§ I.

Scriptores Bizantini, Conſtantinus Porphyrogenitus, Incertus Theophanis Continuator, Simeon Logotheta, Georgius Monachus, Leo Grammaticus, Zonaras, Cedrenus, & Nicetas in Vita Sancti Ignatii Patriarchæ narrant: Rhoſſos Gentem Scyticam a Ponto Euxino ad Stenum excurſione facta, omnem circum Regionem deprædatos eſſe. Inſulanorum quoque Bizantinorum vaſa omnia diripuiſſe; ipſius denique Ignatii Patriarchæ Cœnobium barbarico furore incurſantes, tota ſuppellectili direpta, ſpoliaſſe, duosque ſupra viginti ex familiaribus ejus in uno navigii trochantere, omnes ſecuribus fruſtatim concidiſſe. Quum autem in Hierum penetraſſent, poſt multas factas cædes, Urbem vallo cinxiſſe; ac cum vix Michael Balbus Imperator trajicere potuiſſet, ſtatim cum Photio Patriarcha ad Blachernenſe Deiparæ Templum veniſſe; eductamque cum Sacris Canticis e loculo ejusdem Deiparæ Sacram Veſtem mari leviter intinxiſſe: quo facto, fluctibus continuo excitatis Ruſſos fractis, conquaſatisque navibus, domum redire coactos fuiſſe: Id anno Chriſti 859. exeunte, aut ineunte 860. contigiſſe refert Aſſemanus Tom. I. a pag. 240. ad 243. Et Tom. II. pag. 160. & 232.

§ II. Sub Baſilio Macedone eosdem Ruſſos ex ſupra memorato bello domum reverſos, variis largitionibus in

fœdus pertractos, Baptismum, & Epiſcopum ab eodem Imperatore ſibi expetiiſſe, iidem Græci Auctores referunt, quo etiam tempore miraculum illud conjecti in Rogum ardentis ignis Sacrorum Evangeliorum codicis, nec tamen a flammis violati accidiſſe perhibetur. Juvat eandem ipſam Ruſſorum ad Chriſtiana Sacra primam converſionem verbis Conſtantini Porphira geniti referre. Sic enim in Baſilii Avi ſui vita ſcribit numero 96. — — Genti Ruſſorum neſcienti manſueſcere, ullive cedere, atque a Dei ſenſu, & pietate remotiſsimæ, auri, argentique, ac ſericarum veſtium affluenti largitione in fœdus pertractæ, initisque cum ea induciis, ac pace firmata, Divini quoque Baptismatis participes fieri perſuaſit Baſilius Imperator, ac Archi-Epiſcopum ab Ignatio Patriarcha ordinatum, ut ſuſciperent, effecit. Is Archi-Epiſcopus ad dictæ Gentis Provinciam, quum veniſſet, ex tali eventu, illuſtrique facinore, illius ſibi amimos faciles reddidit. Gentis enim Princeps, ſubditæ plebis coacto cætu cum Senatoribus ſuis, ac Proceribus præſidebat, qui & falſæ Religioni ob longam conſuetudinem proclivius reliquis adhærebant: Deque ſua, ac Chriſtianorum fide deliberantibus, in conventum vocatur, qui ad eos recens Epiſcopus venerat, ac quæ nam ipſe profiteretur, eosque docturus eſſet, ex illo ſuſcitabantur. Eo Sacrum Divini Evangelii librum protendente, ac quædam Salvatoris noſtri miracula, Deique in Veteri Teſtamento prodigia exponente; ſtatim Ruſsi ſubdiderunt: Niſi nos etiam ejusmodi aliquid viderimus, ac potiſsimum, quale in trium puerorum Camino accidiſſe dicis, nullam

pror-

prorſus tibi fidem habebimus, nec tuis verbis animos, aureſque noſtras ultra accommodabimus. Præſul vero de illius promiſsionis veritate fretus, qui ait: Si quid petieritis in nomine meo accipietis; & qui credit in me, opera, quæ ego facio, &: ille faciet, & majora his faciet; tum nimirum, quum non oſtentationis cauſa, ſed ad Salutem animarum hæc, quæ fiunt, ſunt futura; ait ad eos: etſi non licet Dominum Deum tentare; ſi tamen ex animo ſtatuiſtis ad Deum accedere; quod libuerit, hoc & petite, omnino Deus præſtabit propter fidem veſtram, etſi nos deſpicabiles, & minimi ſumus. Petiere, ipſum Fidei Chriſtianæ librum (Divinum ſcilicet, Sacrumque Evangelium) in Rogum injici ab eis accenſum, ac, ſi quidem librum nihil flamma læſerit, aut exuſſerit, ad Deum acceſſuros, qui ab illo prædicaretur, quibus ſic dictis, ac Sacerdote oculos, ac manus ad Deum levante, atque dicente: Clarifica nomen Sanctum tuum Jeſu Chriſte Deus noſter, etiam num in oculis gentis hujus univerſæ. Sancti Evangelii liber in Rogum ignis conjectus eſt. Nec paucis decurſis horis a Rogo exinde exſtincto, inventum eſt Sacrum volumen illæſum, nec edacis flammæ vi ulla violatum, nulla ejus ab igne noxa, aut diminutione, ut ne fimbriæ quidem librum claudentes, ullam aut corruptionem, aut labem ſenſerint. Quo viſo Barbari, ac miraculi magnitudine in ſtuporem acti omni ſublata hæſitatione, Baptismo intingi cœperunt.

§ III. Animadvertendum hic primo id factum fuiſſe ſub Rurico ſiquidem is usque ad annum 878. Rusſis præfuit, Culcinio ita affirmante. Secundo Pagium erraſſe, dum Ruſſos, qui ſub Baſilio, accepto Epiſcopo Baptiſati ſunt, diverſos aſſerit ab iis Rusſis, qui ſub Michaele in Bizantinum agrum excurerunt. Non eſt enim negandum, Rusſicam gentem late extenſam fuiſſe, multasque Provincias incoluiſſe; ſed fatendum etiam eſt, unam eandemque gentem fuiſſe Ruſſos, qui rem cum Græcis gerebant. Tertio nec dicendum eſt cum eodem Pagio, Ruſſos, qui ſub Baſilio baptiſati circa annum 871. Viſo inſigni illo incombuſti Codicis Evangelici miraculo, dicuntur, ad idololatriam omnes ad unum rediiſſe. Etſi enim, quando Olga ſeu jam Helena, ejusque poſtmodum ex filio Swatoslao nepos Vladimirus Baptismum ſuſceperunt, nulla fiat aliorum in Rusſia Chriſtianorum mentio, id tamen de ejusdem gentis Principibus eſt intelligendum non de populo, ex quo nonnullos Chriſtianam adhuc Religionem coluiſſe innegabile eſt; præſertim, quum Epiſcopus ille a Baſilio Auguſto ad Ruſſos miſſus, tamque honorifice ab illis acceptus, non legatur, a Rurico, vel ab ejus Succeſſoribus exinde ejectus; quin potius induciæ dicantur ab eodem Baſilio cum Rusſis ictæ, paxque firmata, nec rupta niſi anno 941. quo Igorus expeditionem in Græcos poſtmodum ſuſcepit.

C A-

CAPUT V.

§ I.

De Swatoslao Igori, & Helenæ filio hæc narrat Herberſteinius ex Annalibus, ut inquit Ruſſorum — — Swatoslaus, qui poſt obitum matris regnabat, diviſit Provincias filiis. Jeropolcho Kioviam, Olega Drewlianos, Wolodimero Novogardiam Magnam. Swatoslaus quum Filiis proſpexiſſet, pergit in Bulgariam, Preslawam Civitatem obſidet, capitque: Baſilio & Conſtantino Imperatoribus bellum denunciat: at hi Legatis miſsis, pacem poſcebant, & quantum exercitum haberet cognoſcere ab eo propterea cupiebant, quod tributum daturos ſe juxta numerum exercitus, ſed falſo, pollicebantur. Poſt quum uterque exercitus conveniſſet, Rutheni Græcorum multitudine terrentur. Quos quum pavidos videret Swatoslaus, inquit: quia locum non video, Rutheni! qui nos tuto capere poſſet; terram autem Ruſsiæ tradere inimicis, nuncquam in animum induxi: Fortiter contra illos pugnando, aut mortem oppetere aut gloriam reportare, certum eſt. Etenim ſi ſtrenue pugnando occubuero, nominis immortalitatem; ſi vero fugiam, perpetuam inde ignominiam ſum relaturus: & quum hoſtium multitudine circumventus effugere non liceat, ſtabo ergo firmiter, caputque meum in prima acie, pro patria omnibus periculis objiciam. Cui milites: ubi caput tuum, ibi eſt noſtrum. Mox confirmato milite, in adverſum hoſtem raptus, magno impetu fa-

cto, victor evadit. Terram dein Græcorum vaſtantem, reliqui Græciæ principes muneribus oppugnant: aurum autem & pandockmi (ut eſt in Annalibus) munera quum ſpreviſſet, recuſaſſetque, veſtimenta autem & arma a Græcis denuo ſibi miſſa acceptaſſet; tanta ejus virtute, Græciæ populi permoti, Reges ſuos convenientes: & nos, inquiunt, ſub ejusmodi Rege eſſe cupimus, qui non aurum, ſed arma magis amat. Appropinguante Conſtantinopolim Swatoslavo, Græci magno ſe redimentes tributo, eum a finibus Græciæ avertunt: quem tandem anno mundi 6480. Cures Princeps Picezenigorum ex inſidiis interfecit: & ex Cranio ejus poculum faciens, auro circumdato, litteris in hanc ſententiam ſignavit: quærendo aliena, propria amiſit.

Obſervandum eſt; in hac narratione ſunt nonnulla, de quibus Scriptores Græci diſſentiunt. Imo falſum eſſe Swatoslaum ſub Baſilio, & Conſtantino Regnaſſe.

CAPUT VI.

§ I.

Synaxarium ex Anthologio Ruthenico depromptum e Slavica lingua in Latinam per Ignatium Kulczinſzky verſum (in Specimine Eccleſiæ Ruthenicæ ad diem XV. Julii pag. 28.) De Vladimiro Ruſsiæ Duce hæc habet: „ Hic magnus Rex Vladimirus fuit filius Swatoslai de ſtirpe „ Varagorum. Studebat olim cultui idolorum, ſervans

„ præ-

„ præcepta majorum. Sed Deus volens novum populum
„ ſibi eligere, tetigit cor ipſius, excitavitque eum a fata-
„ li ſomno idololatriæ. Cæleſtibus igitur actus ſtimulis
„ Vladimirus, miſit ad varias gentes exploratores, qui
„ examinarent diverſimodas earum Religiones: & quum
„ nunciatum ipſi eſſet de Sancta fide Chriſtiana Græcorum,
„ quæ in Oriente tamquam lucerna ſuper candelabro rutil-
„ labat, optavit eam amplecti. Hinc lecto exercitu, per-
„ rexit ad fines Græcorum, captaque Urbe Cherſona, mi-
„ ſit ad Cæſarem dicens: Da mihi in Uxorem Sororem
„ tuam; &, ſi ſecus feceris, inferam arma Urbi tuæ re-
„ gnanti. Quum vero reſpondiſſet Cæſar: Non eſſe moris
„ apud Chriſtianos, ut fœminæ nubant viris infidelibus;
„ ſeque tunc petitioni aſſenſurum, ſi Vladimirus Sacrum
„ ſuſcipiat Baptismum: Ipſe repoſuit: ita fiat. Veniant
„ cum Regina Præceptores, ipſi me Baptiſent. Interea
„ temporis cæpit Vladimirus vehementer laborare oculis.
„ Quod quum nunciatum eſſet Reginæ, ipſa mittens ad eum
„ dixit: niſi Baptiſatus fueris, dolorem oculorum non ex-
„ cuties. Rumpens tunc omnes moras Vladimirus, imbu-
„ tus Sacris fidei myſteriis, quum intraſſet fontem luſtra-
„ lem, & in ſalutari lavacro regeneratus fuiſſet, en atræ
„ ab oculis ejus cecidere Squammæ, & ſemota caligine,
„ lux reddita palpebris. Glorificavit Deum verum Pius
„ Princeps, & de reſtaurata animæ, corporisque incolu-
„ mitate exultans, rediit domum: ac vocata ad ſe Regi-
„ na, celebratisque cum ea nuptiis, percuſsit, ac con-
„ quaſſavit cuncta in Urbe Kiovia idola, videlicet Jovem,

Mar-

„ Martem, Junonem, Venerem, cæteraque nefanda nu-
„ mina. Convocavit poſt hæc Magnates ſuos, omnemque
„ plebem, ac jubens unum quemque paratum eſſe ad ſu-
„ ſcipiendum ſtatuta die Baptismum, ad finem concionis
„ tale addidit edictum: Si quis non interfuerit craſtina
„ die ad fluvium, is mihi hoſtis erit. Illuceſcente itaque
„ fauſta die, convolavit omnis populus ad fluvium Pocaj-
„ na, (Dniepr) viri, matresque cum pueris, virginibusque,
„ & Baptiſarunt Presbyteri ritu, ac ordine debito univer-
„ ſam multitudinem: vocatusque fuit locus ille Sanctus,
„ ubi etiam num ſtat ſuperſtes Templum divis Martyribus
„ Boriſo, & Hlibo Sacrum. Hic igitur Sanct: Vladimirus
„ fuit primus Author noſtræ ſalutis, qui videns novos
„ Chriſti Fideles, elevatis in cœlum oculis, oravit pro
„ eis dicens: Deus Creator cœli & terræ, reſpice hunc
„ novum populum, novamque Hæreditatem tuam. Con-
„ cede quæſo, Domine, ut hi Fideles noſcant, ac time-
„ ant Te Deum verum: confirma eos in Orthodoxa Fide;
„ me vero Dominator cunctorum, juva contra hoſtes, qui
„ in te non credunt, & ego fretus protectione tua conte-
„ ram eorum ſuperbiam. Dimittens populum, præcepit
„ omnibus, ut aras, ac templa Chriſto Domino ubique
„ erigerent: ipſe etiam conſtructis plurimis Sacris ædibus,
„ inſigniorem Baſilicam honori Deiparæ dicatam in Urbe
„ Regia excitavit. Vixit poſt hæc non multos annos mor-
„ boque correptus, migravit ad Dominum decima quinta
„ Julii. Corpus ejus poſitum fuit cum magno, ut dece-
„ bat, honore in Templo Deiparæ, quod ipſe erexerat.

„ Plan-

„ Planxit autem luctu indicibili tantum Patrem, ac Tuto-
„ rem univerſa Rufsia."

§ II. Exhibet idem Ignatius Kulczinſzky alias Culcinius in Appendice ad Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ Acoluthiam (ut Græci vocant) ſeu Officium integrum de S. Vladimiro: deinde ejusdem Vladimiri Conſtitutionem. Ad Conſtitutionem Vladimirianam hæc præmittuntur apud eundem Culcinium in Præfatione ad Appendicem. „ Impe-
„ rantibus Conſtantino & Baſilio, convertit ad fidem Chriſti
„ Sanctus Vladimirus univerſam Rufsiam, & adducto ſecum
„ e Græcia Michaele Metropolita, poſuit Conſtitutionem
„ in Archi-Epiſcopali Eccleſia, quæ ut inviolabiliter cuſto-
„ diretur, præcepit ſuis omnibus Succeſſoribus, & aliis
„ Ducibus in Rufsia ditiones habentibus, cunctosque ter-
„ ribilibus juramentis obſtrinxit." — — Et pag. 29.
„ Conſtitutio Sancti Principis Vladimiri, qui Baptismate il-
„ luſtravit Rufsiam. De poteſtate Metropolitæ, de Deci-
„ mis, & aliis."

§ III. In Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti Amen. „ Ecce ego Princeps Vladimirus, dictus in Sancto
„ Baptismo Baſilius, Filius Svatoslai, Nepos Igori, & Beatæ
„ Olgæ, ſuſcepta Sancta Fide Chriſti, obtinui ex Urbe
„ Conſtantinopoli primum Metropolitam Kioviensem Mi-
„ chaelem, qui baptiſavit totam Rufsiam. Poſtmodum erexi
„ Templum in honorem Sanctæ Deiparæ, & applicavi ei-
„ dem Templo Decimas ex Univerſo meo Principatu. In-

„ ſpecto inſuper Græcorum Nomocanone, quum inveniſſe-
„ mus in eo, non licere cauſas Eccleſiaſtici Fori judicare
„ Principibus, eorumdemque Miniſtris Sæcularibus, Conſi-
„ lio inito cum filiis meis, Ducibus, ac Viris nobilibus,
„ dedimus poteſtatem judicandi cauſas Eccleſiaſticas Me-
„ tropolitæ, & Epiſcopis in univerſa Ruſsia." Et pag. 30.
apud eundem Culcinium in Conſtitutione Volodimiri ita
habetur: „ Jam vero ſubditi quos tradimus poteſtati ac
„ jurisdictioni Metropolitæ, hi ſunt: Hegumenus, Hegu-
„ mena: Presbyter, Presbyteriſſa: Diaconus, Diaconiſſa,
„ & Liberi eorum. Cantores, ac Clerici Omnes. Mona-
„ chus, Monialis &c.

§ IV. De Michaele hæc habet Culcinius in Parte ter-
tia pag. 110. „ Michael I. Natione Græcus, miſſus a Ni-
„ colao Chryſoberga Patriarcha Conſtantinopolitano anno
„ 990. fundata in Urbe Kiovia Sede Metropolitana, &
„ multis a Sancto Vladimiro Privilegiis ornata, Sacro
„ Gentem Roxolanam Baptismo illuſtravit, Fidem Ortho-
„ doxam docuit, Epiſcopos per novas Dioeceſes ordinavit,
„ cæteraque Inſignia pietatis, Zeli, ac Sanctimoniæ Spe-
„ cimina edidit. Exuviæ ejus hactenus incorruptæ quie-
„ ſcunt in Cryptis Kioyienſibus. De Leontio vero ibidem
„ Leontius Genere Græcus ſuccesſit Michaeli anno 1020.
„ Hic Leontius in marmoreo condidit Mauſoleo Sacras
„ Vladimiri exuvias. Huic ſuccesſit tertius Theopemptus
„ e Græcia oriundus anno 1033. qui teſte Stricovio (Libr. V.
„ Cap. 2.) duo inſignia Templa in Urbe Kiovia, alte-

rum

„ rum ſub titulo Annuntiationis Beatæ Virginis a Jaroslao
„ Vladimiride erectum ſolemni ritu conſecravit. Quartus
„ Hilarion Genere Ruthenus creatus eſt Primas Ruſsiæ
„ hoc modo; Theopempto vivis erepto pervenit fama in
„ Ruſsiam renovari a Michaele Cerulario in Græcia exe-
„ crabile Schisma: quod, & cujus auctorem deteſtantes
„ Prælati Rutheni, non miſerunt Conſtantinopolim pro
„ impetranda Bulla; ſed convenientes Kioviam, annuente
„ Magno Duce Jaroslao Vladimiride, in Templo Sanctæ
„ Sophiæ Hilarionem Ruſſum in Metropolitam anno 1051.
„ elegerunt, ac conſecrarunt. Laudatur hic Archi-Præſul
„ a Scriptoribus, quod a juventute Inſtitutum Monaſticum
„ profeſſus, in Bereſtonienſi Crypta, propriis manibus
„ elaborata, diu, ac Sancte vixerit. Referente Culcinio
„ in Specimine Eccl. Ruthen. Part. III. pag. 111. Hunc
„ autem anno 1068 defunctum excepit Ruſſus alter Geor-
„ gius nomine, qui (Stricovio teſte Lib. V. Cap. 3.) de-
„ crevit, ac promulgavit cultum SS. Vladimiri ejusdemque
„ filiorum Boriſi & Hlibi, ſeu Romani ac Davidis quos
„ Svatopelcus frater per ſubmiſſos Sicarios poſt Vladimiri
„ obitum, id eſt anno circiter 1016 trucidandos curaverat.

§ V. Conſtitutiones Eccleſiaſticas per Vladimirum olim factas, & ſuccesſive per Jaroslaum ejusdem filium confirmatas Baſilius quoque Demetrii filius confirmavit juxta Culcinium pag. 35. Appendicis teſtantem, qui ita refert:
„ Ecce ego Magnus Dux Baſilius Demetrii filius, ſedens
„ cum Patre meo Cypriano Metropolita Kioviensi & to-

„ tius Ruſsiae, confirmavimus antiquum Nomocanonem de
„ Judiciis Eccleſiaſticis, prout decreverunt Majores mei,
„ Sanctus Princeps Vladimirus, & Filius ejus Magnus
„ Dux totius Ruſsiæ Jaroslaus. Volumus itaque, ac in
„ perpetuum ſtatuimus, ut omnia Jura ac Privilegia Eccle-
„ ſiæ Metropolitanæ, & aliarum eidem ſubjectarum ſer-
„ ventur juxta leges priſtinas inviolabiliter, non obſtanti-
„ bus quibuscunque, & maneant firma ac immobilia, prout
„ eadem prædicti Divi, & Magni Principes tradiderunt,
„ ac corroborarunt." Laudandi ſane Ruſsi, qui ſuos Majo-
res Fidem Catholicam puram illibatam, & a Schismate im-
munem ſub Vladimiro a Græcis accepiſſe affirmant: neque
enim aliter fieri potuit, quum, Regnante Vladimiro, Ec-
cleſia Conſtantinopolitana eſſet ejusdem cum Romana fidei:
Nimirum jam pridem extincto Photiano Schismate, & Ce-
rulariano nondum exorto: Michael quippe Cerularius, qui
Photianum Schisma apud Græcos inſtauravit, die 25 Mart.
anno 1043 poſt Alexii obitum, Biſantinus Patriarcha inau-
guratus in Feſto Sancti Michaelis, quod Græci die 8. Ju-
nii celebrant, anno 1059. depoſitus fuit; vitamque cum
morte commutavit (vide Aſſeman. Tom. IV. pag. 75) Pro-
inde Pagius ad annum 1058. num. XI. de Cerulario Schis-
matis auctore, deque recta Ruſſorum Fide vere pronun-
tiat: „ Is tamen (Michael ſcilicet Cerularius) Schismatis
„ auctor, quod poſt tot ſæcula perdurat. Neque enim
„ Photius, vir in rebus Theologicis verſatus, Græcæ &
„ Latinæ Eccleſiarum ſciſſuræ auctor dici poteſt; quum
„ Joannis VIII. indulgentia, Eccleſiæ Romanæ reconcilia-

tus

„ tus fuerit, & in Romanis tabulis varia Græcorum no-
„ mina legantur, qui poſt Photii mortem floruerunt. Quo
„ fundamento innixi ſupra diximus, Volodimirum Ruſsiæ
„ Regem a Ruſsis ante hæc tempora cultum, tuto a La-
„ tinis Sanctum haberi poſſe, quod & de Simeone Meta-
„ phraſte, aliis non paucis pariter dicendum. Hucusque
„ Pagius.

§ VI. Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis de rebus anno Chriſti 1008 geſtis Lib. VII. Cap. 103 ſcribens carpit quidem Vladimirum, & eum formicatorem immenſum fuiſſe aſſerit, & crudelem, & Chriſtianitatem juſtis operibus non ornaſſe &c. Verum ob perpetua bella, Germanos inter & Ruſſos exorta, confectaque, horum populi mutuo ſæpius abalienati fuerunt, & ideo mirum non eſt, ſi Ditmarus utpote Germanus Ruſsis male affectus hæc vitia Vladimiro objiciat, qui alioquin etiam de Rebus Ruſsicis bene edoctus haud fuit: Fuerat quidem ante ſuſceptum Baptismum Vladimirus fornicator immenſus, octingentas quippe concubinas (præter quinque juſtas Uxores Varegam, Bulgaram, Græcam, binasque Bohemas, ſi Herberſteinio credendum) habuerat. Crudelitatis notam incurrerat, dum Rochvolochdam Pleſchoviæ Principem, & ſuum ipſius fratrem Jaropolcum interficiendos curavit: Talis inquam, tamque impius antea fuerat Vladimirus: Verum poſteaquam ducta in Uxorem Anna, ſalutari lavacro regeneratus fuit, nimio plus iniquus cenſendus eſt Ditmarus, qui antiqua ei crimina exprobret. Vide Aſſeman. Tomo IV. pag. 52.

CAPUT VII.

§ I.

Primos Chriſtianæ fidei Aſſeclas in Pannonia Græcos, ſeu Ruthenos fuiſſe, nemo ullus inficiabitur, niſi Fidem omnem Hiſtoricis rerum Hungaricarum velit abrogare, primisque duobus Hungariæ ſæculis Ritum Græco-Catholicum excluſis hoſpitibus Latinis, & captivis Occidentalibus fere generatim in Hungaria, & Partibus eidem adnexis; In quorum probam conſulendus venit Clariſsimus Joannes Bardoſsi, Origines Eccleſiæ Hungaricæ perſtringens, in ſuo Analectorum Terræ Scepuſienſis Supplemento, pag. 348 & ſequentibus, ac Sanctos quoque Stephanum, & Ladislaum Reges Hungariæ Græco-Catholicos fuiſſe oſtendens pag. 357. Ceterum Stephanus de Angelis Advocatus Romanus in ſuis pro Canoniſatione Epiſcopatus Munkacsienſis coram Pontifice Romano Clemente XIII. Allegationibus de hoc merito inſignia rationum momenta produxerat, ſub Numeris: 3. 4. 5. 6. 7. 8. quæ per extenſum a me inferius adducta habentur.

§ II. Conſequenter Græco-Catholicos Epiſcopatus prioribus illis ſæculis quam plurimos in Hungaria exſtitiſſe, extra omne dubium eſt, quorum unus Epiſcopatus Munkacsienſis, de quo hic agitur, ab immemoriali erectus, verum ob injuriam temporum, atque variis adverſis fatis expoſitus bonisque fundationalibus privatus, diu per Vicarios

rios Apoſtolicos modo proviſorio adminiſtrare debuit. Porro Vicarios hos Apoſtolicos ſuos quoque Rituales Vicarios Præſules Agrienſes, & a ſe dependere prætendebant: eſto tam Bullæ Pontificiæ, quam Collationales Regiæ ab omni dependentia prætenſa eosdem immunes pronunciarent.

§ III. Interea in Anno 1747. ſuſcitatis a Latino Ritu controverſiis reſpectu annui Parochialis Proventus, quem Latini Ritus Parochi ex indultu ſui Epiſcopi etiam a Græci Ritus fidelibus cum aſsiſtentia Bracchii Sæcularis exigebant, Epiſcopus Michael Manuel Olſavſzky ſub prætextu harum compoſitionis invitatus Agriam, comparuit, qui eo tum ad præſtandum Subjectionis erga Agrienſes Epiſcopos prævie ſcripto confectum Juramentum adurgebatur, cui eſto infracte, & cum proteſtatione tum ex ratione ſuæ per Auguſtam Aulam absque dependentia in Epiſcopum Munkacsienſem Nominationis, quam & quod Vicarius Apoſtolicus eſſet, reſtiterit, fuiſſe tamen depoſitum, ex parte Agrienſium ſemper allegabatur.

§ IV. Anno mox ſequenti 1748. idem Agrienſis Præſul videlicet Comes Franciſcus Barkóczy ad Canonicam Viſitationem ſui Ritus Parochiæ Munkacsienſis comparuit, & ſimul Ritus Græci Eccleſiam Cathedralem nunquam antea ab Agrienſibus Epiſcopis viſitatam Canonice viſitare volens, prævie Vicarium Generalem, Archi-Diaconum Cathedralem, & non nullos ex eodem Græco Ritu Parochos in ſui præſentiam citavit, eosque comparentes ad præſtandum

ſub-

ſubjectionis, & dependentiæ Juramentum adegit. Pari paſſu ipſum quoque Epiſcopum ad Superioris anni prætenſi Juramenti ratificationem ſolicitavit.

§ V. Hinc anno eodem 1748. & ſubſequis apud Auguſtam Aulam idem Epiſcopus Munkacsienſis, & Romæ apud Sacram Congregationem de propaganda Fide totus Græci Ritus Unitus Clerus queſti, atque ab utrinque Reſolutione obtenta, quod prætenſa hæc ſubjectio non ſubſiſtat.

§ VI. Hac eadem præſtrata via procedens Comes Carolus Eſzterházy Succeſſor Epiſcopus Agrienſis, cum primis anno 1763. ſub 18 Maji eundem Epiſcopum Munkacsienſem peculiari ſuo Decreto Ritualem ſuum Vicarium creat, exercitio Pontificalium, Parochorum Inſtitutione, pro cura animarum approbatione, ad Ordines promotione, Eccleſiarum ædificatione, ædificatarum conſecratione cohibet, dein vero eodem Decreto, quoad univerſa hæc, qua ſuo Rituali Vicario ad quinquennium Jurisdictionem confert, quod ipſum mox eodem anno ſub 28 Maji circularibus ad utriusque Ritus Clerum miſsis publicat, & ſimul præcipit, ut in Filialibus Græci Ritus Fideles annuum Proventum Latinis Parochis dependant, & Matrimoniis ſive ſit Græci Ritus Mas, ſive Fœmina Latini Ritus Parochi aſsiſtant, Stolaremque Proventum tollant. Quæ gravamina, eaque cum multarum animarum æternæ Salutis periculo connexa jecerunt tandem neceſſariam anſam, quod Epiſcopus Munkacsienſis cum Univerſitate ſui Cleri, & Populi

puli

puli per Deputatum ſuum ad hoc munus delegatum coactus fuerit Regiæ Aulæ pulſare portam, & pro ſalutari remedio Auguſtæ Dominæ implorare Clementiam.

§ VI. Munus præattactum communi voto Venerabilis Cleri delatum fuit Domino Joanni Bradács, eo tum Cathedralis Eccleſiæ Munkacsienſis Archi-Diacono, & Sacro-Sanctæ Theologiæ Scholarum Munkacsienſium Profeſſori, qui etiam omnia negotia, quorum intuitu Viennam ad Suam Majeſtatem Cæſareo-Regiam erat expeditus, cum proſpero eventu, & felicisſime promoverat, quemadmodum e Benignis Reſolutionibus luculenter patet. De cujus geſtis nonnulla recenſita habentur. Parte Tertia Capite XII. pag. 113. reliqua, eaque magis præcipua fuſius cum provocatis concernentibus infra exponenda venient.

CAPUT VIII.

Epiſcopus Michael Manuel Olſavſzky ingraveſcente ætate ſua, exantlatis in munere Epiſcopali laboribus, laſſatus, & jam ejusmodi muneri deinceps continuando minus ſufficiens, ſupplicat apud Majeſtatem Regiam, ſibi Coadjutorem clementer reſolvi, una & Succeſſorem Joannem Bradács, quem etiam ita reſolutum Sua Majeſtas Summo Pontifici confirmandum præſentare dignata eſt, perhibentibus ad Cardinalem Alexandrum Albani exaratis literis, quæ ita ſonant:

E MARIA

MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Regina Apoſtolica; Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & Würtembergæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, & Goritiæ &c.

Reverendiſsimo in Chriſto Patri Domino Alexandro, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Diacono Cardinali Albani Amico, & cognato Noſtro chariſsimo ſalutem cum omnis Boni Incremento. Reverendiſsime in Chriſto Pater, Amice, & cognate chariſsime: Siquidem Michael Olſavſzky modernus Græci Ritus Unitorum Epiſcopus Munkacsienſis ob gravem ætatem ſuam, laſſatasque exantlatis in Munere ſuo Epiſcopali laboribus, tam animi, quam corporis vires, continuando ejusmodi muneri ſemet non amplius ſufficientem declaraſſet, exindeque pro ſublevandis ſenilibus, & infirmis viribus ſuis auxilium reſolvendi ſibi idonei Coadjutoris apud Majeſtatem Noſtram identidem demiſſe imploraſſet, ac una manifeſtam in mora periculum foret; Nos itaque interea etiam, quoad videlicet dictus Epiſcopatus Mnnkacsienſis ſuo modo Canoniſetur, cujus procurandi celerioris effectus Suam Sanctitatem hic adnexis litteris Noſtris rurſum efficaciter reflectimus, pro ea, qua in deligendis, & conſtituendis Eccleſiarum Dei legitimis Paſtoribus tenemur cura, & ſollicitudine per benignam habentes rationem, ad præclaras virtutes, laudatosque, & acceptos mores, Doctrinam item, & Eruditionem, omnibusque gratam exemplaris vitæ conſue-

ſuetudinem, cæterasque Animi Dotes Fidelis Noſtri honorabilis Joannis Bradács, Græci Ritus Unitorum in Diſtrictu Munkacsienſi Archi-Diaconi Cathedralis, ac Scholarum Munkacsienſium Theologiæ Profeſſoris, quibus ipſum ab Altiſsimo inſignitum, & ornatum eſſe nonnullorum Fidelium Noſtrorum Fide digno Teſtimonio, ac etiam efficaci memorati Michaelis Olſávſzky recommendatione Benigne cognovimus, Eundem Joannem Bradács tanquam Perſonam idoneam, Nobisque hoc nomine gratam, & acceptam, erga humillimas quoque antelati Michaelis Olſavſzky Epiſcopi Munkacsienſis ea ratione apud Majeſtatem Noſtram interpoſitas Preces, in Ejusdem Epiſcopi, & Epiſcopatus Munkacsienſis Coadjutorem, & Succeſſorem perpetuum, authoritate Juris Patronatus Noſtri Regii, quod generaliter in conferendis Univerſis ejusdem Regni Noſtri Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum Eccleſiis, & Beneficiis, deligendisque Eorum Paſtoribus inſtar Divorum quondam Hungariæ Regum, Prædeceſſorum videlicet Noſtrorum felicis reminiſcentiæ, optimo Jure habere, & exercere dignoſcimur, Clementer nominavimus, & conſtituimus, quem etiam pro Noſtra; Majorumque Noſtrorum veteri conſuetudine Summo Pontifici pro conſequenda cumprimis Apoſtolica confirmatione, & impertienda neceſſaria Jurisdictione, tum pro tribuendo Eidem in Partibus tali Epiſcopali Titulo, ad quem nimirum Ritu Græco, interea quoque conſecrari, & Muniis Epiſcopali Ordini competentibus in eodem Ritu Græco rite defungi poſsit, ea cum expreſſa declaratione præſentamus, & commendamus: Ut in caſum mortis præ-

E 2 dicti

dicti Michaelis Olſavſzky actualis Epiſcopi Munkacsienſis præfatus Joannes Bradács per Nos nunc pro tunc nominatus, & conſtitutus Ejusdem Coadjutor, & Succeſſor, cum pleno Jure, & ſine ulterioribus Donationalibus, aut confirmatoriis Litteris in prænuncupatum Epiſcopum Munkacsienſem ſuccedere, Bonisque, & Juribus Poſſeſsionariis ubivis cum Corona Regni Noſtri Hungariæ exiſtentibus, Jurisdictionibus denique, & Immunitatibus ad eundem Epiſcopum Munkacsienſem de Jure, & ab antiquo pertinentibus, & ſpectare debentibus gaudere, fruique possit, ac valeat. Cujusmodi Litteras Noſtras Præſentatorias Reverendiſsimæ Paternitati Veſtræ ſine eo præſentibus advolvimus, ut has Suæ Sanctitati nomine Noſtro indilate exhibere, & ad effectum celeriorem earundem ſedulam quoque operam ſuam adjungendo, primo quidem ſuprafato a Nobis conſtituto Coadjutori, & Succeſſori perpetuo Apoſtolicam confirmationem, & neceſſariam in Spiritualibus adminiſtrandis Jurisdictionem; Dein vero quemdam in Partibus Titulum Epiſcopalem, ad quem Ritu Græco conſecrari poſsit; ac demum quia idem Coadjutor nullis adhuc reditibus proviſus eſſet, ſolitas circa præmiſſa expeditiones gratis, & absque ſolutione Taxæ quantocyus exoperari, & nihilominus ipſam quoque prærepetiti Epiſcopatus Munkacsienſis Canoniſationem ultronee ſerio promovere, & adurgere circa ipſum Canoniſationis negotium prioribus noſtris rurſum inhærendo; jam in præcedentibus Benignis Litteris Reverendiſsimæ Paternitati Veſtræ expoſita Rationum momenta Sedi Pontificiæ denuo explanare,

nare, atque ut petitioni Noſtræ circa Epiſcopatus Ejusdem Canoniſationem, absque remora locus detur, declaratione inſiſtere velit Eadem Reverendiſsima Paternitas Veſtra. Cui cæterum Benevolentiſsimam Noſtram in omnigenum felicitatis cumulum, voluntatem ſincere deferimus, & confirmamus. Datum in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ die nona Menſis Maji Anno Domini 1767. Expeditum die 17. Julii. Reverendiſsimæ Paternitatis Veſtræ. Reverendiſsimo in Chriſto Patri Domino Alexandro, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diacono Cardinali Albani, Miniſtro Plenipotentiario Noſtro, & Germaniæ, ac Hæreditariarum Cæſareo-Regiarum Provinciarum Comprotectori, & cognato Nobis Chariſsimo. Romæ. Ex Officio.

CAPUT IX.

Quæſtione quoad Canoniſationem Epiſcopatus adhuc non dum ſuperata, Summus Pontifex modo dumtaxat proviſorio, ne ſcilicet quempiam in cura animarum defectum enaſci contingeret, duplicis ordinis Brevia erga præattactam Præſentationem Regiam confeſtim ſub dato 27 Januarii anni 1768. ad Suam Majeſtatem expediri ordinavit, quorum contextu nominato Epiſcopo Joanni Bradács qua Vicario Apoſtolico confertur Jurisdictio in populum Ditionis Munkacsienſis Unitum, tribuiturque facultas Conſecrationis ſuſcipiendæ ad Titulum Epiſcopatus Roſſenſis.

 Utrum-

Utrumque hoc Breve accepit prænominatus Epiſcopus a Sua Majeſtate cum hocce Benigno Mandato ſibi traditum.

MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Regina Apoſtolica; Archi-Dux Auſtriæ T. T.

Reverende, Fidelis Nobis Dilecte! Ne interea quoque, donec Quæſtio Canoniſandi Epiſcopatus Munkacsienſis ſuo modo ſuperari poſsit, in cura Animarum Græci Ritus Unitorum quispiam Defectus enaſcatur, duplicis Ordinis Bullas, ſeu Brevia Pontificia, quorum uno Epiſcopatus Roſſenſis in Partibus Inſidelium, altero item Vicarii Apoſtolici Poteſtas in Unitos Ditionis Munkacsienſis Vobis defertur, in iſthic annexis eo cum benigno Mandato Vobis transmittimus: quatenus virtute unius quidem Exercitium Jurisdictionis Veſtræ Spiritualis illico inchoare poſsitis; Contextu vero alterius a quocunque viciniore Græci Ritus Uniti Epiſcopo cum Sacra Sede Romana Communionem habente, ſervatis ſervandis, Græco Ritu Veſtro, ſine ulteriori dilatione, primo, quo fieri poteſt, Tempore, Beneficium Conſecrationis recipere noveritis. Vobis in reliquo Gratia Noſtra Cæſareo - Regia benigne propenſæ manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ die decima quinta Menſis Februarii, Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo octavo. Maria Thereſia m. p. Comes Georgius Fekete m. p. Joſephus Jablanczy. Reverendo Joanni Bradács Græci Ritus Unitorum Epiſcopo Munkacsienſi, Fideli Nobis Dilecto.

E' præ-

E prælaudatis Brevibus Pontificiis Unum illud eſt:

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Pro Noſtri Paſtoralis Officii munere iis potiſsimum invigilare debemus, quæ curam Chriſti Fidelium, ut in viam mandatorum Domini ad ſalutem animarum dirigantur, omnino reſpiciunt. Itaque de Tuis fide, prudentia integritate, Doctrina, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, ſperantesque, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, cumulate ſis expleturus. Te pro Græcis in Ditione Munkacsienſi, aliisque locis aquiſitis in Hungaria commorantibus Vicarium Apoſtolicum cum Jurisdictione, juribus, & facultatibus neceſſariis, & opportunis Auctoritate Apoſtolica Tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit quovis modo in futurum, ut tibi in præmiſsis prompte pareant, & obediant, tuaque ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apo-

ſtoli-

ſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſsis, ac de verbo, ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Januarii M. D. CC. L. XVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimo. Dilecto Filio Joanni Bradács Presbytero Sæculari, ac Archi-Diacono Munkacsienſi Electo Roſſenſi. A Cardin. Higvonus.

CAPUT X.

§ I.

Interea hujus voti ſui compos factus Michael Manuel Olſavſzky dum reditum Succeſſoris ſui Clementer jam reſoluti Vienna in dies avidiſsime præſtolaretur, qua die horis pomeridianis Nominatus Succeſſor Munkacsinum appulerat, eadem ille adhuc ante meridiem vitæ curſum terminavit. 6. Novembris, ſeu ſtylo veteri die 25. Octobris Anno 1767. (Vide partis III. paginam 112.)

§. II. Vir hic magnus omnino Eccleſiæ Catholicæ Athleta fuit, ſtrenuusque Sacræ Unionis Defenſor, & Propagator. Summo ſemper in id contendebat ſtudio, ut populum

ſibi

ſibi commiſſum in doctrina ſana, & Fide Orthodoxa zeloſe enutritum ſtabiliter conſervare, & ampliare poſsit, quem in finem cuncta impedimenta, omnemque offenſionis lapidem ab eo removere conſtanter ſatagebat.

§. III. Porro ſui cum Clero erga Latinum Epiſcopum ſubjectionem, atque ab eodem dependentiam præcipuum eſſe Sacræ Unionis propagandæ, conſervandæque impedimentum, perſpicue cernens, pro eo ſufferendo, quæquæ potuit, cuncta ſuis Locis fortiter egit, aſsidue apud ſe animo volvens; quærensque: quis fructus? quæ utilitas? quod ex dependentia hac Sacræ Unionis incrementum? an non potius ex adverſo luctuoſiſsima exempla enarant, eam eſſe ſumme perniciofam? Luget, lugebitque Tranſylvaniæ Græci Ritus Eccleſia, de amiſsis plus, quam ſexaginta millium animarum ad ſchisma relapſis metu ſubjectionis Ritus Græci Ritui Latino; ſentit dolorem vix unquam leniendum Magno-Varadinum, quod ex multis millibus animarum Sacræ Unionis perexiguum manipulum lacrymabundis contucatur oculis. Sentit acerbi doloris hujus partem Comitatus quoque Sathmarienſis, quia ſpatio dimidii anni undecim circiter millia animarum perſuaſione illius metus (Sophronio quodam Sarabaita authore) ſeducta ab obedientia Sanctæ Matris Eccleſiæ deſciverant, æternum procul dubio ſub jugo Dæmonis in caligine Schismatis manſura, niſi Præſul hic cum Decreto Auguſtæ Dominæ Mariæ Thereſiæ, qua Commiſſarius Regius ad faciem periculi excurrens, lapſis manum porrexiſſet, & ſalutari Doctrina ad

Ovile Chriſti errantes reduxiſſet. (Verum de hoc remitto benevolum Lectorem ad Partis tertiæ paginam 47, 48. &c.) atque relegat Sermonem Ejusdem Præſulis de Sacra Unione, ad præfatum populum, habitum.)

§. IV. Denique acerbum hunc ſenſit dolorem Hajdonicale Oppidum Dorogh nominatum, Antemurale Sacræ Unionis Præſidium, in quo alienis a Sacra Unione primos aſſultus tentare incumbebat, ut in gremium Ovilis Græci Ritus inſiliant, & præda potiantur: Aſt proh dolor! quam vix non a ſæculo aſſequi non poterant viam, hanc Circulares Epiſcopi Agrienſis de Subjectione Epiſcopi Græci Ritus cum ſuo Clero, & populo vulgatæ aperuerunt: Virginea, & ne unius quidem Schismatici in gremio prælibati Oppidi habitatione, contaminata fuit Eccleſia Dei Doroghienſis usque ad publicationem hujus ſubjectionis; at cum ad aures populi penetravit, clavis effecta eſt, qua porta aperta eſt, aliquot centenis animabus ex Ovili Chriſti elabendi, quibus reducendis eſto quidem Auguſta Domina admoverat efficacia media per ſuum Commiſſarium Comitem Döry, verum adeo vacua ſpe, ut metu illius ſubjectionis Ritus Græci a Latino Epiſcopo jam obfirmati, & ex hac ſubjectione Græcum Ritum prorſus jam jam abolendum arbitrantes, hi vix unquam, qui Schisma ſpe liberioris Exercitii Græci Ritus ſub Epiſcopis Schismaticis amplexi ſunt, reducendi, ſperari potuiſſent, niſi præſtita aſſecuratione de ſufferenda ſubjectione illa.

§. Vi.

§. V. Videbat ſiquidem populus oculis corporeis, experiebaturque, quid ageretur in 13. Parochiis in Scepuſio, item in Comitatu Tornenſi, & Gömörienſi a Jurisdictione Epiſcopi Græci Ritus avulſis, & Jurisdictioni Latini Epiſcopi ſubjectis; quodnempe cum populo ipſe quoque Clerus Græcus nec Græcum plene, nec Latinum, verum exoticum quoddam medíum ſequatur, quo exemplo facile metitur ſe quoque, ſi Latinis Antiſtitibus ſubjectio Græci Ritus tribuatur, pari periculo amittendi congeniti ſibi Græci Ritus propediem in volvendum atque hoc metu concuſſus dificile admodum in Ovili Chriſti contineri, minusque ex eo jam elapſus ad idem reduci poterit.

§. VI. Præſul Joannes Bradacs ſui in omnibus Prædeceſſoris veſtigia premens, non remiſit, ſed auxit magis Sacræ Unionis promovendæ ſtudium. Hic per Meletium Kovacs Magno-Varadinenſem Epiſcopum die 20. Aprilis (Anno 1768. in Eccleſia Maria Pócsenſi conſecratus, cuncta Cleri negotia via jam aliunde præſtrata ultroquoque promovere, atque ſolicitare adorſus eſt; & quæ non dum exacte qua Deputatus perficere prius poterat, ea ut jam Præſul ad deſideratum finem perducere omni conamine ſatagebat, qui etiam graviſsimis rationum momentis Reginam Apoſtolicam permovit, ut omni tandem in contrarium dubitatione penitus abrupta, Epiſcopatum Munkacsienſem priſtinis ſuis juribus reſtituere, & Epiſcopum a ſubjectione erga Antiſtitem Agrienſium, ac dependentia prætenſa eximere decreverit, ac etiam negotium iſthoc una cum ſui

deliberati hujusce declaratione Romam ad Summum Pontificem promoverit, quatenus hanc ſuam determinationem ſua ſanctitas velit ratificare, præatactum Epiſcopatum Munkacsienſem reſtabilire, noviterque canoniſare. Id ipſum per Inſtantiam, & per ſuum Agentem repetitis vicibus (ut ſubſeque luculenter patebit) ſolicitare, & adurgere dignata eſt Sacratiſsima, & Apoſtolica Sua Majeſtas.

CAPUT XI.

Motiva pro Reintegrando, ac Canoniſando Epiſcopatu Munkacsienſi Clementi Papæ XIII. per Stephanum de Angelis Advocatum Romanum, & Aloyſium Cocquelines propoſita, & Romæ Typo Rev. Cameræ Apoſtolicæ anno Milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo octavo excuſa.

Beatiſsime Pater!

I. Pro eo, quo Sereniſsima Regina Apoſtolica fervet zelo propagandæ, atque firmandæ Catholicæ Religionis in ſuo Hungariæ Regno, inſtitit duos ante annos apud Sanctitatem Veſtram pro Munkacsienſis Epiſcopatus Ritus Græco Rutheni cum S. R. E. Uniti canoniſatione ſeu potius reintegratione, iis innixa ſolidiſsimis rationum momentis, quæ non ſemel ſuis adduxit Regiis in Litteris, ac præſertim in nuperrimis: quas ſeorſivo folio ſignato Litt. A. noſtro ſummario præmittimus.

2. Non

2. Non ii ſumus, qui rationes hujusmodi aliqua indigere probatione putemus, aut ſubſidiaria ope alicujus noſtræ allegationis; novimus enim non modo in caſu redintegrationis de præſenti ab aliquo jam tempore Eccleſia, ſed etiam in nova Cathedralium erectione deferendum Principum petitionibus eſſe: Quippe qui ſolo fine moti procurandæ ſalutis Animarum, quæ ſuo ſubjectæ dominio ſunt, preces hujusmodi porrigunt; Ideoque peculiarem S. Sedis Apoſtolicæ benignitatem merentur experiri, ut advertit Cardinalis de Luca de præeminent. diſc. 6. numer. 14, & 15. Quare noſtri Conſilii illud eſſe debet, certiſsimis documentis demonſtrare, præextitiſſe aliquot a Seculis Munkacsien. Græco Rutheni Ritus Epiſcopatum, auctoritate poſtmodum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ confirmatum, & e re Catholicæ Religionis eſſe, eum denuo reſtituere, eoque pacto Reginæ Apoſtolicæ petitis annuere.

3. Primos Chriſtianæ fidei Aſſeclas in Pannonia Græcos, ſeu Ruthenos fuiſſe, nemo ullus inficiabitur, niſi fidem omnem Hiſtoricis rerum Hungaricarum velit abrogare. Taurunum, quod Tauriſcis nomen dedit Albam Græcam a Geographis appellari nemo ullus ignorat; Velograd aut Bielgrad Rutheno idiomate dici nunc ſolet: quod latine eſt Magna Civitas, & alba Civitas: Sic etiam nonnullæ aliæ Civitates in eodem Hungariœ Regno antiquam Ruthenam retinent appellationem, cujus generis ſunt Alsó Fölsö Oros-vár, quæ latine dicitur Civitas Ruthenorum.

4. Cele-

4. Celebris præterea Romæ eſt memoria SS. Cyrilli, & Methodii, qui a S. Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano, & Michaele II. Imperatore ad Gazaros, ſeu Garzaros, quæ eſt pars Tranſylvaniæ, Moravosque miſsi, ut gentibus illis Chriſti Evangelium prædicarent, peragratis iis Regionibus, & quamplurimis Sacro Fonte ablutis, & regeneratis tandem adinventum a ſe S. Clementis PP. I. corpus Romam detulere Sæculo IX. qua quidem in Urbe, cum mortem obierit Cyrillus, qui etiam Conſtantinus Philoſophus ſolet appellari, in ejusdem Sancti Clementis Eccleſia tumulatur, ibique nunc quoque colitur, teſte poſt quamplurimos Rondinino in Hiſtoria, quam ſcripſit, hujus Eccleſiæ: Teſtimonio enim Curopalatis, Zonaræ, aliorumque Scriptorum Græcorum uti nolumus, ne quis eos pro gentis ſuæ gloria commenta ſcripſiſſe ſuſpicetur.

5. In Martyrologio Romano, quod eruditiſsimus Pontifex Benedictus XIV. caſtigavit, ſic legitur: „ In Moravia „ SS. Cyrilli, & Methodii, qui multas illarum Regionum „ gentes cum earum Regibus, ad fidem Chriſti perduxerunt: Ibi ad diem 9. Martii. „ Probatiſsimum autem eſt, Moraviam & finitimam eſſe Bohemis, Hungarisque, & commune cum Bulgaris, Serviis, aliisque conterminis Populis idioma habere, unoque nomine Populos illos paſſim Slavos appellari.

6. Narrat Dlugoſſus miſſos a Michaele Imperatore Methodium, & Cyrillium „ qui Duces, & gentem Slavonicam

„ tum

„ tum primum ad fidem convertunt, ſcripturas de Græco „ in Slavonicum transferunt, Sacra in vulgari Slavonica „ peragenda inſtituunt lingua, Sedem Pontificalem apud „ Wielograd ponunt.“ Hiſt. Polon. lib. I. fol. mihi 55. Dlugoſſo ſubſcribunt Bolandiſtæ, qui ſub die 9. Martii in Vita SS. Cyrilli, & Methodii hæc narrant: „ Ratislai „ Moraviæ Principis precibus annuens Imperator Michael, „ eundem ſupernominatum Philoſophum Cyrillum ad ſe ve„ nire rogavit, eumque illuc, id eſt in terram Slavorum „ ſimul cum Methodii germano ſuo transmiſit copioſis valde „ illi de Palatio ſuo datis expendiis.“ Atque hoc idem teſtantur acta S. Theodoræ Auguſtæ Matris ejusdem Michaelis Imperatoris relata ſub die 11. Februarii; adduntque Baronio teſte ex Regeſtro Joannis VIII. PP. ſatis apparere, Methodium fuiſſe Slavorum Epiſcopum.

7. Præſtat quoque referre, quæ leguntur in proprio Sanctorum Eccleſiarum Pragenſis in Bohemia, & Gnesnenſis in Polonia in ſecundo Nocturno lect. 3. ſicque ſe habent: „ Cyrillus aſſumpto Fratre Methodio longum iter in„ greſſus &c. Ad Moravos deinde ambo non ſine Corpore S. Clementis perveniunt, Svatoplugum, quem alii Svatopelgum dicunt, Regem Velogradi Sedem habentem cum ſua gente baptizant, quin & Bohemiæ Ducem Borzivolum cum ſua Uxore S. Ludimilla eodem ſacro lavacro tingunt. Archi-Epiſcopus Velogradi Cyrillus ordinatur, cui adduntur in amplo Svatoplugi Regno ſeptem alii Suffraganei Epiſcopi. Has autem Lectiones a Sac. Rituum Congregatione, &

Ur-

Urbano PP. VIII. approbatas fuiſſe inſtante Franciſco Cardinali a Dietrichſtein, qui eas univerſo Moraviæ Clero recitandas propoſuit, teſtantur Bolandiſtæ loco citato.

8. Conſtat igitur, plurimos in Pannonia, quæ nunc Hungaria eſt, Chriſtianos Ruthenos Græci Ritus fuiſſe, quippe qui a Græcis Cyrillo, & Methodio per Patriarcham C. P. S. Ignatium, & Michaelem III. Imperatorem Orientis in Pannoniam ablegatis Evangelii lucem ſuſceperint. Conſtat etiam Cyrillum Velogradenſem Archi-Epiſcopatum gubernaſſe, ſeptemque habuiſſe ſuffraganeos, quos omnes Græci Ritus aſſeclas fuiſſe, ſi quis inficias eat, huic profecto ipſa in meridiana luce lubet cæcutire. Clerum autem Græci Ritus eo in Regno ſequentibus ſæculis perduraſſe, probant Leges ab Apoſtolicis Regibus latæ, quas refert Bonfinius in ſua Hungaria. „ Bigamos Presbyteros, „ & Diaconos jubemus ſeparari, & peracta pœnitentia ad „ ordinem ſuum reverti. S. Ladislai Decret. lib. primo „ cap. primo de Bigamis Presbyteris, & Diaconis-Bigami, „ & Viduarum, vel repudiatarum Mariti a Conjugiis ces„ ſent illicitis, vel a Cleri excludantur conſortiis. Coloman. Decret. lib. I. “

9. Non inficiamur, S. Stephanum Regem, qui duo fere poſt ſæcula Sacro fuit fonte ablutus cum quamplurimis Hungaris ſuo ſubjectis Dominio, nonnullos eo in Regno conſtituiſſe Epiſcopos Silveſtro II. Romano Pontifice approbante, quos quidem Epiſcopos Latini Ritus fuiſſe, exploratum

ratum eſt. Hæc autem Latinorum Epiſcoporum deputatio nullum nobis faceſcit negatium. Neque enim Cyrillo, & Methodio univerſi, qui Pannoniam incolebant Populi converſionem ad Chriſti fidem tribuimus: nec præterea negamus, exprimis illis Chriſtianis aliquos in Idolorum cultum vicinæ idololatræ gentis, quæ Provinciam illam tunc temporis invaſit, vi fuiſſe adductos. Quamplurimos vero conſtantes in ſuſcepta jam pridem fide perſeveraſſe ſub ſuorum Epiſcoporum, quos laudati Cyrillus, & Methodius conſtituerant, teſtantur Hiſtorici ferme omnes. Hoc probant quoque Pilgrini Archiep. Laureacenſis (quem nonnulli Pragenſem nominant) Litteræ a Pagio relatæ in Critice Baronii ad annum 979. n. 7, iisque luculentiſsime edocemur, laudatum Pilgrinum „ ad fructificandas Deo Gentes „ ex Novitiis cultoribus Fidei Ungrorum, atque Moravorum „ &c. illic Ordinatis Epiſcopis Secundum quod Antiquitus diſpoſiti erant " eis conſtituiſſe Archi-Epiſcopum. Adalbertum quoque Pragenſem Archi-Epiſcopum Geyſa, qui fuit S. Stephani Regis pater, Regnante in Pannoniam profectum Chriſtianos ibi nec paucos adinveniſſe, narrant Rerum Bohemicarum Scriptores, cum quibus mira conſenſione conveniunt, qui Hungaricam Hiſtoriam ſcripſere, duce Bonfinio, qui „ & ex eo, inquit, tempore in „ Hungarica gente Lux Divina latius emerſit. Rer. „ Hung. decad. II. lib. I. " Dicendum itaque eſt, S. Stephanum novos iis tantum Urbibus præfeciſſe Epiſcopos, ubi novorum Chriſtianorum copia poſtulabat: & hoc pacto, pro Slavis jam a SS. Methodio, & Cyrillo conſtitutis Epi-

ſcopis, alios pro Latinis fuiſſe Præſules ſuper inductos. eosque Latinos a Romano Pontifice qua Occidentis Patriarcha conſtitutos.

10. Hoc idem in Lithvania factum ſcimus ſæculo decimo quarto, ubi licet eorundem S. Cyrilli & Methodii opera quamplurimi jam dudum abdicato Idolorum cultu Chriſti Fidem, Græcumque Ritum amplexi fuiſſent; & ab ejusdem Græci Ritus Epiſcopis regerentur. Wladislaus tamen Jagello cæteros Ducatus illius incolas nuperrime ab Idololatria abductos, Latinoque Ritu baptizatos Latinis nonnullis tunc primum inſtitutis Epiſcopis regendos tradidit: Nihil enim obſtare æqua lance putavit religioſiſsimus ille Princeps, diverſorum Rituum aſſeclas, atque Epiſcopos, eadem in Provincia, atque etiam Diœceſi commorari, dummodo una Fides eſſet, unique capiti ſubjectos ſe ſinguli profiterentur; nondum enim in Chriſti gregem irrepſerant odia, contumeliæ, & contentiones, quæ illum poſtmodum varias in partes diſcerpſere, quærentibus nonnullis, quæ ſua eſſe putant, non quæ Jeſu Chriſti: quæ quidem odia, & contumeliæ Chriſti Eccleſiam ſequentibus ſæculis adeo lacerarunt, ut Daniam, Angliam, Sueciam, Hollandiam, aliaque nobiliſsima Regna, vaſtiſsimasque Regiones ab illius ſinu horrendo ſchismate avulſerint.

11. Multo etiam minus obſtare poſſe videtur ex Ruthenis a Cyrillo, & Methodio ad Chriſti Fidem converſis nonnullos in Idololatriam non multo poſt fuiſſe relapſos,

quod

quod paulo ante innuimus, veritatem præ cauſæ defenſione amantes. Idem enim infortunium in Hungaria apud Chriſticolas Latini Ritus paſſum fuiſſe Evangelium poſt Sancti Stephani Regis obitum, teſtatur Baronius, apud quem hæc leguntur: „ Hungari concitati a Regni Proceri- „ bus non ſolum iterum a Rege deficiunt, ſed & Andream „ exulem revocantes Regem conſtituunt, a quo impetrant „ etiam diabolico furore perciti, amoti ſenſu rationis, ut a „ Chriſtiana Religione deficiant, &c. In Chriſtianos quo- „ que graſſantes, & in Eccleſias irrumpentes, iisdem ſpo- „ liatis, & incenſis, eorum Clericos, ſive Monachos " quos quidem Baſilitas fuiſſe exploratum eſt, atque Græci Ritus (nondum enim eas in Regiones penetraverant Monachi Benedictini) diris ſuppliciis affecere &c. Baronius ad An. 1047. num. XVII. Quo itaque modo deficiente poſt S. Stephanum, ſive parva, ſive magna Latinorum parte a Fide Chriſtiana, defeciſſe quoque Ritus ejusdem Antiſtites nemo ullus auderet affirmare; ſic etiam delirare videretur, qui relapſa vel poſt Cyrilli & Methodii prædicationem, vel poſterioribus temporibus Rutheni Populi parte aliqua in Schisma Ruthenos quoque Epiſcopos defeciſſe aſſereret.

12. Profecto continuatam ſine interruptione ad noſtra usque tempora Epiſcoporum Græci Ritus in Hungaria, ac præſertim Munkacsienſium ſeriem per nos probari frequentiſsimæ Regni ejusdem revolutiones, Bella, incendia, depopulationes, & Archivorum direptiones, graſſantibus præſertim Turcarum & Rebellium incurſionibus, minime ſi-

nunt; quam quidem Provinciam ſi Latini quoque Epiſcopi pro ſe adminiſtrandam ſuſceperint profecto vano labore deſudabunt, eisdem vepribus impediti. Conſtat in facto hodiedum Octo in Hungaria eſſe Epiſcopos Græci Ritus ſuis in Diœceſibus reſidentes, qui nulli mode Latinis dependent ab Epiſcopis, ſed ſuo ſubjecti Metropolitæ (qui C. P. Patriarchæ dumtaxat in ſe Superioritatem agnoſcit) peculiarem conſtituunt Hierarchiam a Latinis diſtinctam, atque diviſam. Munkacsini autem proprium, eumque Ordinarium fuiſſe Epiſcopum circa initium Sæculi XVII. Baſilium Taraſſowicz, ſatis oſtendunt documenta in S. Nunciatura Viennenſi producta, eumque anno 1634. Ruthenis Munkacsienſibus præpoſitum a Georgio Rakoczio, qui etiam minis, & afflictationibus ſuas, & Calvinianorum in partes illum adduxit. Baſilius autem paulo poſt pœnitentia ductus Sanctamque unionem cum R. E. profeſſus, ab ipſo altari cum ſacris operaretur raptus obſcurum detruditur in Carcerem, ex quo ea ſola educitur conditione, ut Epiſcopatu Munkacsienſi ſe abdicaret.

13. Vita functo Baſilio Taraſſowicz, licet Calviniſtæ omnia ſus deque miſcerent, ut Catholicam Fidem proſternerent, Græcosque SS. Patrum doctrinis, ac traditionibus quam maxime adhærentes ſuas in partes trahere, qua minis, qua blandiciis ſumma contentione niterentur; factum tamen eſt divina diſponente gratia, ut ſexaginta tres Archi-Presbyteri Rutheni ope, & Patrocinio ſuffulti Archi-Epiſcopi Strigonienſis, una ſimul in Concilio Tyrnaviæ ad hoc habi-

habito, Catholicæ Fidei profeſsionem emitterent, & unionem renovarent anno 1646. Litterasque Innocentio X. Romano Pontifici anno 1652. darent tantæ rei nuncias, quæ leguntur Summario num. 1.

14. Duo vero potiſsimum hiſce in Litteris animadverſione digna eſſe videntur. Primum, quod in actu factæ a ſe unionis cum S. R. E. tres ſibi conditiones reſervaverint, quæ ſunt hujusmodi: „ Primo, ut Ritus Græcæ Eccleſiæ „ nobis ſervare liceat: Secundo, Epiſcopum a nobis ele„ ctum, & ab Apoſtolica Sede confirmatum habere. Ter„ tio, Immunitatibus Eccleſiaſticis libere frui. Ibid. litt. C. Alterum autem, quod peculiari conſideratione dignum eſſe prædiximus, illud eſt; nempe, præfatos ſaxaginta tres Archi-Presbyteros ad Epiſcopi Ritus ſui deveniſſe electionem, quam ſibi reſervaverant, ejusque confirmationem a S. Sede expoſtulaſſe clariſsimis verbis: Epiſcopi a nobis electi Petri Parthenii confirmationem, unanimiter, & humiliter petimus. Ibidem litt. E.

15. Novit Sanctitas Veſtra, nihil ſanctius Principibus eſſe, nec unquam fuiſſe Romanis Pontificibus, quam Fidem ſervare, quod cum animadverteret laudatus Innocentius X. Petri Parthenii electionem confirmare paraverat, ac fortasſe etiam confirmavit, ſi quid ex Succeſſoris Alexandri VII. Brevi mox laudando conjicere licet, aliisque ex documentis inferius recenſendis; ſed morte præoccupatus tam ſalutare Eccleſiæ Catholicæ opus perficere non potuit. Quare

laudatus Alexander VII. in ipſo Apoſtolatus ſui limine Archi-Epiſcopo Strigonienſi Georgio Lippay, a quo inſtantiſsimas hac ſuper re preces acceperat facultatem conceſsit, & quidem „ auditis Votis Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem in tota Republica Chriſtiana generalium Inquiſitorum, ac de eorundem Conſilio, ut dictum Petrum Parthenium a cenſuris abſolveret, in quas forſan incurrerat ob ſuſceptum a tribus Epiſcopis Schismaticis munus conſecrationis: Et quod potiſsimum animadvertendum eſt, eo fine abſolvendus erat, ut Pontificalia, ac alia Ordinis, & „ Jurisdictionis Epiſcopalis munera in Ruthenos Ritus Græ- „ ci, tam Munkacs, quam in aliis Regni Hungariæ locis „ &c. degentes exercere poſsit, & valeat.“ Summ. num. 2. litt. B.

16. Non defuit muneri ſuo Georgius Lippay animarum ſaluti apprime intentus, abſolutumque vigore Indulti Apoſtolici Petrum Parthenium a cenſuris Leopoldo Imperatori, ſeu Hungariæ Regi, commendavit. „ Qui quidem Leopol- „ dus, eum a S. Sede Apoſtolica confirmatum ad Epiſco- „ patum Munkacsienſem nominavit, eique adjudicavit De- „ cimas, Caſtella, Villas, Oppida, ad præfatum Epiſcopa- „ tum Munkacsienſem de Jure, & Ab Antiquo ſpectan- „ tes, & potiſsimum in Comitatibus Beregh, (in quo eſt „ ſita Civitas Munkacs) Szabolcs, Ugocza, Szátmar, Zem- „ plin, Ungh, Aba-Ujvár, Sáros, Torna, Sepes, & de Gömör, Summario num. 3. litt. A. E. & D. Qui quidem

Comi-

Comitatus Munkacsienſem Diœceſim ad hanc usque diem ſemper conſtituerunt.

17. His itaque munitus copiis Archi-Epiſcopus Strigonienſis Apoſtolica ſcilicet, & Regali ſuffultus auctoritate, Encyclica ſua Epiſtola Tyrnaviæ data die 4 Januarii 1660. mandavit omnibus, & ſingulis, „ ut dictum Reverendiſsimum „ Parthentium pro vero, legitimo; & Catholico Epiſcopo „ Munkacsienſi &c. agnoſcerent. Summ. num. 4. litt C. „ & D. Omnibus vero Sacerdotibus unitis, Archidiaconis, „ & Populo univerſo ubivis, & inquibuscunque Comita„ tibus in hoc Regno Hungariæ, ac partibus eidem adne„ xis degentibus, & commorantibus &c. comiſit, & man„ davit, ut Epiſcopum præfatum Munkacsienſem &c." tanquam legitimum immediatum animarum ſuarum Paſtorem agnoſcerent, eidemque condignum honorem, & obedientiam præſtarent. Ibid. litt. D.

18. Porro luculentius nullum documentum afferri poſſe putamus, quo clarius probetur, extitiſſe eo tempore Rutheni Ritus Epiſcopum Munkacsienſem, eumque Apoſtolica auctoritate confirmatum: quod ſpeciali modo paucos ante annos ſibi reſervaverant, laudati ſexaginta tres Archi-Presbyteri, in actu præſtitæ per ſe obedientiæ Apoſtolicæ Sedi, renovatæque cum S. R. E. Unionis, ignorantia quadam, vel temporum acerbitate, vel Turcarum primum tyrannide, mox rebellium Hæterodoxorum malitia, ſuaſionibus,

atque

atque perſecutionibus paulisper interruptæ, ſed nunquam totaliter diſſolutæ.

19. Accidit tandem infelici ejusdem Sanctæ Unionis cauſa, quod Petrus Parthenius mortem obierit, quo potiſsimum tempore Rakoczii rebelles Hungariam depopulabantur, ſuisque copiis bona ad Munkacsienſem Eccleſiam ſpectantia occupabant. Quare clar. mem. Cardinalis de Kolonitz Regni Hungariæ Primas animadvertens, Epiſcopum Munkacsienſem congrua ſubſtentatione deſtitui; Populum vero Ruthenum non niſi ab Antiſtite ſui Ritus poſſe gubernari, rem ad S. Sedem detulit: quæ anno 1689. Vicarium Apoſtolicum deputavit P. Joſephum de Camellis Monachum Ruthenum Congregationis Sanctiſsimæ Trinitatis „ pro Græ„ cis in Diœceſi Munkacsiana, aliisque loci acquiſitis in „ Hungaria commorantibus. " Summario n. 5. litt. A. cui poſtmodum alii quinque non abſimiles Vicarii Apoſtolici, ſucceſſore, ſuſpenſa ad interim remanente deputatione Epiſcopi Ordinarii: Trita ſiquidem juris regula eſt, per deputationem Vicarii Apoſtolici proviſionem Epiſcopi Ordinarii ſuſpendi ad tempus ſcilicet quousque opportunum Sedi Apoſtolicæ viſum fuerit, eidem Eccleſiæ de proprio Ordinario Epiſcopo providere: Epiſcopatum autem nullimode deſtrui, nec Eccleſiam ipſam quidquam de ſuis Juribus, aut Privilegiis amittere.

20. Hoc temperamento Gens illa Ruthena per octoginta fere annos conſentientibus Hungariæ Regibus per Epi-

ſcopum

ſcopum ſui Ritus, Jurisdictione ſibi a S. Sede delegata, nullique juxta notiſsimas Juris regulas Epiſcopo, ſed Romano dumtaxat Pontifici immediate ſubjectum directa eſt in Spiritualibus, atque gubernata. Animadvertens tamen Sereniſsima feliciter regnans Regina Apoſtolica e re Catholicæ Religionis apprime eſſe Munkacsienſem Ruthenum Epiſcopatum reſtituere, iteratas Sanctitati Veſtræ preces pro hujusmodi reſtitutione porrexit, Validiſsimasque rationes addidit ejus in Litteris perlegendas.

21. Quamvis autem hujusmodi rationes non intercederent, ac de novo etiam erigendo Epiſcopatu ageretur, adhuc tamen piiſsimæ Reginæ precibus eſſet annuendum; concurrunt ſiquidem in facto circumſtantiæ omnes, quæ pro novis erigendis Epiſcopalibus Eccleſiis requiri ſolent. Populi multitudinem urgentiſsimum eſſe novi erigendi Epiſcopatus Fundamentum eruitur ex Cap. Præcipimus 16. quæſt. 1. „ Præcipimus, ut juxta Sanctorum Canonum „ Statuta, ubi multitudo excrevit Fidelium, ex vigore „ Apoſtolicæ Sedis debeatis Ordinare Epiſcopos. " Sic quoque declaravit Joann. XXII. in Extravag. Salvator de Præbend. inter communes, quæ quidem hac in Materia norma, & Magiſtra eſſe ſolet, ſicque firmant Rebuffius in praxt. „ itde Erect. Eccl. in Cathed. num. 3. Moſconius „ de Majeſt. militantis Eccleſiæ Lib. primo cap. 15. Man„ doſius de Signat. Gratiæ §. Erectiones, Lotterius de re „ Benef. cap. 11. num. 23. & cap. 28. num. 24. Barbos. „ in Collect. ad Text. in cap. Præcipimus 16. quæſt. pri.

„ ma pluresque alii apud Solorzanium de Jure Indiar. „ Tom. 2. lib. 3. cap. 5. num. 6. Cauſa vero potiſsima eſt, quia attenta nimia populi multitudine, Epiſcopus regere illum minime poteſt; quare cum animarum ſalus valde periclitetur, conſulendum eſt Subditis, & huic malo occurrendum. cap. Petrus 39. diſt. Clement. Unic. vers. Aut talis neceſsitas de Baptis. Mandoſius loc. cit. vers. Inſuper.

22. Diverſitas quoque linguarum in Populo urgentiſsimam præbet cauſam novæ erigendæ Eccleſiæ, quia ad officium Paſtoris pertinet invigilare, ne Oves pereant. „ Cap. tres perſonas 23. quæſt. 4. " Præterea rudes animæ majori indigent ſubſidio, & qui præficitur Epiſcopus, talis eſſe debet, ut pro diſcentium ingenio ſe ipſum poſsit aptare, & prædicationem ſuam pro audientium capacitate dirigere cap. Oportet 8. quæſt. prima, nihilque faciendæ hoc in caſu ſunt Regulæ Juris communis, ſi quæ obſtent, quia exiſtente neceſsitate ab iis receditur, cap. De obſerv. jejun. ad quæ notat, Frances de Eccles. Cathed. cap. 6. num. 272. & 174. „ Quod maxime procedit, ſi diverſi- „ tas linguarum fuerit inter Latinos, & Græcos, & Epi- „ ſcopus eſſet Latinus; tunc enim absque ullo dubio Epi- „ ſcopus Græcus conſtituendus eſſet &c. ut notarunt Butius „ in cap. Quoniam num. 22. Vivian. in rationali ad eum- „ dem textum vers. Etſi urgens; ea ratione quia nec „ Latinus Græcum, nec e contra Ordinare poſſunt, ex „ Text. in cap. Cum ſecundum de temp. ordin.

23. Ra-

23. Rationabilior vero ſit hujusmodi cauſa, ſi quando populus excreſcat ob converſionem Inſidelium, juxta communem Doctorum Sententiam innixam Textui in cap. Nulli 99. Diſtinct., & multo magis ſi populus, qui Sanctæ Unioni acceſsit, ſuum in Schismate vivens habebat Epiſcopum, juxta Concilium Carthagienſe III. Can. 65. & 66. ubi ſic legitur: „ Sane ut illæ Plebes, quæ converſæ ſunt „ a Donatiſtis, & habuerunt Epiſcopos ſine dubio conſulto „ Concilio habere mereantur. "

24. Omnia autem hæc motiva in ſpecie, de qua agitur, concurrere luculentiſsimum eſt. Munkacsienſis enim Diœceſis tredecim componitur Comitatibus, in quibus Oppida 822. Eccleſiæ unitæ 858. Parochi 689, animæ demum confeſsionis capaces 145107. numerantur, ut apparet ex notula in S. Viennenſi Nunciatura exhibita, quæ legitur præſenti Summario num. 6. atque etiam ex Litteris ad R. P. D. Aſſeſſorem S. Officii datis die 23. Octobris 1766. Adeſt quoque Linguarum, Rituumque diverſitas, Latini ſiquidem latina lingua, rituque utuntur, Rutheni vero Ritu Græco, Slavonicaque lingua divina Myſteria celebrant, cujusquidem Ritus, & linguæ peritiam nullam habent Epiſcopi Latini in tota, qua late patet Hungaria, ita ut an aliqui inter Ruthenos abuſus irrepſerint, aut aliquis Presbyter ſui Ritus ignarus ſit, aut eos intervertat, dijudicari ab illis nullomodo poſsit. Imo cum ſolius latinæ Eccleſiæ Ritus, mores, & conſuetudines calleant, ſi quid vident cum his minime convenire, abuſum, Vanam

Religionem, errorem, atque etiam hæreſim eſſe, falſo ſuſpicantur, & prædicant. Demum ejusmodi Rutheni novem ante Sæcula, & ſignanter ante renovatam anno 1646. unionem cum S. R. E. ſuum Ordinarium Epiſcopum habebant, quem & in poſterum habere ſexaginta ſex Archi-Presbyteri, de quibus ſupra verba fecimus, in actu renovatæ Unionis, tanquam peculiarem conditionem ſibi præcaverunt. " Summar. num. 1. Epiſcopum a nobis electum, & ab Apoſtolica Sede confirmatum habere.

25. Hinc vero potiſsimum factum fuiſſe credendum eſt, quod Sac. Congregatio de propaganda Fide acceptis Georgii Lippay Archi-Epiſcopi Strigonienſis literis anno 1651. decreverit, per eamdem Congregationem eſſe Innocentio PP. X. enixe deprecandum pro erectione Epiſcopatus Munkacsienſis adjecta ea nobiliſsima clauſula, „ ut „ tam notabilis animarum numerus ad viam Salutis redu- „ catur, & eo magis cum ſupradicti Sacerdotes, & populi „ proprio animi motu Unionem cum S. R. E. petant " ut legere eſt in Decreto ejusdem Sac. Congregationis " noſtro Summario num. 7. Significatum ſiquidem illi Congregationi minime fuerat, præextitiſſe jam pluribus a Sæculis Munkacsienſem Epiſcopatum, cujus Poſſeſſor fuerat Baſilius Taraſſowicz non ita pridem vita functus.

26. At præter allata urgentiſsima motiva reliquæ etiam concurrunt conditiones, quæ pro novis erigendis Cathedralibus requiri ſolent. Diximus ſuperius rei hujus normam,

mam, & magiſtram eſſe Extravag. Salvator. lib. 3. tit. 2. de Præbend. & Dignit. cap. 5. Tria juxta illius diſpoſitionem ſunt requiſita, ex quibus juſta cauſa novi erigendi Epiſcopatus reſultat. Primum, ac præcipuum conſiſtit in amplitudine Diœceſis; ita ut, ſunt verba præciſa laudatæ Extravagantis „ unus Paſtor ſingulorum vultus inſpicere „ nequeat, aliasque partes boni Paſtoris implere. " Hoc autem verificari in præſenti caſu, ſatis abunde demonſtravimus, quia Epiſcopi Latini, intra quorum Diœceſes Rutheni commorantur, nec Ritum Græcum, nec Slavonicam linguam callent, citata enim Extravagantis verba non de materiali tantum inſpectione intelligenda ſunt, ſed potius de formali. Quid enim præſtat vultum alicujus inſpicere, nec poſſe judicare bene, an male operetur, præſertim in incruenti Sacrificii, divinorumque Officiorum celebratione & in adminiſtratione Sacramentorum?

27. Alterum requiſitum eſt: ut locus; „ in quo facien- „ da eſt nova erectio, ſit talis, quod deceuter in eo Cathe- „ dra collocetur, tum in qualitate materiali loci, quum in „ redditu, & proviſione novi Epiſcopi, ac etiam in Po- „ pulo, & Diœceſi: de Luca de præeminent. Diſc. 6. & „ 50. " Porro Munkacsinum prænobilis Civitas eſt, ibique Cathedram eſſe, in qua anteactis temporibus Epiſcopi Munkacsienſes mox Vicarii Apoſtolici Pontificalia munia exercuerint, minime fas eſt dubitare: quod ſi hujusmodi Cathedra aliqua indigeat reparatione, aut Sacris ornari ſupellectilibus, id totum ex piiſsimæ Reginæ liberalitate

ſuppletum iri haud temere nobis promittimus. Populus quoque cui præficiendus eſt Epiſcopus, numerum centum quadraginta quinque millium ex æquat ut jam probavimus. Diœceſis autem tres decim amplisſimos Comitatus comprehendit; immo ſi ſtandum eſt asſignationi ab Archi-Epiſcopo Strigonienſi factæ anno 1660. juxta facultates ipſi ab Alexandro PP. VII. conceſſas, de quibus Summario num. 2. totam compræhendit Hungariam. Petrum ſiquidem Parthenium Epiſcopum præfecit: Sacerdotibus unitis, Archi-Diaconus, & Populo univerſo (Græci Ritus) ubivis, & in quibuscunque Comitatibus in hoc Regno Hungariæ, ac partibus eidem annexis degentibus, & commorantibus. „ Summ. num. 4. litt. D.

28. Quod vero ſpectat ad congruam Epiſcopi ſubſtentationem ex Allegatis coram de S. Nunciatura Viennenſi eruitur, præter Cathedraticum, quod a Ruthenis Parochis pendi quot Annis ſolet ſuo Epiſcopo, attenta tamen temporum varietate certam ad ſummam reduci nequit, novo creando Epiſcopo conſtitutos fuiſſe a piisſima eaque munificentisſima Regina Apoſtolica annuos florenos Rh. 3300. eidem ex menſa, quam ſubſidionalem vocant, perſolvendos. Nuper enim vita functo Vicario Apoſtolico floreni bis mille pendi ſolebant, ne S. Sedes Apoſtolica ejus ſubſtentandi Onere gravaretur. Hujusmodi autem asſignatio tutisſima eſt, ac ſtabilis, tum quod a Regio verbo & Decreto pendet, quod eſt perpetuum, atque inviolabile, tum etiam quod aliis Eccleſiaſticis inſervit, & præſertim Vara-

dienſi

dienſi Epiſcopo cui ſimili Regio Decreto ab eadem Caſſa ſolvuntur ſingulis Annis 17. M. floreni, quæ totalis eſt Epiſcopi ejusdem ſuique Capituli ſubſtentatio.

29. Tertium denique requiſitum eſt, ut antiqua Eccleſia ex diviſione facienda non remaneat Populo, & redditibus deſtituta, & notabiliter præjudicata, ita ut ejus dignitas alias vileſcat. Card. de Luca loco ſupracitato Præjudicium vero, quod novi Epiſcopatus erectionem poſſet impedire, eſſe debet enorme, & exceſsivum juxta Pitonium diſcept. Eccleſ. 160. numero 49; „ Neque prior Epiſcopus enormi„ ter, & exceſsive circa ſuam Diœceſim præjudicatus re„ maneant.“ Neque enim qualecunque tertii intereſſe in hujusmodi caſibus conſiderandum eſt: „ Quoniam juxta lau„ datum de Luca de Præem. Diſc. 6. num. 11. & 12. ere„ ctiones Epiſcopatuum reputantur in jure gratiæ perneceſſe, „ & de ſui natura præjudiciales; ideoque impoſsibile eſt „ dare erectionem novæ Cathedralis perneceſſe ſupponen„ tem dismembrationem partis Territorii ab una vel plu„ ribus adjacentibus Cathedralibus ſine iſtarum præjudicio: „ Et conſequenter receptam concluſionem habemus, quod in „ hujusmodi gratiis neceſſaria non eſt derogatio Juris ter„ tii &c.

30. In ſpecie vero, qua de agitur, nullum Agrienſi, aut alteri Latino Epiſcopo infertur præjudicium; nam nec dotis, nec Populi partem ullam eorum quisquam amittit, quia Rutheni ſubjecti ſemper fuerunt ſuo Epiſcopo vel Vi-

cario

cario Apoſtolico. Nullimode ergo ex nova Epiſcopatus pro Ruthenis erectione ex integro ſi facienda eſſet, vileſceret alicujus Latini Epiſcopi dignitas. Si itaque talibus in circumſtantiis ambigendum minime eſſet, novi Epiſcopatus erectionem decernere concurrentibus iis omnibus, quæ in novarum Cathedrarum erectione requiri ſolent; minime dubitandum eſt, quin Sanctitas Veſtra antiquum Munkacsienſem Epiſcopatum dignetur reintegrare, quum præſertim petita reintegratio qualibet ex parte juſtiſsima ſit, atque in maximum S. Unionis bonum vergat, atque incrementum.

31. Quo tempore renovata fuit per 63. Archi-Presbyteros Munkacsienſes Ruthenorum, qui in Hungaria degebant, Unio cum Sancta Romana Eccleſia, quamplurimæ remanſerunt in Schismate Eccleſiæ Ruthenæ, præſertim in Diſtrictu Agrienſi, ex quibus nonnullæ prædicatione Petri Parthenii Epiſcopi Munkacsienſis collaborantibus una Monachis S. Baſilii Ritus Græci Monaſterii in Monte Csernek eidem poſtmodum Unioni adhæſerunt. Idem exemplum ſequuti etiam eſſent cæteri Rutheni in Hungaria commorantes, niſi Vicarii Apoſtolici Epiſcoporum loco ſuffecti crebris diſtracti contentionibus, præſertim cum Epiſcopo Latino Agrienſi, alio ſuas curas vertere non debuiſſent: Schismatici enim ægre ferentes, Unitos a Latinis divexari, eosque ludibrio habentes remorati ſunt, Sanctam illam Unionem amplecti: timuerunt ſiquidem, homines cum ſint, in deteriorem labi conditionem. Contentiones, quæ inter

Agri-

Agrienſem Latinum Epiſcopum, & defunctum Vicarium Apoſtolicum non ſemel inſurrexerunt, amputare crebris ſuis, iisque ſapientiſsimis Decretis ſtuduit Carolus VI. Imperator, atque etiam Regina Apoſtolica, tandemque animadvertit, nec diſsidia hujusmodi poſſe radicitus exſtirpari, nec Sanctam Unionem eo in Regno propagari, niſi reſtituto Munkacsienſi Eccleſiæ ſuo Ordinario Rutheno Epiſcopo. Quare habito cum Conſiliariis ſuis Conſilio rebusque omnibus mature penſatis, ſtatuit tandem apud Sanctitatem Veſtram inſtare pro hujusmodi Reintegratione; & cum duos jam ante Annos nec ſemel inſtiterit, inſtar iterum, iterumque; ferre enim non debet, nec poteſt, Ruthenos Unitos, qui in tot Regni illius rebellionibus integram ſemper, inviolatamque legitimis ſuis Regibus fidem ſervarunt, in Hungaria deterioris eſſe conditionis præ Schismaticis, qui quamplurimi eodem in Regno ſunt, ſuisque Ordinariis Epiſcopis ſubſunt absque ulla dependentia a Præſulibus Latinis; & hoc potiſsimum obſtaculum illorum ad Unionem acceſſui interponi, ſcilicet quod Uniti per ordinarium non gubernantur Epiſcopum.

32. Atque equidem experientia ipſa docemur, Ruthenos Unitos, qui quamplurimi ante viginti Annos numerabantur in Diœceſi Varadienſi, quum primum accepere præpoſitum ſibi Epiſcopum ſui Ritus non Ordinarium, ſed Latini Epiſcopi ſuffraganeum, eique ſubditum, ad Schisma magna ex parte relapſos fuiſſe: quæ infautiſsima

exempla in aliis quoque Regionibus, atque Diœceſibus recenſere poſſemus, niſi brevitatis legibus coerceremur.

33. Secus vero in vicina Polonia eveniſſe comperimus. Nam licet quo tempore duo illi Epiſcopi, qui totius Rutheni Populi eo in Regno degentis nomine San. Mem. Clementi VIII. obedientiam præſtiterant, in Poloniam reverſi ſunt, paucos admodum ſibi, & Metropolitæ Kievienſi conjunctos eadem in ſententia ad invenerint, tractu tamen temporis adeo excrevit Uniti Populi multitudo, ut nunc ſeptem vaſtiſsimæ numerentur Diœceſes ſub Catholicorum Epiſcoporum Regimine fere ſex mille Parochiæ Unitis Presbyteris creditæ, centum autem & quinquaginta Monaſteria ſub unica Congregatione S. Baſilii M. Congregationis Ruthenorum comprehenſa, Profecto tam uberes S. Unionis fructus non ex alio fonte promanarunt, quam ex libero Jurisdictionis exercitio, quo ſervata ipſis fide præſtita in actu dictæ Unionis fruuntur Epiſcopi Rutheni Uniti ſub ſuo Metropolita; quam quidem Jurisdictionem diligentiſsime ſartam, tectamque ſemper voluit Sedes Apoſtolica, multisque auxit Privilegiis; interque non levis momenti illud eſt, quo Paulus PP. V. nullam aliam inter Latini, Ruthenique Ritus Epiſcopos præcedentiam eſſe voluit, niſi quæ ab anterioritate Conſecrationis ſolet dimetiri, eodem prorſus modo, qui Romæ in Capella Pontificia ſervari ſolet.

34. His

34. His itaque exemplis ducta Piiſsima Regina Apoſtolica, nihilque antiquius habens, quam Catholicam Religionem ſuis in Dominiis fovere, & tranquillitatem ſuis ſubditis procurare, Munkacsien. Epiſcopatum Græci Ritus reintegrari ſummopere optat: quem quidem Epiſcopatum præexſtitiſſe ab immemorabili tempore certiſsimum eſt; quem ſibi ſervatum voluerunt Rutheni Munkacsienſes anno 1646. in actu renovatæ cum S. R. E. Unionis, ſervandumque eſſe decrevit, tum Synodus Tyrnavienſis a Primate Regni celebrata anno 1648. tum etiam Romani Pontifices Innocentius X., & Alexander VII. Sanctitatis Veſtræ prædeceſſores; quem demum laudata Sereniſsima Regina Apoſtolica, mature prius perpenſis rerum omnium momentis Catholicæ Fidei, ſuoque Regno maxime utilem fore iterum, iterumque teſtatur. Quare &c. Stephanus de Angelis Advoc. Aloyſius Cocquelines.

CAPUT XII.

§ I.

Sequuntur Provocata Advocati Stephani de Angelis, & Aloyſii Cocquelines ad præcedentes Allegationes ſub Titulo: Summarium. Numero 1. Litteræ Cleri Rutheni Munkacsienſis ad Innocentium PP. X. de ſui Unione cum S. R. E. & conditionibus eadem in Unione appoſitis ex tranſumpto authentico Venerabilis Capituli Poſonienſis. Nos Capitulum Eccleſiæ Poſonienſis memoriæ commenda-

mus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, Univerſis, quod Reverendiſsimus Dominus Petrus Parthenius Epiſcopus Munkacsienſis Græci Ritus Unitus coram nobis perſonaliter conſtitutus exhibuit nobis, & præſentavit certas quasdam ternas Litteras, primas quidem Sacerdotum Sacri Ritus Græci idiomate Rutheno confectas, & emanatas ſex Archi - Diaconorum ſigillis & manuum ſubſcriptionibus roboratas; Profeſsionem veræ Fidei Romanæ Eccleſiæ continentes, ejusdemque Paſtori, ac Sanctiſsimo Pontifici ſonantes easdemque ex eodem Rutheno idiomate in latinum de verbo ad verbum translatas &c. petens nos debita cum inſtantia, ut nos easdem litteras transſcribi, & tranſumi facientes, in tranſumptoque Litterarum noſtrarum eidem extradare non gravaremur. Quarum primarum tenor talis eſt: Gratia Chriſti Electe Sanctiſsimæ Pater & Univerſalis Patriarcha. Nos Sacerdotes Sacri Ritus Græci Inclyti, & Apoſtolici Regni Hungariæ incolæ per Comitatus in Cathalogo nominum noſtrorum ſpecificatos ſibi compertum habentes, quod Sacramentum Regium ſit abſcondendum, opera vero Dei eſſe revelanda, & ſole clarius omnibus populis manifeſtanda, utpote talia &c. „ Vide reliquam totam Epiſtolam in Notitia Fundationis Koriathovits Parte prima pagina 84—86. Nos itaque juſta, ac legitima petitione Reverendiſsimi Domini Petri Parthenii Epiſcopi Munkacsienſis modo præmiſſo facta coram Nobis exaudita, & admiſſa inclinati, præattactas ternas litteras non abraſas, nec cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpi-

Litteræ Cleri Rutheni ad Innocentium PP. X. de ſui Unione & Conditionibus.

ſuſpicione carentes de verbo ad verbum ſine diminutione vel augmento aliquali tenoribus earumdem transſcriptis in tranſumpto præſentium litterarum noſtrarum jurium ejusdem Reverendiſsimi Domini Epiſcopi Munkacsienſis futura pro cautela neceſſariarum ſub Sigillo noſtro Capitulari, & authentico extradandas duximus, & concedendas. Originalibus earumdem eidem D. exhibenti in ſpecie reſtitutis. Datum feria ſecunda proxima poſt Dominicam Quinquageſimæ anno Domini milleſimo ſexcenteſimo, quinquageſimo quinto. L. S. Lecta in Capitulo.

§. II. Numero 2. Breve Alexandri PP. VII. confirmationis Petri Parthenii Electi Epiſcopi Munkacsienſis ad Archi-Epiſcopum Strigonienſem Georgium Lippay ſonans. Venerabili Fratri Archi-Epiſcopo Strigonienſi Alexander PP. VII. Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum tu felicis recordationis Innocentio PP. X. Prædeceſſori noſtro, eoque defuncto nobis ad Summi Apoſtolatus culmen aſſumptis humilliter ſupplicaveris, ut Parthenium Ruthenum Catholicum Sacerdotem Ordinis S. Baſilii Electum Epiſcopum Ruthenorum degentium Munkacs, & in aliis locis Hungariæ confirmare dignaremur, & cum eo benigne diſpenſare, ut non obſtante, quod fuerit a tribus Epiſcopis Schiſmaticis conſecratus, poſsit Pontificalia, ac alia Ordinis ſui munera exercere; Re in Congregatione Supremæ, & univerſalis Inquiſitionis coram nobis habita, mature diſcuſſa „ auditisque votis „ Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium

Breve Alexandri VII. Confirmatorium Petri Parthenii.

A. Petitio Archi-Epiſcopi Strigon. hac de re.

 „ ad-

„ adverſus hæreticam pravitatem in Republica Chriſtiana „ generalium Inquiſitorum, ac de eorumdem Conſilio " ut prædictus Parthenius in ſalutem animarum ſibi creditarum, & majori zelo, ac ſolicitudine in converſionem Hæreticorum, & Schismaticorum incumbere valeat, Fraternitati Tuæ de cujus rectitudine & prudentia plurimum in Domino confidimus, Parthenium præfatum, ſi hoc a te humilliter petierit impoſita ipſi pro præmiſsis arbitrio tuo aliqua pœnitentia ſalutari, a quibusvis cenſuris ac ſuſpenſionibus per eum incurſis abſolvendi, & cum eo ſuper quacumque irregularitate Occaſione præmiſſorum forſan contracta, & ut Pontificalia, ac alia Ordinis, & Jurisdictionis Epiſcopalis munera „ in Ruthenos Ritus Græci tam Munkacs „ quam aliis Regni Hungariæ locis per te deſignandis diligenter exercere poſsit " & valeat, benigne diſpenſandi facultatem ſuper præmiſsis neceſſariam, & oportunam, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 8. Junii 1655. Pontificatus noſtri anno Primo.

B. Parthenius conſtituitur Epiſcopus in Munkacs aliisque &c.

Leopoldi Imperatoris Literæ Nominationis P. Parthenii.

§ III. Numero 3. Leopoldi Imperatoris Regis Hungariæ litteræ nominationis Petri Parthenii ad Epiſcopatum Munkacsienſem, ex quibus patet eum fuiſſe a Sede Apo-

ſtolica

ſtolica confirmatum ac Epiſcopatum Munkacsienſem jam præexiſtentem eidem collatum.

NOS LEOPOLDUS DEI Gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex. Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis: quod Nos pro ea, qua in conſtituendis legitimis Eccleſiarum Dei Paſtoribus tenemur cura, & ſolicitudine, debitum habentes reſpectum ad eruditionem, & doctrinam, laudatosque mores, & laudatam vitæ, honeſtamque converſationem, aliasque præclaras animi dotes, fidelisque noſtri Reverendi Petri Parthenii Ordinis S. Baſilii „ alias a Sede Apoſtolica con„ firmati Epiſcopi Græci Ritus " quibus ipſum Dei altiſsimi munere inſignitum, & ornatum &c. (Vide Parte 1. pagina 91—94.)

§. IV. Numero 4. Archi-Epiſcopi Strigonienſis Litteræ circulares, quibus omnibus Græcis Unitis Regni Hungariæ mandatur, ut Petro Parthenio ſuo Epiſcopo ab Alexandro PP. VIII. confirmate, & a Leopoldo Imperatore ad Eccleſiam Munkacsienſem nominato tamquam vero & legitimo ſuo Epiſcopo obediant.

Archi-Epiſcopi Strigonienſis Litteræ de præſtanda obedientia Petro Parthenio Epiſcopo.

NOS GEORGIUS LIPPAY miſeratione Divina Archi-Epiſcopus Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, locique ejusdem Comes perpetuus Primas Hungariæ &c. Notum facimus, quibus expedit Univerſis, quod eum poſt Reve-

ren-

rendiſsimi quondam Baſilii Taraſſowics Græci Ritus Munkacsienſis Epiſcopi ex hac vita deceſſum, Petrus Parthenius ex Ordine S. Baſilii Presbyter legitime, & unanimi eorum, qui Jus ſuffragii habuerunt, ejusdem Græci Ritus Sacerdotum voto in Epiſcopum Munkacsienſem fuiſſet electus ad nos, & Sacram Nationalem Synodum, quam Tyrnaviæ anno 1648. in Septembri, magna Dominorum, Prælatorum, ac Cleri frequentia celebrabamus cum plurimis dicti Ritus Ruthenis Sacerdotibus recurerit &c. (Vide Partis primæ pag. 95—98.

Breve Deputationis Joſephi de Camillis in Vicarium Apoſtolicum.

§. V. Numero 5. Breve Deputationis Joſephi de Camillis in Vicarium Apoſtolicum. Dilecto Filio Joſepho de Camillis Monacho Ordinis S. Baſilii Magni Presbytero Ritus Græci electo Sebaſtenſi. Alexander PP. VIII. Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Pro noſtro Paſtoralis Officii munere iis potiſsimum invigilare debemus, qui curam Chriſti fidelium, ut in viam mandatorum Domini ad ſalutem animarum dirigantur, omnino reſpiciunt. Itaque de tuis Fide, prudentia, integritate Doctrina, ac Catholicæ Religionis Zelo, plurimum in Domino confiſi ſperantesque, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, cumulate ſis expleturus; de nonnullorum Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum Conſilia „ Te pro Græcis in „ Diœceſi Munkacsiana aliisque locis acquiſitis in Hungaria „ commorantibus Vicarium Apoſtolicum cum Jurisdictione, „ juribus, & facultatibus neceſſariis & opportunis ad noſtrum

„ ſtrum

„ ſtrum & S. Sedis beneplacitum " auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facimus, conſtituimus, eligimus, & deputamus, ſalva tamen ſemper in præmiſsis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat & ſpectabit quovis modo in futurum, ut tibi in præmiſsis ſponte pareant, & obediant, tuaque ſalubria monita, & mandata humilliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebellem, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 5. Novembris 1689. Pontificatus noſtri anno primo.

§. VI. Numero 6. Cathalogus Comitatuum, Locorum, Eccleſiarum, Parohorum, & Ruthenorum Unitorum Diœceſis Munkacsienſis.

Comitatus	*Loca pure Ruthena*	*Loca mixta*	*Eccleſiae*	*Parochi*	*Perſonae confeſsionis capaces*
Saaroſienſis	152	45	155	103	21621
Zemplinienſis	143	139	140	130	26421
Aba-Ujvarien.	17	67	25	15	5744
Borſodienſis	7	17	7	6	5020
Szabolcsenſis	17	59	41	31	9432
Szathmarienſis	108	18	100	92	16870

Comitatus	*Loca pure Ruthena*	*Loca mixta*	*Eccleſiae*	*Parochi*	*Perſonae confeſsionis capaces*
Marmaroſienſis	100	8	120	135	16870
Ugoczienſis	30	16	37	29	4030
Bereghienſis	142	10	130	77	11845
Unghvarienſis	88	73	84	57	11484
Scepuſienſis	13	30	13	11	17000
Gömörienſis	3	7	3	1	5000
Tornenſis	3	10	3	3	4000
In totum 13	823	499	858	690	145107

§. VII. Numero 7. Decretum Congregationis de Propagandæ Fide anno 1651. Erectionis Epiſcopatus Munkacsienſis. In Congregatione de Propaganda Fidei. Die 2. Octobris 1651.

Decretum Congregationis de Propaganda Fide anno 1651. Erectionis Epiſcopatus Munkacsienſis.

Referente Eminentiſsimo Domino Card. Trivultio Litteras D. Archi-Epiſcopi Strigonienſis ſcribentis, quod cum in partibus Hungariæ verſus Poloniam in Strigonien. ac Agrien. Diœceſibus ſint quamplurimi Rutheni Schismatici, ex quibus multi ſunt ad Catholicam Fidem converſi, & denuo ſupra quatuorcentum Sacerdotes cum numero conſiderabili Populorum inſtent pro Erectione Epiſcopatus Catholici, ut in Græco Ritu poſsit, & Fidem Catholicam profiteri, & Unionem cum S. Sede Apoſtolica habere, humiliter ſupplicant Sanctitatem Suam, ut pro ſua ſingulari pieta-

pietate, ac Paſtorali zelo gratiam Oratoribus concedere dignetur. Eminentiſsimi patres læto animo hujusmodi nuncia reſpicientes decreverunt, eſſe Sanctiſsimo Domino Noſtro in prima Congregatione coram Sanctitate Sua humiliter, & enixe deprecandum, ut petitioni annuere non dedignetur „ ut tam nobilis animarum numerus ad viam „ ſalutis reducatur; & eo magis cum ſupradicti Sacerdo„ tes, & Populi proprio animi motu unionem cum S. R. E. „ petant, ac pro novo Epiſcopatu ſubſidium & ſubſtenta„ tionem, ac redditus congruos offerant.“ Datum Romæ ex Ædibus ejusdem Sacræ Congregationis die, & anno, quibus ſupra.

CAPUT XIII.

Penſatis pro reintegratione Epiſcopatus Munkacsienſis præmiſsis momentis, ac motivis per Agentem prænominatum in medium adductis, ſummus Pontifex priusquam hoc inmerito certi quidpiam ſtatuerit informationis uberioris capeſſendæ gratia, Agrienſi Epiſcopi ſenſa cognoſcere voluit, quod conſtat ex Epiſtola Nuncii Apoſtolici Vienneniſis ad præattactum Epiſcopum Italice ſcripta: cujus tenor eſt: Excellentiſsime. Sua Majeſtas Imperatrix Regina efflagitavit a Sanctitate Sua Epiſcopum Græcum pro Spirituali Græcorum in Diœceſi Veſtræ Excellentiæ degentium regimine conſtitui aſsignans eidem pro Epiſcopali Sede Sua Civitatem Munkacsienſem, & pro Diœceſi non

minus teritorium Munkacsienſe quam Marmatiam cum ſuo teritorio. Sanctitas Sua antequam quidquam determinet, injunxit mihi, ut Veſtram Excellentiam deſuper certiorem reddam, & Eandem ad opinionem ſuam ſuper graviſsimo hocce negotio detegendam animem. Dum ego juſsis ſuæ Sanctitatis obſequor, non mihi reſtat aliud, quam ut ſupplicem Veſtræ Excellentiæ pro celeriori reſponſo vel mihi, vel ſi maluerit Excellentia Veſtra immediate Suæ Sanctitati transmittendo ac id ipſum mihi ſignificari petam, quatenus ego comprobare poſsim me juſsis Pontificiis obſequutum fuiſſe. Gaudeo de hac occaſione mihi oblata, qua Veſtræ Excellentiæ conſtans obſequium meum offerre poſſum, quo immutabiliter ſum Veſtræ Excellentiæ Viennæ 23. Junii 1766. Devotiſsimus, Obligatiſsimus ſervus verus Archi-Epiſcopus Thebenſis, Nuncius Apoſtolicus m. p.

Epiſcopus Agrienſis exponit ſuam Opinionem Romano Pontifici de non erigendo Epiſcopatu Munkacsienſi.

§. II. Præſtitit omnino hanc, quæ exigebatur, informationem ſuam Excellentiſsimus Dominus Agrienſium Antiſtes Comes Carolus Eſzterházi, verum in eo totus fuit, ut perſuaderet Summum Pontificem, Epiſcopatum Munkacsienſem erigi non oportere, hanc vero in oppoſitum opinionem ſuam multis probare adniſus eſt rationibus in ſua ad Clementem XIII. PP. data Epiſtola ex 115. numeris conſtante congeſtis, quæ ſic incipit: 1. Beatiſsime Pater! In filiali reverentia accepi Paterna Sanctitatis Veſtræ mandata, mihi per miſsiles Eminentiſsimi Cardinalis Boromæi Viennenſis Nuncii Apoſtolici ſub dato adhuc 23. Junii anni ſuperioris 1766. indicata. Queis benigne jubere dignatur

Sancti-

Sanctitas Veſtra me Conſilium animique mei ſenſa in negotio neo erigendi pro Græci Ritus Unitis Epiſcopatus Munkacsienſis genuine aperire pandereque.

2. Subſeque penes Benignum Auguſtæ Dominæ Noſtræ Reginæ Apoſtolicæ Decretum, reddita ſunt mihi Paria litterarum Suæ Majeſtatis tam ad Sanctitatem Veſtram, quam Eminentiſsimum Cardinalem Albani ratione Fundandi ac Canonizandi prænominati Epiſcopatus exaratarum, quem Sua Majeſtas zelo potiſsimum Sacræ Unionis in Regno hoc, & adnexis Provinciis amplius promovendæ præcavendarumque inter Ordinarios Agrienſes, & Rituales Vicarios Apoſtolicos Munkacsienſes, hac tenus enatarum, ac deinceps ne fors emerſarum diſſenſionum ſtudio conſeret neceſſario fundandum, &c.

3. Beatiſsime Pater! Ante omnia: quod præter ſpem, & votum Sânctitatis Veſtræ Benigna ſua juſſa aliquanto tardius exequar, penes devotum pedum oſculum veniam humillime exoro. Intimatoriæ enim laudati Nuncii Apoſtolici Litteræ ad me triduo dumtaxat citius perlatæ fuerunt, quam operi Canonice Viſitationis jam multo ante per edictum meum præordinatæ, ac publicatæ memet accingerem; In quo pene usque ad finem præteriti menſis Auguſti deſudabam, perluſtratis ſecundum Inſtituta Sanctionum Canonicarum Eccleſiis Parochialibus 38. Filialibus 32. S. vero Chrismate unctis, ſeu confirmatis 18806. Fidelibus ſub cujuscemodi Operatione Sacra provide Sanctitatis Viæ Ordinatio-

nationi me ſatisfacere nequiviſſe, Paterne Ipſa perſpiciet.

4. Sed neque ab interupta Canonica Viſitatione rem illico conjicere poteram, non ſolum ob quotidianas Paſtoralis meæ ſolicitudinis curas, ſed tum ideo, quod multifariis qua Dominum terreſtrem, qua Supremi Comitis, quod per duos Comitatus gero, Officium, reſpicientibus Negotiis indeſinenter me diſtineri oportuerit; cum etiam, quod Tabulario Conſiſtorii mei Epiſcopalis nondum in Ordinem debitum redacto, Documenta præſentem materiam attinentia difficilius exquiri diſcutique potuerint. Cumprimis vero, quod in re tanti momenti, conſcientiamque meam plurimum tangente, conſultum fore arbitrabor: explorare etiam mentem, & ſenſa Vice-Archi-Diaconorum meorum Diſtrictualium, qui ſicut frequentiori Cleri, ac Populi Unitorum fruuntur conſuetudine; ita penitus noverint, num Erectio Epiſcopatus Muukacsienſis unioni fovendæ deſervitura ſit? vel potius plurimum periculi, ac diſcriminis eidem allatura?

5. Quorum reſponſa in tanta Diœceſi, qualis hæc Agrienſis amplitudine, quousque ad me penetrare potuerint, majori utique temporis intercapedine Opus erat, & id genus reſponſionum diſcuſsio iterum moram requirebat.

6. Quapropter ſumma, Paternæque teneritudinis plena Benignitas juxta ac æquanimitas Sanctitatis Veſtræ firmam

in

in ſpem me erigit, fore, ut tantillam moram quam absque omni omnino culpa mea protrahere debui, mihi Pientiſſime condonatura ſit. Fidem facio Sanctitati Veſtræ, quod, ſicut Ipſamet pro indicibili Zelo ſuo bonum Unionis conferendæ, ac omnimode protegendæ ſibi quam maxime Apoſtolico cordi ſumere dignatur, ita mihi quoque nihil antiquius accidat, ac eandem S. Unionem ſartam tectamve conſervare, tueri, ac promovere. Atque hunc in finem (quod hactenus omni ſolicitudine præſtiti) deinceps quoque omnem operam, ſtudium, & conatus meos eo me converſurum polliceor; ut in Diœceſi mea Unio hæc jugiter firma perſeveret.

7. Priusquam autem circa meritum ipſum quæſtionis propoſitæ ſenſa mea in debita humilitate depromam, hæc tria breviter enaranda mihi videntur, in quantum ex Actis Archivi mei Conſiſtorialis deduci poſſunt. Nempe primo: quando nam, & quo cooperante Unio Populi Græci Ritum profitentis in Diœceſi mea iſta Agrienſi felix ſumpſerit initium? Secundo: quando Epiſcopi Agrienſis non obſtante Vicariorum Munkacsienſium infundata renitentia Jurisdictionem ſuam integram conſervaverint, & per hoc quantum Unioni qua conſervandæ, qua promovendæ, in hæc usque tempora profuerint? Tertio: quantopere Populus Unitus per Diœceſim meam Agrienſem diffuſus ſit.

8. Quod ad primum pertinet: licet non audeam decidere, num Dux T h e o d o r u s K o r i a t o v i t s, qui An. 1360.

in

in Monte Csernek ad Oppidum Munkacs fecit Fundationem pro Monachis Ord. S. Baſilii M. Schismatis labe infectus fuerit? An vero S. Unioni deditus? cum in hujus certitudinem poſt longam, & operoſam etiam inveſtigationem devenire haud potuerim, id tamen mihi certum eſt: quod nec a præfato Duce, nec a quocunque alio inquam fundatus ſit, aut erectus Epiſcopatus Mnnkacsienſis, conſequentur, qui ante factam ultimo in Diœceſi mea Agrienſi circa medium prioris ſæculi Populi Rutheni Unionem Epiſcopi Munkacsienſes nominantur, aut Schismati addicti fuerunt, aut certe honore tantum, & titulo Epiſcopi Ruthenorum inſigniti propterea: quod ibidem Reſidentiam fixerint, & Superiores ſeu Hegumeni prædicti Monaſterii fuerint ad alium Titulum, ut modo ſit, conſecrari ſoliti.

9. Non abſimiliter utcunque clarum evadit, & hoc, quodſi quandoque etiam præteritis illis temporibus ſeu ipſi Monachi S. Baſilii cum ſuis Superioribus, ſeu in vicinia exiſtens Populus S. Unionem amplexus eſt, hæc tamen Unio nec conſtans, nec univerſalis fuerit.

10. Nam initium Unionis, in qua modo cum Dei Gratia totus Populus Ruthenus; ac Valachicus Diœceſim Agrienſem incolens firmus perſiſtit, ut ipſi fatentur, ac recognoſcunt, cœpit circa medium prioris ſæculi Zelo, induſtria, ac labore Epiſcopi quondam Agrienſis Georgii Jakuſits veluti proprii eorum Diœceſani procuratæ, qui ut Documentum ſub A: adnexum perhibet, animad-

ver-

vertens, quod Epiſcopus Gr. Rit. Baſilius Taraſzovics Schismatis partes ſequeretur, Sacerdotes ejusdem Ritus æque veneno Schismatis infectos Unghvarinum, locum in Diœceſi Agrienſi ſitum, convocavit adeo feliciter, ut ſexaginta tres Presbyteri Unionem cum S. Romana Eccleſia amplexi coram Eodem in Eccleſia profeſsionem, veræ, & unicæ, ſalvificæ Fidei emiſerint palam, publice, & manifeſte.

11. Unionis hujus eo cœptæ meminit S. Synodus Nati: ſub Primate Regni Georgio Lippay anno 1648. menſe Septembri Tyrnaviæ celebrata cujus Acta Propoſiti: 23. ita ſonant: In Scepuſio præſertim vero in Agrienſi Diœceſi oſtium non leve apertum eſt convertendis, & ad Unionem S. Matris Eccleſiæ adducendis Ruthenis Schismaticis, quorum Sacerdotes non pauci jam ad Eccleſiæ gremium confluxerunt.

12. Synodo huic inteſuit, & ſubſcripſit etiam Benedictus Kisdy, Epiſcopus Agrienſis, & imediatus Jakuſicsii Succeſſor, qui æque, ut Documentum ſub A. præadnexum demonſtrat, ultro Annuit Conditionibus per Neo-Unitos Sacerdotes propoſitis, nempe: Primo: ut Græcæ Eccleſiæ Ritus ſibi ſervare liceat. Secundo: ut Epiſcopum a ſe electum, & Apoſtolica Sede confirmatum habere. Tertio: ut Immunitatibus Eccleſiaſticis libere frui iisdem fas ſit, Annuit inquam ultro his petitis, quia juſta fuerunt, & ad promovendam, conſervandamve Unionem maxime proficua, non

tamen aliter, quam absque ſuo, Succeſſorumque Epiſcoporum Agrienſium præjudicio, non ut duo ſint Epiſcopi Ord. in una, eademque Diœceſi, unus Latinus Agriæ, alter Græcus Munkacsini, ſeu ut conformiter, ad conſtitutiones SS. Eccleſiæ Romanæ ſignantur in Decreto Gen. Conc. Lateran. 4. cap. *Quoniam in plerisque* de Off. Ind. Ord. & in Bulla Pii IV. *Romanus Pontifex* expreſſas, licet easdem Græcis habere Epiſcopum Ritualem Epiſcopo Agrienſi, tanquam Ordinario ſubjectum.

13. Talem fuiſſe memoratum in eodem Documento Parthenium, aliosque ejusdem Succeſſores, ſat clarum Teſtimonium perhibet Monachorum S. Baſilii Munkacsienſium ſuplex Libellus hic ſub B. adnexus, quem illi ad Georgium Ténycſſy ſextum a Kisdio Epiſcopum Agrienſem ſub finem prioris ſæculi ſubmiſerunt, in quo ut apparet, luculenter fatentur, nunquam fuiſſe fundatum, aut erectum Epiſcopatum Munkacsienſem, imo eum, qui Epiſcopi Ritualis honore fruebatur, hoſpitem quidem in Monaſterio egiſſe, ſemper tamen cum Clero ſuo ſubjectum fuiſſe Epiſcopis Agrienſibus, cum alioquin ut ibi ajunt: Clerus Græcus ad Fidem Catholicam a Schismate non ab Epiſcopis Munkacsienſibus, ſed per Jakuſichium Epiſcopum Agrienſem converſus ſit, ſed hæc omnia, dubio absque omni, clariora fient Sanctitati Veſtræ ex Actis S. Congregationis de propaganda Fide.

14. Plan-

14. Plantula nova S. Unionis ſub Jakuſicsio poſita, ſubſeque non adeo magna ſumpſit incrementa, ut Manifeſtum ſit ex Epiſtola Petri Kaminſzky Monachi S. Baſilii vere Uniti, & Unionis propagandæ ſtudioſiſsimi anno 1688. 20. Maji ad Anteceſſorem meum Epiſcopum Agrienſem Georgium Fényeſsi exorata, & hic ſub Littera C. adnexa. In hac Epiſtola præfatus Monachus, & verus S. Unionis Zelator duo memorat notatu digna: Primo: quod a centum Annis, qui fuerant Munkacsini Rituales Epiſcopi, parum, vel nihil effecerunt, S. Unionem nullatenus promovere potuerunt; quia rudes, & indocti fuere, ac barbari, quin & nonnulli ex illis Schismatici. Alterum: Nihil eſſe poſſe expediens magis ad conſervandam in ſua firmitate, augendamque Unionem, quam ſi Populo Græco Vir doctus pro Epiſcopo Rituali præficiatur, isque rite conſecratus Agriæ præ oculis Eqiſcopi Agrienſis velut Ordinarii, qua ejusdem Suffraganeus, aut Vicarius, habitet, cum alioquin nullus unquam fuerit Epiſcopus Munkacsienſis fundatus; ita ille

15. Mihi certum eſt, quod Epiſcopi Agrienſes Succeſſores Jakuſicsii Unionis conſervationem, & propagationem ſibi Cordi ſumpſerint, ſed ex parte, quod Turca Agriam ejusque viciniam poſſederit, ex parte ob graſſantem peſtem, ex parte etiam, ob inteſtinos motus Tökölianos adeo efficaciter, ut voluiſſent, influere in hocce Negotium, non potuerunt.

 16. Aſt

16. Aſt quanta ſolicitudine fuerit Georgius Tényeſy Anno 1687. confirmatus Epiſcopus Agrienſis (qui primus poſt recuperatam a Turcis Agriam per Pientiſsimum Imperatorem, & Regem Hungariæ Leopoldum reſtitutus eſt in integrum una cum Capitulo ſuo) quanta inquam ſolicitudine in id intenderit, ut bono Uniti Populi proſpiciat, abunde ejus Epiſtola ad Primatem, & Archi-Epiſcopum ejus temporis Strigonienſem data, & hic ſub Littera D. adnexa perhibet, ubi diſertis verbis innuit, ſe nunquam ejus intentionis fuiſſe; nec eſſe, ut Græci Ritus animæ in Diœceſi hac Agrienſi debita Paſtorali cura deſtituantur, quin potius Occaſione ſuſpecti de Schismate, & ad munus Epiſcopi Ritualis munus idonei Methodii omnem, quam poterat ſolicitudinem in inquirendo, & procurando habili, & digno ſubjecto impendiſſe.

17. Ejus proinde ſtudio, ac opera factum eſſe, quod Anno 1689. Populo Unito in Diœceſi Agrienſi exiſtenti datus ſit pro Vicario Apoſtolico Joſephus de Camillis, Monachus S. Baſilii ſub Summo Pontifice Alexandro VIII. ut Breve Apoſtolicium ſub E. adnexum demonſtrat, isque non ad Titulum Epiſcopatus Munkacsienſis velut non exiſtentis, ſed Titulum Eccleſiæ Sebaſten in partibus Infidelium conſecratus ſit, ut idem palam fit ex Brevi Antefati Summi Pontificis Alexandri VIII. ſub F. adnexo.

18. Vir hic licet ſub initium eo, quod linguam Populo Unito Rutheno, & Valacho communem non caluerit, eidem

dem & Clero Unito parum gratus fuerit, licet item propterea quod male intellecto titulo Vicarii Apoſtolici ſe non tantum Epiſcopum Munkacsienſem venditare auſus ſit, ſed inſuper decimas ad Eccleſiam hanc Agrienſem ex primæva Divorum Hungariæ Regum fundatione ſpectantes prætendere, imo vi, & potentia uſurpare cœperit, docente hoc ipſum paulo ante attacta Epiſtola ſub D. Epiſcopi Ténye/y, Zelum tamen fovendæ, tam alibi, quam & peculiariter Agriæ S. Unionis habuit, ut perhibet Littera ejusdem Joſephi de Camellis ad Generalem Vicarium Latinum Agrienſem Andream Pettes data ſub G. poſtquam autem antelatus Epiſcopus Ténye/y per mox memoratam Epiſtolam Jus ſuum Ordinarium in Vicarium Apoſtolicum Munkacsienſem, Clerum item, ac Populum Unitum clare demonſtraſſet, prælaudatus Regni Primas relato Joſepho de Camellis ſubmiſit pro obſervatione puncta Summorum Pontificum, ac Conciliorum Generalium, aliarumque Legum Eccleſiaſticarum ſancitis Regulis conformia ſub H.

19. Quibus Vicarius iſte Apoſtolicus ad Officium ſuum reductus, & intacta reliquit indubitata Jura Epiſcopi Aprienſis, & bonam cum Epiſcopis Agrienſibus, imo eorundem etiam Vicario Generali harmoniam, & cointelligentiam fovens, porro quoque utiliter unionem conſervavit, promovitque, perverſos præſertim Cleri Uniti mores reformans, idque usque Annum ſæculi moderni ſextum, quo fatis ceſsis, prout hæc elucefcunt etiam ex Epiſtola ejusdem Joſephi de Camellis ad eundem Vicarium Generalem

La-

Latinum Agrienſem Dominum Andream Pettes exarata ſub I. annexa.

20. E vivis ſublato Joſepho de Camellis ne Populus hic ſibi relictus maneret, præfatus Vicarius Generalis D. Andreas Pettes curam habuit, Clero Unito committendo, ut Congregationem celebret, & idoneum Virum eligat quoad Ritualem Epiſcopum conſequatur ut ſub K. & quia ſubinde obſervavit ejus temporis Epiſcopus Agrienſis Stephanus Telekeſſy, quod Populus, & Clerus Græci Ritus de eligendo ſibi certo Vicario convenire non poſſet, authoritate ſua Ordinaria, qua in ipſos quoque pollebat, conſtituit Georgium Bizanczy, ut ſub L. qui mortuo Stephano Telekeſſy; Succeſſori ejusdem Comiti Gabrieli Erdödy, velut Ordinario ſuo debitum obedientiæ Juramentum depoſuit Anno 1715. 20. Aprilis, ut ſub M. cum tamen hoc non obſtante, lis, & controverſia inter hunc Georgium Bizanczy, & alterum Joannem Hodermarſzky duraret, quod uterque Vicariatum hunc ambiret, & titulum Epiſcopi Munkacsienſis, tandem Anno 1716. 10. Aprilis differentiæ hæ authoritate, & induſtria itidem Agrienſis Epiſcopi præfati Comitis Gabrielis Erdödy, hic Agriæ amicabiliter compoſitæ ſunt, & Georgius Bizanczy in Officio Vicarii Græcorum per Diœceſim hanc Agrienſem commorantium ſtabilitus, ut ſub Littera N. qui etiam Anno eodem, & die ſequenti ſolitum erga Epiſcopum Agrienſem Ordinarium ſuæ obſervantiæ Juramentum depoſuit, ut ſub O.

21. Die

21. Die eadem Joannes Hodermarſzky vigore transactionis, & compoſitionis amicæ paulo ante attactæ conſtitutus fuit Vicarius ſurrogatus Populi Græci, idemque Juramentum debitæ erga Epiſcopum Agrienſem, qua Ordinarium ſuum obſervantiæ emiſit ut ſub P.

22. Porro Georgius Genadius Bizanczy conſtitutus jam etiam Vicarius Apoſtolicus, & tutulum conſecrabilem in partibus Infidelium obtinens, ut ſub Q. quo oſtenderet ſe præterea ab Ordinarii Agrienſis Jurisdictione haud exemptum Generalem facultatem ordinandi petiit, ac obtinuit ſub certis conditionibus, ad quas obſervandas jurejurando ſe obſtrinxit Anno 1717. die 16. Maji ut ſub R.

23. Cum tamen non obſtantibus tot Juramentis ſubinde hic Georgius Genadius Bizanczy comitteret exceſſus, non tantum Clero Latino, ſed ipſi etiam Unioni S. præjudicioſos, & ſcandaloſos prænominatus Epiſcopus Agrienſis Comes Gabriel Erdödy eundem ex Officio tanquam Ordinarius non tantum commonuit, ut ſub S. verum etiam de Conſilio Eminentiſsimi Cardinalis, & Primatis Regni Hungariæ Ducis de Saxonia, ut ſub T. Sacræ Congregationi de propaganda Fide retulit exceſſus ejusdem, a qua idem Vicarius Apoſtolicus monitorium adnexum ſub U. accepit, & virtute hujus non minus, ac prior Joſephus de Camellis ad Officium reductus eſt ita, ut quantum ex Actis Archivi mei obſervare licet debitam erga Diœceſanum ſuum Epiſcopum Agrienſem obſervantiam, & ſubordinationem verbo,

bo, ac opere ſimul teſtatus fuerit, non absque propagatione Sacræ Unionis.

24. Nam ex hac debita ſubordinatione evenit feliciter ut S. Unio, quæ Anno hujus ſæculi 16. cura, & ſolicitudine Comitis Gabrielis Erdödy ad Comitatum Maramoroſienſem propagari cœpit. Ejusdemque Epiſcopi Agrienſis opera, & zelo re ipſa introducta, & ſtabilita ſit, id quod clarum reddunt annexa ſub V. X. Y.

25. Ita feliciter Unio S. ſub Jakuſicsio, Epiſcopo Agrienſi cœpta per ejus Succeſſores nedum ſervata, ſed etiam ultro promota eſt, & acceſsionibus novis aucta. Mortuo Georgio Genadio Bizanczy Anno hujus ſæculi 33. Anteceſſor meus ſæpe laudatus Comes Gabriel Erdödy pro Vicario ſuo, quoad Populum Græcum, ſeu Ruthenum, & Valachicum conſtituit Simeonem Olſavſzky, ut ſub Z. qui ſubinde a Sua Majeſtate accepit quidem titulum Epiſcopi Munkacsienſis, quia tamen paulo poſt deceſsit, nec Vicarius Apoſtolicus conſtitutus eſt, nec ad alium conſecrabilem in partibus Infidelium conſecratus.

26. Intellecta hujus morte, in abſentia Ord. Publicis Regni negotiis Poſonii occupati, Conſiſtorium Epiſcopale Agrienſe alium ſubſtituit, & denominavit pro Populi Græci Vicario Generali Admodum Reverendum Georgium Blaſovſzky Anno 1738. ut patet ex Decreto ad Parochum Latinum Munkacsienſem Honorabilem Joannem Strabo dato

ſub

ſub AA. adnexo, qui anno eodem etiam a Sede Apoſtolica Titulum conſecrabilem Eccleſiæ Agrienſis in partibus Infidelium obtinuit, ut ſub BB. cui velut Unionis amantiſsimo, & contra debitam, erga Ordinarium Agrienſem, obſervantiam nullo unquam tempore, vel minimum peccanti, nihil aliud defuiſſe videtur, quam longior vita, de hoc cum veritate dici omnino poteſt: Vivens brevi tempore, explevit tempora multa, nam quatuor annorum ſpatio, quo, ut Vicarius Populo Græco præfuit, plurima egit pro conſervanda Unione, præſertim curam in eo adhibuit, ne Sacerdotes Ritus Græci, pro hac Diœceſi, a Schismaticis illicite, vel plane invalide ordinentur.

27. Aſt quia Vir iſte meritis plenus ad Coronam immarceſcibilem recipiendam translatus eſt 1742. per Epiſcopum ejus temporis Agrienſem Comitem Gabrielem Erdödy, pro Vicario, quoad Populum Græcum conſtitutus eſt modernus Vicarius, & Epiſcopus Ritualis Michael Manuel Olſavſzky, qui Anno 1743. die 8. Februarii ſolitum fidelitatis, & obedientiæ, erga Diœceſanum ſuum, & ejusdem Vicarium Generalem depoſuit Juramentum, ut ſub CC. Idem ſubinde anno eodem die 4. Septembris conſtitutus eſt, ut ſub DD. ad Beneplacitum Vicarius Apoſtolicus, & accepit Titulum conſecrabilem Epiſcopatus Roſſenſis in partibus Infidelium.

28. Poſtquam autem e vivis erepto, optimæ memoriæ Epiſcopo Agrienſi, Comite Gabriele Erdödy ſub ejusdem

Succeſſore, meo imediato Anteceſſore, Comite Franciſco Barkoczy, variæ præcipuæ circa proventus Parochiales, tam Latini, quam Græci Ritus Sacerdotibus querelæ ad eum perlatæ fuiſſent, oportuno, ſimulque Juri conformi remedio iisdem occurrere volens: Idem Anteceſſor meus Vicarium modernum humanis Litteris Agriam ad ſe invitavit, tam has querelas tandem componendi, quam cum eodem Epiſcopo conſulendi cauſa, qua ratione optime tum Unitis Sacerdotibus, quod eorum eſt, cum Latinis attribuere poſſet.

29. Itaque Anno 1747. Ritualis Epiſcopus cum nonnullis Archi-Presbyteris Agriam ad Ordinarium venit, ibique coram Diœceſano, præſente toto Capitulo Agrienſi, & pluribus Archi-Presbyteris, ut extractus Protocularis ſub EE. docet, de ſua ab Epiſcopo Agrienſi dependentia capacitatus Juramentum, quod ſub FF. adnectitur, depoſuit, in eamque, quæ ſub GG. ſequitur regulationem, ab Anteces-ſore meo pro directione Cleri utriusque publicatam, coaluit, una facultatem Ordinandi, quos judicaverit aptos, ad triennium duraturam petiit, & obtinuit, ut ſub HH.

30. His non obſtantibus refractarium ſtatim ſubſequo Anno, tempore Viſitationis per Anteceſſorem meum peractæ ſeſe exhibuerit idem modernus Vicarius, & quibus mediis ad debitam Reverentiam, ac Obedientiam Ordinario ſuo præſtandam adigi debuerit? ipſa Acta Viſitationis ſub II. annexa perhibent.

31. Non

31. Non omiſit interea prælaudatus Anteceſſor meus ſummam conſervandæ Unionis curam habere ad ultimum usque momentum, quo Eccleſiæ huic præfuit, adeo, ut inter reliqua die 17. Aprilis Anno 1761. eodem nempe, quo ad Sedem Metropolitanam Strigonienſem promotus eſt, hanc ſub KK. annexam Zelo Apoſtolico plenam Epiſtolam ad modernum Vicarium Apoſtolicum dederit.

32. Eodem Regimini Eccleſiæ Strigonienſis Præpoſito, & me, jubente Regina Apoſtolica, ac Sanctitate Veſtra probante. Vaciohuc translato, nihil quidem mihi magis cordi fuit, quam bonam cum moderno Vicario Apoſtolico Harmoniam fovere, Sacramque Unionem ab Anteceſſoribus meis cæptam ſotam, & promotam protegere, & qua licet adhuc adaugere, promovereque. Atque ideo cum ejusdem Vicarii Apoſtolici iteratas, easque humanas acceperim litteras, in quibus ſe ægritudine impeditum hactenus Agriam venire non potuiſſe identidem aſſerint, ſimul autem ſe, & ſuos curæ meæ, & affectui commendavit, tantisper adventum ejus præſtolatus ſum, cum autem venire tardaret, in comperto habens, facultates Vicarii Apoſtolici moderno Rituali, Epiſcopo Roſſenſi a felicis Recordationis Prædeceſſore Sanctitatis Veſtræ Benedicto XIV. ad bene placitum dumtaxat ſuum conceſſas per illius obitum, ita & Vicariam Poteſtatem eidem ab ultimo Anteceſſore meo paulo prænominato, quoad Græci Ritus Unitos attributam, per hujus ad Cathedram Strigonienſem translationem exſpiraſſe, ne defectum harum tot millia

animarum per Diſtrictum Munkacsienſem, & Maramoroſienſem degentium quodpiam ſalutis diſcrimen ſubire cogerentur, præſertim cum Jus commune, & uſus pro me ſtaret, eundem ultro ut Perſonam idoneam, & expertam in meum per dictos Diſtrcitus quoad Unitos Vicarium, vigore advoluti ſub LL. decreti mei conſtitui, expreſsisque his facultatibus communivi.

33. Et quo Ordinatio hæc mea ad Univerſi Cleri Diœceſani perveniret Notitiam, Eneijelicas ſub MM. per totam meam Diœceſim Agrienſem vulgari feci, in quibus initam jam Anno 1747. inter Latinum, & Græci Ritus Unitum Clerum mutuo conſenſu, circa annuos, ac ſtolares reditus, conventionem confirmavi, quod complures jam ad me quærimoniæ hoc in puncto perlatæ fuerint. Quibus ſedandis confirmationem dicto conventionis per quam neceſſariam arbitrabar.

34. Circa quæ, optima fide a me acta, cum nonnulli Græci Ritus Sacerdotes quærelam apud defunctum Primatem deponerent, hancce ſub NN. annexam Epiſtolam reſponſi loco acceperunt, ipſe autem Vicarius ſupplici Libello ad Suam Apoſtolico-Regiam Majeſtatem recurens id effecit, ut cum ſat clare oſtenderem Vicarium Apoſtolicum ſemper fuiſſe, adeoque & nunc eſſe debere ſubjectum Epiſcopo Agrienſi qua Ordinario, ſpe præſcindendarum omnium controverſiarum inter Epiſcopum Agrienſem, & præfatum Vicarium Munkacsienſem, ſpe item Schismaticorum

extra

extra hanc Diœceſim Agrienſem exiſtentium, ad Unionem alliciendorum, Canoniſatio Epiſcopatus Munkacsienſis absque præjudicio, tum temporali, cum ſpirituali Epiſcopi Agrienſis Sanctitati Veſtræ proponeretur.

35. Non intermiſi ego interea tam Latinis, tam Græcis in Diœceſi mea exiſtentibus Paſtoralem meam ſolicitudinem impendere adeo, ut cum altero ab hinc Anno in Oppido Hajdonicali Dorogh nominato Græci complures ab Unione defecerint, hanc eorum Apoſtaſim pro ſalutari remedio illico Suæ Majeſtati repræſentarem eo cum affectu, ut feliciter ad Unionem jam exducti, & S. Unio ibidem rurſus confirmata.

36. Indulgeat nunc Sanctitas Veſtra, ut antequam (quam nunc jam fieri deberet) oſtendam in quo nam ſtatu, Actu S. Unio ſubſiſtat, ſeu in quantum cura, ſolicitudine Epiſcoporum Agrienſium Populus Græcus ſeu Ruthenus Unitus per Diœceſim iſthanc diffuſus ſit, brevibus attingam id, qualibus ex motivis dependentiam hanc Vicarii Munkacsienſis, Epiſcopi Agrienſes hucusque prætenderint? quomodo Jurisdictionem ſuam exercuerunt? & quantam curam habuerint, ut Vicario Apoſtolico, & Populo Ritus Græci proſint in omnibus, utſi quid in his pecatum eſt Sanctitas Veſtra ſupremo Jure corrigere dignetur.

37. Motiva, velut melius Sanctitati Veſtræ nota, breviter connoto: Primum fuit in Pii IV. Bulla. Romanus

Pontifex; quæ ita diſertis verbis ſtatuit: ad avertenda animarum pericula, & inter Catholicos ſcandala, caſſatis, & revocatis quibuscunque exemptionibus, & privilegiis eatenus in favorem Græcorum, tam Clericorum, quam Laicorum conceſsis, conſtituimus, ut omnes illi etiamſi Episcopali vel Archi-Epiſcopali dignitate præfulgeant, Locorum in quibus moram traxerint, ordinariorum Viſitationi, correctioni, punitioni, & omnimode Superioritati, in iis, quæ Dei cultum Sacramentorum adminiſtrationem, & animarum ſalutem, Hæreſum exſtirpationem concernunt (reliquis ipſorum Græcorum Ritibus a Sede Apoſtolica aprobatis, nec non Gratiis Apoſtolicis intactis permanentibus) ſubeſſe illisque tamquam Superioribus ſuis, ſuarumque animarum Paſtoribus humiliter obedire debeant.

38. Secundum: Generalis Concilii Lateranenſis Cap. Quoniam in plerisque de Off. Jud. Ord. ubi decernitur. Quoniam in plerisque partibus intra eandem Civitatem, atque Diœceſim permixti ſunt populi diverſarum linguarum, habentes ſub una fide varios Ritus, & mores, diſtricte præcipimus: ut Pontifices hujusmodi Civitatum, ſive Diœceſum provideant Viros idoneos, qui ſecundum diverſitates Rituum, & Linguarum Divina Officia illis celebrent, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent inſtruendo eos verbo, pariter & exemplo; Prohibemus autem omnino, ne una eademque Civitas, ſive Diœceſis diverſos Pontifices habeat, tamquam unum corpus diverſa capita quaſi monſtrum, ſed ſi propter prædictas cauſas urgens Neceſsitas poſtulaverit Pon-

tifex

tifex loci Catholicum Præſulem Nationibus illis conformem provida deliberatione conſtituat ſibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens, & ſubjectus; Unde ſi quis aliter ſe ingeſſerit, excommunicationis ſe noverit mucrone percuſſum, & ſi nec ſic reſipuerit, ab omni Miniſterio Eccleſiæ deponendum, adhibito ſi neceſſum fuerit, brachio ſæculari ad tantam inſolentiam repellendam.

39. Tertium: Conc. Trident. quod Seſſ. 24. de Refor. Cap. 11. hæc habet: Quoniam Privilegia, & Exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum Jurisdictione excitare dignoſcuntur: decernit S. Synodus: ut ſi quando juſtis, gravibus, & fere neceſſariis ſuadentibus cauſis, aliquos honorariis titulis, aut aliis inſignibus in Romana Curia, vel extra decorandos placuerit, aut quocunque titulo aſſummi nihil ex Privilegiis detractum Ordinariis eſſe intelligatur, quo minus ii, quibus ea conceſſa ſunt, vel impoſterum concedi contigerit, ipſis Ordinariis tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis plene in omnibus ſubjecti exiſtant.

40. Quartum: Idem Conc. Trident. Seſſ. 24. de Refor. Cap. 20. Legati quoque etiam delatere, Nuncii, Gubernatores, Eccleſiaſtici, aut allii quarumcunque facultatum vigore Epiſcopos impedire, aut aliquomodo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præſumant. Juxta quæ Ordinarius Loci, ſi ne quidem per Legatum a Latere Sedis Apoſtolicæ in jurisdictione ſua turbari poteſt,

quan-

quanto minus a Vicario Apoſtolico, qui magis Jurisdictionem extra Ordinariam habere cenſendus eſt, pro Ruthenis aut Græcis, qui extra Diœceſim, in qua habitat, conſtituuntur.

41. His tenui meo Judicio, tanto ſecurius inniti potuerunt Epiſcopi Agrienſes; quod ea jam Anno ſæculi hujus 18. ipſa S. Congregatio Eminentiſsimorum PP. de propaganda Fide etiam de Vicario Apoſtolico Munkacsienſi per Reſcriptum ſuperius ſub U. præadductum intelligenda, gratioſe declaravit.

42. Nihil igitur obſtitit, quominus Epiſcopi Agrienſes, prout ſciverunt, ſeveros eſſe Populi Rutheni, & Valachici Ordinarios, ita Ordinariam erga Populum, & Clerum eundem, nec non Vicarios eorum ſemper, ubique, & in omnibus exercuerunt Jurisdictionem; eisdem Generales Vicarios Ritus ſui præfecerint, & ab illis Juramentum fidelitatis, obedientiæ exceperint, etiam tum poſtquam ad aliquem in partibus infidelium conſecrati ſunt Epiſcopi, Eccleſias eorundem ſeu per ſe, ſeu per Delegatos canonice viſitarint, facultatem Eccleſiarum erigendarum, Monaſteriorum exſtruendorum, Sacerdotum inducendorum elargiti ſint, Synodos ſeu Congregationes Clero Rutheno, ſeu ipſi Agrienſes Epiſcopi, ſeu Eorum Vicarii Generales Latini præfixerint, & celebrarint, quas autem Epiſcopi Rituales celebrarunt, eas dicti Epiſcopi Agrienſes ſibi reſervarunt confirmandas.

43. De-

43. Denique cauſas omnis pene generis tam ipſi Apoſtolici Vicarii Munkacsienſes, quam & Clerus Græcus etiam contra ſuum Vicarium ad Generalem Epiſcopi Agrienſis Vicarium, vel plane via recta ad ipſum Epiſcopum, frequenter etiam via appellationis, ex Foro Munkacsienſi deduxerint, ut paſsim Acta Vicarialia omnium retro temporum oſtendunt, quæ ne moleſtus ſim Sanctitati Veſtræ, annectere ſuperſedeo, ſubmiſſurus, quæcunque juſſus fuero.

44. Hanc nihilominus Jurisdictionem ſuam ea cum moderatione, ac diſcretione exercuerunt Epiſcopi Agrienſes, ut non modo nulli impedimento fuerint Vicariis Apoſtolicis, quo minus omnia, quæ pro Gloria Dei, pro Unione in Ruthenis & Valachis firmanda, neceſſaria ſibi videbantur libere, expediteque agere potuerint, quin immo ubi ubi occaſio ſe obtulit, ad comoda etiam temporalia tam Cleri Uniti, quam Vicarii Apoſtolici promptos, & utiles ſe exhibuerint; hinc facultatibus generalibus, ne toties recurrere debeant, eosdem providerunt, Inſtantias Populi, aut Cleri Rutheni ſibi porrectas, ad eosdem Vicarios pro complanatione quærelarum remiſerunt. Presbyterorum Græcorum cauſas coram Dominis Terreſtralibus, aut in publicis Comitatuum Congregationibus pro virili deffenderunt, Inſtantias Vicariorum Apoſtolicorum, tam de immunitate Cleri Ritus ſui, quam de meliori ſua ſubſiſtentia, & habitatione efficaciter in debitis Locis promoverunt, imo immediatus Anteceſſor meus Comes condam Franciſcus Bar-

N kóczy,

kóczy, ſtudio S. Unionis promovendæ, & confirmandæ apud modernam Reginam noſtram Apoſtolicam effecit, ut in Seminario Clericorum Agrienſi ſex Græci Ritus Alumni ex Caſſa Parochorum alerentur, qui Sacratiorum ſcientiarum ſtudio exculti, cæterorum ſui Ritus Presbyterorum ruditatem, & ignorantiam vel ſuplerent, vel ſenſim etiam emendarent, & ex diurna cum Latinis conſuetudine magis Unionem cum iisdem in animis ſuorum olim Auditorum firmarent.

45. Ego vero ut a libris, Schismaticis erroribus infectis liberaretur Clerus Ruthenus, & Valachicus ultro liberaliter declaravi, me omnem operam libenter adhibiturum, ut libri cumprimis Rituales iisdem neceſſarii, in Typographia Scholæ meæ Agrienſis Typo mandentur.

46. Sapientiſsimo Sanctitatis Veſtræ Judicio ſubſtreno: An adhuc vineæ huic facere aliquid potuerint Epiſcopi Agrienſes, quod non præſtiterint? ſed vel hinc mirum Sanctitati Veſtræ non videatur S. Unionem ad eum ſtatum perductam eſſe in hac Diœceſi Agrienſi, ut quoad ſubſtantiam aliquid vix ei addi poſsit, attendendumque tantum ſit, ut Unio hæc ſarta, tectaque conſervetur, Clerusque, & Populus a ruditate, a ſuperſtitionibus ſibi propriis ſenſim repurgetur.

47. Equidem ita dignetur informari Sanctitas Veſtra, quod Diœceſis hæc Agrienſis, cui indignus præſum, ex primæva Divorum Regum Hungariæ fundatione Actu, præ-

ter

ter Civitatem Epiſcopalem Agrienſem complectatur Comitatus, ſeu Diſtrictus ſequentes: Heveſienſem, & ex parte Szolnokienſem, Zemplinienſem, Szaboltsienſem, Borſodienſem, Aba-Ujvarienſem, Unghvarienſem, Ugotsienſem, Bereghienſem, ubi eſt Oppidum Munkács, Saroſienſem, Szathmarienſem, & Maramoroſienſem, Diſtrictus item Jazigiæ, & Cumaniæ majoris, nec non Oppida Hajdonicalia, ex his Comitatus Heveſienſis, & Szolnokienſis, ut & Jazigiæ & Cumaniæ majoris, Diſtrictus continent Populum puri Ritus Latini Catholicum, quibus tamen imixta ſunt loca Hæreſi Lutheri, & Calvini, ſeu ex integro, ſeu ex parte infecta, demptis nonnullis Quæſtoribus Schismaticis, ex Provinciis Portæ Ottomanicæ ſubjectis, a potiori advenientibus, & Loca frequentiora incolentibus, in reliquis autem prænominatis novem Comitatibus, ita & Oppidis Hajdonicalibus Latini permixti ſunt Populo Græcum Ritum profitenti, & Hæreticis partim Lutheri, partim Calvini falſas doctrinas ſequentibus, ita ut non ſolum unus exempli gratia Pagus, aut Villa, ſeu Oppidum, aut Civitas per Latinos, alia per Ruthenos, aut Valachos incolatur, tertius Locus per Heterodoxos attactos, verum in una eademque Urbe, Oppido, aut Pago pars Calvino, aut Luthero adhæret, nec deſunt Loca non pauca, ubi ſimul Latini, & Rutheni, & Valachi ſuas diverſas tres Eccleſias, & Sacerdotes itidem tres habent, & diſtinctum Lutherani, aut Calviniani ſuum Miniſtrum, ex quibus Locis aliqua Agria non niſi quatuor, aut quinque milliaribus diſtant.

 48. Hoc

48. Hoc tamen non ſine animi mei voluptate Sanctitati Veſtræ reffere poſſum Deum miſericordiſsimum ita laboribus, curæ; & ſolicitudini Epiſcoporum Agrienſium, quoad Unionem Benedixiſſe, ut in tota hac, qua late patet Diœceſi, jam omnino omnes Græci Ritum profitentes, ſeu Rutheni, ſeu Valachi S. Unionem cum S. Romana Eccleſia, una cum Clero ſuo profiteantur, exceptis dumtaxat Quæſtoribus Schismaticis, ſimillibus illis, quos ſuperius attigi, & quorum plerique nec fixam habent in Regno hoc manſionem. Qui Populus Ritum Græcum ſequens, ita diſtributus eſt, ut plus, quam una quarta ejusdem in Diſtrictu Maramoroſienſi, Munkacsienſi, imixtus tamen, ut præattigi Latinis, & Hæreticis degat, plusquam duabus quartis per reliquos Diſtrictus ſuperius relatos diſtributus maneat, neque ullibi per totam Diœceſim meam publicum ſibi admiſſum habent Schismatici exercitium, aut Eccleſiam, ſi ſolum Civitatem Agriam, tantum nempe S. Unionis profuit, quod Græcum Ritum ſequentes conformiter ad infallibiles Sanctiones SS. Rom. Cath. Fidei, & Unionis firmamenti tractati ſint.

49. Profecto eandem felicem ſortem Comitatus quoque Zarandinenſis ſubiturus, & a Schismate purgandus erat, ſi ſub Jurisdictione Epiſcoporum Agrienſium, ad quos olim Jure indubitato pertinebat, manſiſſet, ſed quia injuria temporum a Diœceſi hac Agrienſi avulſus eſt, Schismatis, ac Hæreſeos error in tantum illic invaluit, ut Græci Ritus Unitorum, nulla, Latiui vero Ritus Catholicæ animæ 110.

[nu-

numerentur, ut iſtud perhibet Littera moderni Vicarii Generalis Csanadienſis ſub OO. adnexa.

50. Agria inquam Eccleſiam, & Sacerdotes binos habent Raſciani Schismatici, quorum Numerus univerſim intelligendo tam illos, qui Sacramentorum capaces ſunt, quam & incapaces, quadringenteſimum numerum non plane aſſequitur, circa quos ad Unionem, quam perprius profitebantur, reducendos, licet circa Annum 17, & 18. hujus Sæculi ſat egerit ejus temporis Epiſcopus Comes Gabriel Erdödy, efficere tamen nihil potuit, Commendantibus Arcis nedum aſsiſtentibus, ſed potius impedientibus ejus conatus, nunc autem, malum hoc longiore mora inveteratum difficilius curatur, non dum tamen abreviata eſt manus DEI.

51. Forte ſi Conſilium illud, quod Monachus ille S. Baſilii, cujus Epiſtolam ſuperius, ſub Littera annexui, dederat Epiſcopi Agrienſes in effectum deducere, & Vicarios Græci Ritus ad latus ſuum habere potuiſſent, & hi in Unione perſeveraſſent, & aliis moleſtis exemptionis Quæſtionibus impetiti non fuiſſent, ſed nempe ipſimet Agria exulabant, hoc dumtaxat ſæculo Telekeſius redire poterat ad Cathedram ſuam.

52. Beatiſsime Pater! liceat mihi, quod ſentio in humilitate aperire. Certe mihi ita videtur ex his, quæ hactenus enaravi, bene concludi poſſe: proficuum magis S.

N 3 Unio-

Unioni fieri, & ſtatui vix potuiſſe, quam quod factum, ſtatutum, & obſervatum eſt; videndum ergo jam nunc, an pro futuro aliquid aliud ſtatuendum, ordinandum, ac obſervandum expediat.

53. Abſit, ut ſeu Jura Majeſtatica, ſeu Supremum Jus Patronatns Apoſtolici Regis in dubium revocem, vi quorum Epiſcopatus Novos erigere, & fundare, ad eosdemque pro Judicio ſuo dignos præſentare poſsit.

54. Quia tamen Regio-Apoſtolicum Suæ Majeſtatis Dominæ meæ Clementiſsimæ cor ita occupatum ſcio, ut nihil intendat magis, ac in promotionem, emolumentum, & conſervationem Veræ, & Unicæ ſalvificæ Religionis Catholicæ, huncque ſcopum ſibi benigne præfixerit in erigendo, & fundando Novo Epiſcopatu Munkacsienſi pro Græci Ritus Populo, ideo quemadmodum, ſi Sua Majeſtas Regio-Apoſtolica hanc ſuam Benignam Intentionem prævie mecum communicare dignata fuiſſet, rationes omnes, & momenta, quæ erectionem Epiſcopatus Munkacsienſis, & avulſionem Populi Græcum Ritum ſequentis a Jurisdictione Epiſcopi Agrienſis diſuadent, & utrumque clare oſtendunt, per hoc non Unionem promovendam, ſed potius Populum Unitum periculo Schismatis exponendum Suæ Majeſtati humillime propoſuiſſem, ita ut eadem Sanctitati Veſtræ Filiali in fiducia ſubſternam, triplici ex Capite me judico obligatum. Primo: ut Conſcientiæ meæ faciam ſatis, ne ſi ſubinde res S. Unionis

nis alium, ac qui nunc quæritur, & intenditur, eventum ſortiretur, tota culpa in me unum coram Sua Majeſtate, coram Veſtra Sanctitate, coram DEO recideret, inſcitiæ, aut ignaviæ meæ attribueretur, mihique ſerio nimis ingeminandum eſſet triſtiſsimum illud. Væ! quia tacui.

55. Secundo: Cum Sua Majeſtas Intentionem ſuam una cum Littera, quam Sanctitati Veſtræ exaravit, mecum Benigne communicaverit, utique intendit, ut pientiſsimam ejus intentionem ſecundem, non tamen aliter, quam ipſamet habet pro Bono nempe Unionis; idque

56. Tertio: tanto a fortiori, quod opus hoc inſtituendi Novi Epiſcopatus in finem Benigne deduci velit Sua Majeſtas ita, ut nullum exinde præjudicium in Jurisdictione erga Latinos, nullum damnum in proventibus ſuis experiri cogantur Epiſcopi Agrienſes.

57. Primum motivum, quod perpetuam Populi, & Cleri uniti ab Epiſcopis Agrienſibus ſuaderet exemptionem, tenui meo Judicio hoc eſt: Securior nempe conſervatio S.Unionis, facilior ejusdem propagatio, & promotio, atque his ſolidandis, quantum aſſequor, hæc fere rationes adferi poſſent.

58. Primo: quod cum ſub Anteceſſore meo Georgio Jakuſits 63. Presbyteri S. Unionem amplexi ſunt, hanc conditionem poſuerint, ut Epiſcopum ſui Ritus habere poſsint.

59. Se-

59. Secundo: cum in Hungaria, & huic Vicinis ad Hungariam tamen pertinentibus Provinciis, complures Pſeudo Epiſcopi Schismatici, iique a Latinis independentes exiſtant, ſuumque etiam Schismaticum Metropolitam habeant, e re videretur, ut Vicarius Munkacsienſis Unitus independens ſit ab Epiſcopo Agrienſi, & Ordinaria Jurisdictione in Unitos polleat, ne ſecus cum Clero, & Populo Unito ſub ſorte inferiore Schismaticis collocetur, aut S. Unioni adhærentes villius, & deterius Schismaticis tractari videantur, conſequenter ab his, illi deſpectui habeantur; Clancularиis Schismaticorum artibus, accedente ingenita Populo Græco, velud a potiori rudi, inconſtantia, ab Unione, ſeu Catholica Fide deficiant, cum e contra Schismatici potius ad S. Unionem perduci poſsint per Epiſcopum Munkacsienſem, qua independentem ab Epiſcopo Agrienſi.

60. Tertio: Cum licet in Hungaria, adnexisque Provinciis hodiedum adhuc longe majore numero reperiantur Schismatici, DEI tamen Auxilio ſub moderatione Uniti Epiſcopi, ſeu Vicarii Munkacsienſis Negotium S. Unionis in eum ſtatum perductum, ut Eccleſiæ quidem 839. Actuales, Parochi 675. Perſonæ demum confeſsionis capaces 119107. numerentur.

61. Quarto: quod ſimille exemplum jam habeatur alibi, ut in eadem Diœceſi, imo in eodem Loco ſint, & reſideant plures Epiſcopi, quorum ſingulus Jurisdictionem Ordi-

Ordinariam, exercet in Populum ſui Ritus, ſignanter in Polonia, & Leopoli &c.

62. Jam ut circa hæc demiſſas meas reflexiones ponam; dico: ad Primum: Quomodo hæc conditio appoſita, & acceptata ſit, imo opponi, & acceptari potuerit, plusquam unius Sæculi uſus pacificus docet, qui vel ideo feliciorem in conſervatione, & promotione S. Unionis produxit effectum, quod Sanctionibus Canonicis conformis fuerit.

63. Diſsipato nempe feliciter Schismate Epiſcopi Agrienſes, quorum Diœceſis etiam Munkacsienſem tractum complectitur, ut juxta Conc. Later. Diſpoſitionem, Cap. quoniam in plerisque de Off. Jud. Ord. Ovili Ruthenico, & Valachico Unito de auxiliari Paſtore idoneo, Ritum Orientalem profeſſo, & linguæ etiam Populi perito providerent, egerunt ſuis Locis, ut Vicarius Apoſtolicus a Sede Apoſtolica conſtitueretur, factumque eſt, quod inclinante priore ſæculo, Joſephus de Camellis ad memoratum Diſtrictum Munkacsienſem miſſus ſit, qui, ut pro bono Unionis amplius Eccleſiaſtico Charactere fulgeret, a Nomine Reſidentiæ ſuæ Nominatus eſt Epiſcopus Munkacsienſis a Regia Apoſtolica Majeſtate, & ut Clerus Unitus ad Vicinos pro Ordinibus confugiendi neceſsitatem non haberet, conſecratus eſt in Epiſcopum Sebaſten, in partibus Infidelium, cui ut ſuperius clare oſtenſum eſt, ſua ſerie ſucceſsit Michael Manuel Oſſavſzky Epiſcopus conſecratus Roſſenſis, & modernus Ritualis Epiſcopus.

64. Neque vero dependentia horum Vicariorum Apoſtolicorum ab Epiſcopis Agrienſibus, vel minimum in Diœceſi hac, ut effectus docet, obfuit Unioni, imo vero pruritus independentiæ non rudi Populi, ſed ipſis videtur adſcribendus, qui providam Eccleſiæ circa Operarios Spirituales in ſubalterna ſubjectione Ordinationem pertæſi, Ordinariis Locorum obedire, horum Juſsis parere, per quam difficile, imo intollerabile eſſe putant, & pro Arbitrio liberi eſſe cupiunt.

65. Rudis plebecula contenta fuit hactenus, & deinceps quoque, niſi ab aliis concitetur, contenta erit, ſi Ritus ſui liberum exercitium, ita & Ritus ſui Epiſcopum, & Presbyteros habeat, nec eo unquam attendit, a quo ejus Epiſcopus, an a Latino Ordinario, an vero ab alio quopiam ex Eccleſiæ Ordinatione dependere debeat, quod ipſum Petrus Pathernius, & Gabriel Kaſſovits cum ſexaginta tribus Sacerdotibus, cum principio procuratæ Unionis egerunt, qui Eccleſiæ Ordinationem ſapienter intelligentes, coram Epiſcopo Agrienſi Georgio Jakuſics, ac poſtea hujus Succeſſore Benedicto Kisdy, non niſi Ritum Græcæ Eccleſiæ ſibi reſervare, Epiſcopum item per ſe electum Ritualem a Sede Apoſtolica confirmari petierunt, ut in Documento ſub A. nihil de eo cogitantes utrum Ritualis Epiſcopus a Jurisdictione Ordinarii Latini eximi debeat.

66. Unde quamvis Clerus Unitus firmari Unionem maxime ſe inde ſperare dicat, ſi is cum Epiſcopo Rituali ab Ordi-

Ordinario Latino independens fuerit, mihi tamen e contra videtur certum, nihil Unioni periculoſius futurum, quam ſi Clerus & Populus Unitus a Juriſdictione Epiſcoporum Agrienſium Ordinariorum exemptus fuerit, fiet enim, ut ſenſim huic prærogativæ confiſi majorem Latinorum comtemptum concipiant ſe non tantum in Ritu, ſed & Dogmatibus Fidei ſe ab iisdem ſeparent.

67. Scimus aliunde, quod hujus prærogativæ ambitio avulſerit primum Græcos ab Eccleſiæ, dum ſuam Conſtantinopolitanam Sedem Romanæ æquare cupiebant, ſi igitur ſinceram, & firmam Unionem Clerus Græci Ritus amat, non periculoſis prærogativis non SS. Canonum, & Pontificalium Diœceſionum relaxationibus illam fovere, ſed idoneis, & ab Eccleſia Ordinatis viis cuſtodire ſatagat.

68. Provida Mater Eccleſia Sponſi ſui, & Magiſtri Diſciplinæ Imitatrix ſicut Fideles in Unitate Fidei, & Vinculo Charitatis ſub Uno Supremo Paſtore, & Rectore a Chriſto inſtituto optime gubernandos vidit, ita illa Unum cuivis particulari Eccleſiæ præfecit immediatum Caput, a quo ea tota dependeat, cujus vocem audiat, & ideo ſolicite ſemper providit, ut unum Regnum unum dumtaxat Primatem, una Provincia, unum Metropolitam, una Diœceſis, unum Epiſcopum, una Paræcia, unum Parochum habeat, & ſi aliquando plurium Operariorum, ſive ob Populi Negotiorumque multitudinem, ſive ob linguæ diverſitatem, labore opus eſſet plures omnino Operarii aſ-

ſummantur, hi tamen omnes, non tamquam proprii muneris curam exerceant, ſed Vicariam dumtaxat, & Auxiliarem Operam addant, in hac Hyerarchiæ Ordinatione in pace, & concordia reguntur animæ, & ex hoc nexu tum maxime patebit, Oves etiam unitas eſſe ex eodem cum Latinis Ovili Chriſti, ſi etiam Vicaria quidem adjunctorum operariorum cura proviſi ſint, unius tamen Paſtoris Vocem omnes audiverint.

69. Ad Secundum: In Diœceſi Agrienſi (Non nobis Domine non nobis, ſed Nomini Tuo da Gloriam) ut declaravi ſuperius nulli ſunt Schismatici, niſi in Regiis Civitatibus, & frequentioribus Oppidis aliquos Græci Quæſtores Portæ Ottomanicæ a potiori Vaſalli, item aliqui Raſciani, Agriæ, qui ſub protectione Conſilii Bellici circa Annum 1718. ad Schisma defecerunt, nec his, nec illis ullum eſt, vel linguæ, vel Negotiorum Commercium peculiare cum Ruthenis, & Valachis Unitis, confertim quidem montoſa Regni confinia, ſparſim vero planiorum locorum Villas incolentibus, non ergo tam facile accidere poteſt, ut Rutheni, ſeu Valachi in Diœceſi Agrienſi exiſtentes contemnantur, & perturbantur, ſed nec cum ipſis Epiſcopis Schismaticis Rutheni mei, & Valachi commercium habent, velut magis diſsitis, ac remotis, unde ab his, irrideri, nec perturbari poſſunt, vel ſi hoc, ſeu Populus Schismaticus, ſeu eorum Epiſcopi, aut Metropolita quoquo modo attentaret, facillime Authoritate Regia impediri, ac compeſci poſſent, ut Anno proxime præterito factum eſſe in

Oppi-

Oppido Hajdonicali Dorogh, Diœceſis meæ ſuperius attigi, ubi cum Schismatici Quæſtores ad Metropolitam recurſum feciſſent, hicque etiam faciles aures eis præbuiſſet, & Modalitate hac Populus Unitus Doroghienſis perturbari cœpiſſet, dictus Metropolita per Suam Majeſtatem commonitus eſt ſeverius, & a ſimilibus inhibitus Schismatici Quæſtores puniti Populus Unitus ad pacem compoſitus, & in Sacra Unione firmatus.

70. Si tamen gloriari licet, gloriabor in eo, veritatem enim dicam, gloriabor inquam in eo, quod ego licet Virtutis infirmæ doctrinæ inſufficientis, Miſeratione nihilominus Divinæ Agrienſi Cathedræ præſim, quæ non tantum Sanctitate veræ Religionis, ſanioris Doctrinæ, & Eruditionis gloria Religioſa, diſciplinæ obſervantiæ alias antecellit, ſed illis etiam, quæ in ſenſus incidunt, ſuperabundat.

71. Sane Eccleſia Agrienſis cum ſuis Antiſtitibus a limine ipſius fundationis ad hæc usque tempora peculiarem ſemper experta eſt protectionem Regiam, hinc pro Eccleſia Agrienſi tales per pientiſsimos Reges ſelecti ſunt Antiſtites, quorum Veſtigia utinam, vel a longe ſequi poſsim, in quibus cum Eruditione virtus certavit, Splendor Natalium cum amore populi, & æſtimatione conjuncta fuerunt.

72. Epiſcopus denique Agrienſis, ſicut inter Optimates Regni unus, unus eſt, ſemperque fuit ex præcipuis, ita prima hactenus ſubſelia & jure ſibi vindicavit, & pro

utilitate Religionis, Regis, & Boni publici honore ſuſtinuit, vix ergo rudiſsimus quisque niſi malitia, & aliorum malis conſiliis, præventus Metropolitam Schismaticum, cui leges Patriæ has prærogativas non admittunt, cum Epiſcopo Agrienſi comparabit.

73. Niſi forte videatur alicui Ruthenos, & Valachos ob ſolam Ritus diverſitatem ſecurius, & honorificentius parituros ſoli Græco ſuo Epiſcopo & hoc magis ab illis deſiderari.

74. Quam honorificum, quam conveniens hoc eſſe videtur, tam plenum eſt periculi, ne planam viam Schismati ſternat, & Unionem penitus abſolvat, enim vero ad Divini cultus, ad S. Unionis conſervationem, & promotionem, nihil intereſſe videtur, ſane? an Epiſcopi Agrienſes authoritate Epiſcopus Unitus Jurisdictionem exerceat, modo fide, & integre agat omnia, quæ agenda ſunt, imo cum in Epiſcopi Agrienſis authoritate, & aſsiſtentia magnum ſemper habuerit, & habiturus præſidium, independentiam ab hoc ſine periculo Unionis ambire non poteſt.

75. Excuſſa ſemel Diœceſani Agrienſi obedientia, ipſisſimis rationibus, & a paritate Epiſcoporum Schismaticorum excutere poteſt etiam Metropolitæ, & Primatis Latini eodem argumento utens, ne videlicet ſit Epiſcopis Schismaticis, qui non Latino, ſed Græco Metropolitæ parent.

76. Sed

76. Sed etſi Metropolitæ, aut Primatis Latini obedientiam excuteret, nondum fieret æqualis Schismaticis Epiſcopis, & eorum Metropolitæ, tum quia hi fors majores, ac ille ſperare poteſt, proventus habent, tum quia Metropolita Schismaticus a nullo dependens, liberum agens eſt; ille ſaltem a Sede Apoſtolica utique dependere deberet.

77. Jam attactum eſt ſuperius Unionem per Epiſcopos Agrienſes inductum eſſe, ſub iisdem, & opera eorum incrementum ſumpſiſſe, & denique ad hunc, in quo modo eſt, felicem ſtatum perductam, ut quid ergo ad retinendam, confirmandamque Unionem alia quæruntur media? quam quæ felix integri, & quod excedit, ſæculi uſus aprobavit.

78. Vicina Archi-Diœceſis Strigonienſis numerat Græci Ritus Parochos in ſe circa 14, qui tamen Prælatum Græcum nullum habent, a Vicario Generali Scepuſienſi Latino reguntur, & gubernantur in omnibus, & unice ad ſuſcipiendos Ordines dimittuntur ad Epiſcopum Græcum, num quid propterea S. Unio detrimentum paſſa eſt? quin imo tam pacifice in Unitate Fidei vivunt, ut ne nulla memoria exſtet alicujus convulſionis, aut quærelæ.

79. Profecto ita Natura ipſa comparatum eſt, ut quos ad invicem ſincere Unitos cupimus, eorum diviſionem omnem, quam maxime caveamus; quomodo proinde hoc ſubſiſtit, ut Ritualis Epiſcopus Munkacsienſis cum Ortho-

doxo

doxo Epiſcopo Agrienſi, & per hunc cum Eccleſia Catholica unitus maneat, & tamen ſimul procuret, ut ſcindatur nexus, quo ei tam feliciter, ac utiliter, huc usque eſt, & fuit devinctus.

80. Etiam Author, & conſumator Fidei Chriſtus Jeſus, ut diverſitatem Gentium in Unitate Fidei congregaret Eccleſiæ ſuæ regendæ Monarchicam Formam inſtituit, hoc Eccleſia in Spiritu Sancto congregata explanavit, & firmavit prohibens ne una Diœceſis propter diverſitatem Rituum, aut Linguarum plures Diœceſanos habeat Epiſcopos, ſicut Monſtroſum corpus plurium Capitum, in Unitate Rectoris Unitas Fidei, Uniformitas diſciplinæ, & pulchra tum animorum, cum externarum Actionum conſenſio plurimum radicatur. Ubi vero pari cum authoritate multiplicantur Rectores, plerumque quod ſunt Capita, tot emergunt diverſi ſenſus, ex quibus diſciplinæ convulſio, animorum, Opinionum, Studiorum diſenſio progerminat inimica Deo pacis, ac Unitatis.

81. Utinam eæ eſſent temporum & rerum circumſtantiæ, quæ Reginam Apoſtolicam, & Dominam Noſtram Clementiſsimam non cogerent ea circa Schismaticos, eorumque Epiſcopos tolerare, quæ in vita tolerat; utinam pro Zelo ſuo, quo fertur, ſemper maximo in emolumentum veræ Religionis, poſſet Schismaticorum Epiſcoporum Authoritatem circumſcribere magis, eosque Latinis Epiſcopis vel

vel tantillum ſubjicere, ipſo certe uſu familiari manſueſcerent, & ad Conſilia Unionis facilius propenderent.

82. Sed quia hi per Hungariam adnexasque Provincias nullam a Latinis Epiſcopis dependentiam agnoſcunt, non ſolum ipſi in ſuo errore ſunt pertinaces, ſed etiam nova Schismatis incrementa moliuntur, brevi Schisma, aut deſerturi, aut ad limites arctiſsimos reſtringendi, ſi Epiſcopi Orthodoxi Latini eorum facta inſpicere, in Cenſuram vocare, & pro ſua prudentia, ac Zelo moderari auderent, quod hos in Schismate firmat, hoc idem Munkacsienſi reditum ad Schisma expeditum facere poteſt, ſimilis enim cauſæ, ſimilis ſolet eſſe effectus.

83. Avertant Superi! ut Munkacsinum veniat Epiſcopus Græcus, Schismatis labe aut infectus, aut ad id proclivis, cui Epiſcopus Agrienſis intendere non poſsit, quam facile redirent tempora Baſilii Taraſzovits, & longe cum majori periculo, quia Ordinarius Agrienſis Populum, & Clerum ſibi, non ſubjectos non ita facile, aut Georgius Jakuſics Ordinarius Agrienſis Parthenium cum ſexaginta tribus Presbyteris ad Unionem reducere valeret.

84. Ad tertium: ultro conſiteor S. Unionem nimium quantum magna incrementa ſumpſiſſe in Diœceſi Agrienſi, an autem Numerus Eccleſiarum, Parochiarum, & Animarum, qui per Vicarium Munkacsienſem Suæ Majeſtati repræſentatus eſt, omni ex parte ſubſiſtat, nunc diſputare

P nolo,

nolo, neque enim conveniens eſt, ut in hac Chryſi conſcriptionem Animarum, ſeu connotationem Eccleſiarum Græci Ritus inſtituam.

85. Verum ergo eſt; quod Populus Ruthenus Unitus per totam Diœceſim Agrienſem diffuſus ſit, ſed hæc ipſa eſt gloria Epiſcoporum Agrienſium, quod eorum Opera; ut ſuperius oſtendi, Unio hæc inchoata, confirmata; aucta; & in eum ſtatum, in quo modo eſt, perducto ſit.

86. An autem, poſtquam tot laboribus, moleſtiis, ac curis indeſinentibus ſtetit Sacra Unio, ejusque fomentum, ac propagatio Epiſcopi Agrienſes id promerite ſint, ut jam nunc Populus Unitus, tanto numero per Diœceſim hanc diffuſus, a Jurisdictione ipſorum per Erectionem Epiſcopatus Munkacsienſis avellatur, Sanctitas Veſtra pro ſumma ſapientia, acerrimoque Judicio dignabitur arbitrari. Ingrata Soboles, quæ Genitores ſuos deſpicit, indignus Pupillus, & Miniorennis, qui Tutoribus, & Curatoribus ſuis Annos pubertatis excedens, gratus non eſt; eorumque Conſilia, quibus feliciter profecit, contemnit.

87. Si res quæque iis mediis optime, & ſecuriſsime conſervantur, quibus comparantur, videtur certo inferri poſſe; quemadmodum Epiſcopi Agrienſes Populum ad Sacram Unionem perduxerunt, & eundem ultra Sæculum in Unione conſervarunt, ita porro eundem Vigili ſua cura optime conſervare poſſunt.

88. Epi-

88. Epiſtola ab Anteceſſore meo Comite Erdödy, Georgio Genadio Bizanczy ſcripta, & ſuperius ſub 5. adducta exhibet exceſſus, quos hic Vicarius Apoſtolicus ſumme Præjudicioſos, & Latinis, & S. Unioni atque etiam Scandaloſos commiſit, ignorantiam, ruditatem, turpiſsimos errores Cleri Rutheni clarius exhibent, Acta Viſitationis Canonicæ ab Anteceſſore meo, Comite Franciſco Barkoczy peractæ, & ſuperius ſub II. annexæ.

89. Mihi tempus adhuc non ſuppetebat, ut partes illas, in quibus Populus Ruthenus Latino mixtus degit viſitarem, quæ tamen in Clero, & Populo Unito corrigenda ſint, quæ deffiCiant in illis, quibus erroribus adhucdum imbuti ſint eorum Sacerdotes, quam denique vigili oculo etiam nunc opus ſit, patet ex relationibus, quas Vice-Archi-Diaconi mihi ſubmiſerunt, & hic in extractibus ſub PP. adnectuntur.

90. Ad quartum: Non video, cur non poſsint eſſe Epiſcopi Græci Ordinaria Jurisdictione pollentes, ubi diſtinctum Territorium, & Populum Græcum pariter diſtinctum habent.

91. Si in Polonia, & ſignanter Leopoli in eadem Civitate plures ſunt Epiſcopi Ordinarii, forte inde evenit, quod Græci Epiſcopi in hac Jurisdictione, & præceſſerunt Latinos ætate, & Populus Græcus longe ſuperet, Latinos, vix tamen mihi perſuadeo, ut multiplicibus quæſtionibus, & controverſiis Latini Epiſcopi non implicentur, ut Populi

Græci a ruditate, ignorantia, erroribus circa Fidem ſuperſtitionem, aut idololatriam redolentibus ita repurgati ſint; ut ſi ſub Latinis eſſent, repurgarentur ſane in vicina Tranſylvaniæ habetur Epiſcopus Græci Ritus Unitorum in una, eademque Diœceſi cum Latino Epiſcopo, authoritate, & Jurisdictione Ordinaria pollens, cum ullo tamen Unionis auctæ, aut dilatatæ emolumento, id quod exhibet Littera Domini Epiſcopi Tranſylvanienſis ſub QQ.

92. Alterum motivum, quod hanc perpetuam exemptionem Vicarii Apoſtolici ab Epiſcopis Agrienſibus commendare videtur, eſt: quod hoc modo differentiæ, quæ inter Epiſcopos Agrienſes, & Epiſcopos Rituales, controverſiæ item, quæ inter Clerum Latinum & Græcum Unitum vigebant, ſopirentur, pax & tranquilitas, & per hoc ipſa Sacra Unio ſtabiliretur, firmareturque.

93. Quam pacis colendæ amantiſsimus ſum, tam libenter ambabus Ulnis complecterer, hanc ſeparationem, vel ex hac ſola ratione, ſi ſpem habere poſſem ſecuturæ pacis, & tranquilitatis, & magis ſinceræ Unionis animorum inter Clerum Latinum, & Ruthenum, ac Populum utriusque Ritus.

94. Verum ingenue fateor, longe alia non tantum Relatione, ſed ipſa experientia jam edoctus ſum, hucusque licet Ritualis Epiſcopus Munkacsini reſidens, ab Agrienſi, tanquam ejus Vicarius dependentiam habuerit; præſumpſit

ta-

tamen in quibusdam caſibus adverſus ejus Decreta legitima inſurgere, Presbyteros ſui Ritus adverſus Parochos Latinos concitare ; quid non faciet, ſi excuſſo erga Epiſcopum Agrienſem Canonicæ obedientiæ jugo, Jure ſuo omnia definire poterit : Presbyteri Græci, ſeu Rutheni hactenus in Jura Parochorum Latinorum involarunt, Latinorum Matrimoniis aſsiſtendo, imo etiam Acatholicorum Latinos ad Græcum Ritum perducendo, in Proventus Parochiales Latinorum inviolando, Parochos Latinos verberibus afficiendo, cum tamen ob ſimiles exceſſus, aut Agriæ puniri potuerunt, aut ex mandato Epiſcopi Agrienſis per Vicarium Munkacsienſem ſatisfactio impendi, quid exſpectari poteſt, ſi nullam cauſam habuerint Præſules Agrienſes formidandi :

95. Creſcit meus metus exinde: quod, ut ſuperius declaravi, in Diœceſi hac mea Agrienſi, admodum multa loca ſunt, quæ utriusque Ritus Populum, ac Sacerdotes habent, itaque quam facile eveniet, ut ex diverſitate Regiminum diſcrepent ad invicem non ſolum Oppida, & Villæ vicinæ integræ, ſed etiam eorundem locorum, Cives, & incolæ imo etiam ſæpe unius, ejusdemque domus Alumni.

96. Bone Deus! an non ex hoc inordinatum Chaos Animarum exulcerationes longe majores, ac hactenus prudenter præmetui poſſunt? cum tamen de qualibuscunque nunc Sacerdotum juribus, aut externæ diſciplinæ moribus

differentia enaſcatur, prompto expeditoque unius Diœceſani ſtudio, præſertim ſi hic ſua canonica, & legali Authoritate fungi permittatur, ad Uniformitatem, & æqualitatem pacemque facile reducatur, neque ullum ſit periculum, ut Clerus Unitus de Opreſsione juſte queri poſſet, quando lata ei patet Via appelandi a Judicio Epiſcopi Agrienſis, ad Judicium Mitropolitæ, & Primatis, modo velit incedere trita Patrum Via.

97. Quæ diſſenſiones tanto eſſent majori ſcandalo, & damno Animarum in hac Diœceſi Agrienſi, quod tam Latinis, quam Ruthenis permixti habitent etiam Acatholici; quis fructus in horum converſione ſperari poſſet, quando tantæ eſſent controverſiæ inter Populus ejusdem Fidei, ſed diverſorum Rituum.

98. Ipſis autem Epiſcopis Agrienſibus quam difficile accidere poſsit e feneſtris quaſi ſuis diſſenſiones has, ſcandala, & defectus videre, nec poſſe remedium ponere, quin in ipſa Civitate Reſidentiæ ſuæ Agriæ absque remedio talia quotidie experiri cum loca aliquot Agria non multum diſsita ex parte, vel ex integro Populus Ruthenus incolat, & ipſi Agrienſes Schismatici iterum cum Auxilio Divino ad Unionem reduci poſsint.

99. Experientia propria in his confirmor. Placuit Suæ Majeſtati Apoſtolico Regiæ anno proxime præterito decernere, ut ex locis illis in quibus Sacerdotes Græci Ritus

non

non exiſtunt, Proventus Annuus a Ruthenis proveniens, horum Sacerdotibus, & non Parochis Latinis in loco reſidentibus cedat, quantæ vel ex hoc Decreto emerſerunt tricæ patet ex informationibus Vice-Archi-Diaconorum ſub PP. præannexis, ex quibus etiam ſat clare eruitur, quod vel propter hunc Proventum demptum a Parochis Latinis hi longe difficilius ſubſiſtere poſsint, & forte ex aliquibus locis, & Parochiis plane diſcedere, Populumque ſine Paſtore relinquere cogentur, non ſecus adlaboraturum Vicarium Munkacsienſem, ut hic pro more ſuo Presbyteros ultra Neceſsitatem multiplicet, hos autem ut Latinos ad ſuum Ritum perducant, quo Proventus ſuos cum clara, & evidenti ſuppreſsione Latini Ritus augeant.

100. Immortales quidem debeo, vel ex eo agere Gratias Dominæ meæ Clementiſsimæ S u æ M a j e ſt a t i Regio-Apoſtolicæ, quod Benigne deſideret hanc erectionem Epiſcopatus Munkacsienſis, ita inſtituendam, ut nullum aut in Spiritualibus, aut in Temporalibus ego, & Succeſſores mei Epiſcopi Agrienſes patiamur detrimentum, ſed ſalva maneant atque integra omnia. Pientiſsima, & Benigniſsima Intentio hæc nullo non tempore per me, Succeſſoresque meos ſumma gratitudine eſt, recolenda, quæ tamen non paucas, quantum non vane metuere mihi videor, patietur difficultates.

101. Prætereo id, quod tantus Populus cum tanto Clero, quantus eſt in Diœceſi hac Agrienſi Clerus, & Po-

pulus

pulus Unitus, qui ſemper fuit ſub indubitata Epiſcoporum Agrienſium Jurisdictione velut dimidium Cordis ab iisdem abſtrahatur, quod tanto utique majori temeritudine ferent, quo magis ſibi, & aliis Notum eſt, quod hunc Populum Chriſto, & Eccleſiæ Epiſcopi Agrienſes genuerint, & ſua negligentia ex illis non perdiderint quemquam.

102. Id tantum Sanctitati Veſtræ in filiali fiducia inſinuare debeo. Vix eſſe poſsibile, ut facta hac ſeparatione Populus Latinus non iminuatur, & in multis locis una cum Parochis Latinis non ſuprimatur, penitus hæretici autem minus convertantur, tum quod Ritum Græcum ob Jejunia, & Ceremonias magis oderint, & abominentur, quam Latinum cum etiam, quod e converſo Græcos Presbyteros ex eo, quod rudes, ac ruſticani ſint, per conſequens, quibus magis dominari poterunt præ Latinis, præeligent.

103. Temporales Proventus, quod concernit, licet quidem, vel ideo, quod omnia, quæ actu tenet, & poſſidet Epiſcopus Agrienſis, habeat, ex Fundatione Regum: cum S. Stephani ac Ladislai omnia Prædia, & Poſſeſsiones uti, & decimas in Comitatu ſeu Diſtrictu Bereghienſi, in quo ſituatur Oppidum Munkacs, licet item ex eo, quod vi hujus Fundationis Epiſcopus Agrienſis cum ſuo Capitulo, & Clero in uſu ſit percipiendarum Decimarum etiam a Ruthenis, ac Valachis, Jura ipſorum nec in quæſtionem

ſumi

ſumi a quopiam poſſe videantur, non eſſet tamen Epiſcopus Agrienſis cum ſuo Capitulo, & Clero in his indubitatis Juribus ſuis tutus ab Epiſcopis Ritualibus, ſi ab Ordinaria Agrienſium Præſulum Jurisdictione eximerentur.

104. Joſephus de Camellis adhuc tantum Vicarius Apoſtolicus uſus eſt ſub Feneſyo, ut littera ejusdem ſub D. accluſa oſtendit non tantum prætendere decimas ad Agrienſem Epiſcopatum ſpectantes, ſed vi, & potentia mediante rapere, & licet ſubinde hic ab illegali ſua prætenſione remotus ſit nihilominus.

105. Modernus Vicarius Michael Manuel Olſavſzky iteratis vicibus per Inſtantias ſuas apud Cameram Hungaricam petiit aſsiſtentiam, ut decimas a Valachis, in certis Comitatus Maramoroſienſis Oppidis habitantibus poſsit deſumere, licet certo jure ad Epiſcopatum, & Clerum Agrienſem pertinentes.

106. Si hæc audent, qua Vicarii Apoſtolici, quid non merito ab ipſis timere poteſt Epiſcopus, & Clerus Agrienſis, ſi Ordinaria, quoad ſuos Græcos præditi fuerint jurisdictione? profecto tunc potentius urgere, & præmere poſſent ſuas prætenſiones his argumentis: quod illi ſint veri Epiſcopi & Populi Ruthenici, & Valachici Ordinarii, illi ſoli ipſorum curam habeant, adeoque ſoli digni, qui lana ovium ſuarum veſtiantur, lacte paſcantur, indignum eſſe ut Epiſcopi Latini, a quibus nullam Rutheni, & Va-

lachi dependentiam habent, ab illis decimam percipiant, quibus ipſi nihil præſtant.

107. Et cum decima ſit Proventus hujus Epiſcopatus & Cleri unius ex principalioribus, non contemnendo damno exponeretur tam Epiſcopus ipſe, quam Capitulum ejusdem, & Parochi, cum Capitulum Agrienſe in certis Comitatibus, ſeu Diſtrictibus eorumque nonnullis locis etiam a Ruthenis inhabitatoribus accipiat decimam, præterea ex nonnullis decimis, quas percepit Epiſcopus, Archi-Diaconi percipiunt ſeptimam ejusdem decimæ partem, ita porro Parochi Latini Octavam, imo ex nonnullis locis ipſi Parochi Latini accipiunt decimam, uti in ipſo Oppido Munkacs, quod jure terreſtrali neutiquam pertinet ad Vicarium Munkacsienſem verum ad alium Sæcularem Dominum terreſtrem.

108. Accedit, quod quemadmodum nunc Epiſcopus Ritualis apud Suam Majeſtatem exoperatus eſt, ut etiam in locis ubi Sacerdotes habent ſuos, tamen etiam Proventum Annuum percipiant Rutheni Sacerdotes vicini a ſui Ritus hominibus etiam ſi in loco tali ſit Parochus Latinus nihil facilius, quam ut eundem qua Ordinario in mentem veniat deſiderare Octavam paulo ante attactam, ſeu in toto, ſeu in parte pro ſuis Sacerdotibus, imo etiam fundos, Agros, prata, & ejusmodi pertinentias, quas Parochi Latini ab imemorabili tempore poſsident dividat, propter diviſum Populum, & ex his an non perpetuas tricas,

cas, lites; controverſias damnum Epiſcopatus, Capituli, & Cleri præmetuenda habeam? an non iminuendum Numerum Parochorum Latinorum, & ipſius Populi Latini? Paterno ſubſterno Sanctitatis Veſtræ Judicio.

109. Non aliud mihi reſtat, quam ut brevibus demiſſam hanc meam informationem concludam, & hoc quod ex relatis hactenus per legitimam conſequentiam inferri poteſt, aperte pandam, in omni humillitate, & ſinceritate prout coram DEO ſummo Animarum Paſtore judico.

110. Quemadmodum quæ hactenus per Epiſcopos Agrienſes pro S. Unionis promotione facta ſunt, & prout Negotium S. Unionis per eosdem tractatum, exhibent relata a me ita, quæ prudenter præmetui poſſe mihi videntur, non admittunt ſalva conſcientia, ut dicere audeam independentiam, & perpetuam exemptionem Vicarii Munkacsienſis, ſeu Epiſcopi Ritualis ab Epiſcopis Agrienſibus Unioni pro futuram, litibus, & controverſiis finem impoſituram, absque damno, & præjudicio Eccleſiæ Agrienſis eſſe poſsibilem.

111. Imo vero proximo periculo exponendam timeo eandem Eccleſiam Agrienſem ne Color ejus Optimus quo eam exornarunt potiſsimum Sanctiſsimi Reges: Stephanus & Ladislaus imitetur, ut Aurum, quo eam ditarunt obſcuretur.

112. Bela Rex Hungariæ confirmans Privilegia libertatis, immunitates, & prærogativas Eccleſiæ Agrienſis præcellentiam Cathedræ hujus, his complectitur brevibus: „ Hinc eſt, quæ ad Univerſorum Notitiam harum ſerie vo„ lumus pervenire: quod S. Mater Eccleſia Agrienſis, in „ honorem Beatiſsimi Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ dedicata ejus Fundator, & Dotator Sereniſsimus Rex Stephanus primus, Regni Hungariæ Apoſtolus, præcipuus miro modo fuit, & eſt; demum per Beatiſsimum Regem Ladislaum cum fœcundioribus fructibus, & poſſeſsionibus lautioribus eadem Eccleſia exſtitit ampliata, ſic & per Succeſſores Reges Hungariæ noſtros Progenitores diverſis Poſſeſsionibus, piſcinis, ac multifariis libertatibus exſtitit decorata, ac munita, ipſaque ſuper omnes Eccleſias Cathedrales Hungariæ per tot donationes, libertates, per Sanctos Reges donatas, & conceſſas ſedebat ut Domina Gentium in Sede Majeſtatis Suæ diademate plenitudinis decorata.

113. Hanc plenitudinem Majeſtatis nimium quantum iminuendam cum periculo S. Unionis cenſeo in humilitate, poſteaquam DEUM Authorem omnium Bonorum ſuplex per interceſsionem Beatiſsimorum Regum Stephani ac Ladislai, nec non S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ identidem interpellavi, & quidem cum Conſiſtorio meo, ac Oſculando filiali cum affectu Sanctitatis Veſtræ Pedes, emorior, Agriæ 31. Martii 1767. Humillimus & obedientiſsimus filius Carolus Epiſcopus Agrienſis m. p.

Duæ.

Duæ hæ Epiſtolæ præmiſſæ Nuncii videlicet Apoſtolici, & Epiſcopi Agrien. tranſumptæ ſunt ex Libro ſub titulo: Opinio & informatio de Epiſcopatu G. R. Munkacsienſi non erigendo &c. Agriæ impreſſo anno 1770.

§ 3. Quæ in Epiſtola Præſulis hujus in oppoſitum allegantur, trifariam congrue dividi poſſunt. Primum quia erectio ejusmodi in præjudicium foret Jurium Ordinarii Agrien. quandoquidem pars populi notabilis a Jurisdictione ejusdem diſtrahenda veniret, quam Jurisdictionem ſuper Populum Ruthenum tam ſe hactenus, quam & prædeceſſores ſuos exercuiſſe idem Præſul multis evincere nititur. Secundum: Legibus Eccleſiaſticis cautum eſt, ne una eademque Civitas duobus Epiſcopis regenda comittatur. Tertia Allegationnm pars reſpicit abuſus, quos in Clerum, Populumque Ruthenum irrepſiſſe aſſerit Præſul hic Relationibus innixus nonnullorum Diœceſis ſuæ Vice-Archi-Diaconorum. Quibus rationum momentis altefatus Pontifex ſenſa Antiſtitis illius, ac de non erigendo Epiſcopatu Munkacsien. opinionem approbaſſe primum e Brevi ſub dato XIV. Novembris 1767. ad eundem Præſulem ſonante clarum eſt, cujus tenorita ſonat: Venerabili Fratri Carolo Epiſcopo Agrien.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem! Dudum a Fraternitate Tua quæſivimus quænam eſſet Sententia Tua de Epiſcopatu Græci Ritus Mun-

kacsini erigendo, quem Chariſsima in Chriſto Filia Noſtra Maria Thereſia Hungariæ Regina Apoſtolica ſumma contentione, & ſtudio a Nobis conſtitui flagitavit. Et accurate diligenterque nos docuiſti, qua propter Epiſcopatum illum erigi non oporteat; quas rationes eidem Reginæ Apoſtolicæ pro noſtro Apoſtolatus munere afferri curabimus quidem, quo Regia ejus Majeſtas conſtituendi illius Epiſcopatus conſilium omnino abjiciat: Sed ipſe Venerabilis Frater longe præſtabis efficatiores, ſi Viennam Te conferas, & coram de ea re apud Eandem Reginam diſſeras, Eique perſuadere ſtudeas, ut a ſuſcepto conſilio deſiſtat. Quod iter ut ſuſcipias Te in Domino vehementer hortamur, & obſecramus. Qui enim gravius, & uberius, & luculentius exponere hæc queat, quam Fraternitas Tua expoſuerit, arbitramur omnino eſſe neminem. Cæterum de Tua vigilantia, ſedulitate, & cura in Sancta promovenda Unione plurimum Tibi Venerabilis Frater profitemur Catholicam debere Eccleſiam, Tuoque ſtudio referendum eſſe cenſemus acceptum in iſta Tua Diœceſi pleroſque Græci Ritus homines cum Catholica Romana Eccleſia eſſe conjunctos. Cujus Unionis ut Anteceſſoribus Tuis tribuenda laus eſt fuiſſe auctores, ſic Fraternitati Tuæ Tuoque Zelo maximi debentur progreſſus. Atque ut illuc revertamur unde divertimus, in id toto pectore velimus incumbas, ut Reginæ Apoſtolicæ præſens præſenti oſtendas, quam inutile ſit & minime conducibile Epiſcopatum Græci Ritus ab omni Ordinarii Latini Jurisdictione exemptum conſtitui egregiæ Prudentiæ, ſtudioque Tuo in ea re pertractanda confiſi,

DE-

DEUM precamur interea, ut Divina ope ſua Te adjuvet, quo re bene geſta lætabundus, & nova cumulatus laude ad Epiſcopalem Tuam redeas ſedem. Et Fraternitati Tuæ intimo cordis Noſtri affectu Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XIV. Novembris M. DCC. LXVII. Pontificatus Noſtri anno Decimo. M. A. Archi-Epiſcopus Chalcedonenſis.

CAPUT XIV.

§ I.

Ex præmiſsis itaque palam eſt Summum Pontificem tam immediate per ſe quam & medio Agrienſium Præſulis apud Auguſtam Dominam Mariam Thereſiam ſolicite egiſſe, quatenus a cœpto ſuo propoſito iſthoc deſiſteret penitus, atque Munkacsienſis Epiſcopatus erectionem, Canoniſationemque non ſolicitaret deinceps. Negotium proinde hocce tantiſper ſuſpendere cenſuit Regia & Apoſtolica Majeſtas argumentis, & allegationibus præexpoſitis inducta; Conſilia attamen ſua ſimpliciter mutare haud voluit, quemadmodum effectus erectionis canoniſationisque ſubſecutus clare remonſtrat. Tenor Decreti talis eſt:

Reginæ Apoſtolicæ Decretum pro Dependentia ſonans.

§. II. MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix &c. Regina Apoſtolica &c.

Reve-

Reverende Spectabilis, ac Magnifice Comes, Fidelis Nobis ſincere Dilecte: Aſſumptis in uberiorem diſcuſsionem differentiis, quæ inter Fidelitatem Veſtram, & ultimodenatum Epiſcopum Græci Ritus Uniti Munkacsienſem, & Vicarium Apoſtolicum ratione potiſsimum dependentiæ hactenus vertebantur, expenſisque mutuis illis gravaminibus, quæ non ſine magna animorum ſimultate, cum hac ab utrinque ad Nos quærulofe delata habentur, quoniam ejusmodi DEO, & hominibus ingrata diſsidia ad animoſitatem ſubinde exereſcere, & ſi inter animarum Paſtores foveantur, non ſolum gregi ipſi, qui pabulo Chriſtianæ Charitatis, & pacis ali amat nonnullam aſpergere labem, verum eum etiam, quem Populi ad Paſtorem vigere cumprimis convenit, obſervantiæ & ſubjectionis nexum cum gravi ſane animarum diſpendio disrumpere facile quirent. Hinc ad ſtabiliendam de hinc utriusque Ritus Paſtorum non minus, ac ipſius Cleri, & Populi animorum tranquillitatem, provehendumque Sacræ Unionis, quæ Nobis tantopere cordi inſidet concordibus Paſtorum conſiliis & mutuis cooperationibus incrementum nihil ſalubrius, legibusque conformius ordinari poſſe comperimus, quam ut rectus ordo & obtata hactenus inter utramque gentem Chriſtianæ æducationis moderatio, ac Cleri utriusque Ritus Gubernium ita temperetur, quo quidem exercita hactenus ab Agrien. Epiſcopo intra limites ſuæ Diœceſis relate ad Latini & Græci Ritus Uniti Clerum & Populum. Jura diutius adhuc & tamdiu conſerventur, quamdiu aliud quid ex Summa Noſtra Poteſtate ſtatuendum eſſe Nobis neceſſa-

rium

rium aut utile viſum non fuerit; una attamen ne Fideli Noſtro Clero, ac Populo Unito juſte quærulandi, ſeu occaſio adſit, ſeu in quantum queſti ſunt oportunum remedium deſit fundatis ejusdem gravaminibus modus omnino ponatur. Quemadmodum proinde præmiſſa ſuperinde ſeria deliberatione pro nunc clementer reſolvimus, & apud modernum nominatum Græci Ritus Uniti Epiſcopum Munkacsienſem, ac Vicarium Apoſtolicum ſub hodierno dato jam diſpoſuimus, ut is reſervando ſibi cæteroquin quottam ad rationem condecentis ſubſiſtentiæ Deceſſori ejusdem, ex Generali Parochorum Caſſa clementer reſolutam, Dictamine etiam cum Juris communis, tum Conciliorum & Conſtitutionum Canonicarum Fidelitatem Veſtram pro vero ac legitimo Ordinario & Superiore ſuo agnoſcere, Eidem Fidelitati Veſtræ in omnibus juſtis honeſtis, ac licitis rebus aliisque Diœceſim Agrienſem tangentibus negotiis debitam reverentiam & obedientiam tamquam ſuus reſpective Vicarius præſtare, & in exercitio Jurisdictionis ſuæ dependentiam a Fidelitate Veſtra habere hocve nomine Fidelitatem eandem Veſtram ocyus perſonaliter accedere, & de provehendis Sacræ Unionis, ipſiusque Cleri ac Populi Uniti commodis mutuo Conſilia conferre; ſalutares denique Fidelitatis Veſtrœ ideas uti Nobis benigne pollicemur in bonum ſinceræ Charitatis & moderationis ordinem unice tendentes *zeloza* cooperatione ſua promovere atque ſua etiam ex parte juxta Græci Ritus Inſtituta, & laudabilem veterum Patrum Diſciplinam, Presbyteres, Univerſumque Clerum in Officio continere; Ignorantiam, inolitas corru-

ptelas, depravatosque mores, & quæquæ probitati Chriſtianæ, & Populi ædificationi obeſſent, omni niſu evellere, imo ubi res non ſatis eidem ſuccederet, Fidelitatis Veſtræ Ordinariam Authoritatem tamquam oportunum auxilium implorare, ſicque inalterabilem pientiſsimam Intentionem Noſtram pro homagiali Devocione ſua prompto ac alacri animo adimplere obligetur. Ita viciſsim Fidelitati Veſtræ harum ſerie firmiter præcipimus, & mandamus, ut in conſequentiam præcedentis Benigne Reſolutionis Noſtræ omnibus Parochis Græci Ritus Unitis a ſui Ritus hominibus annui æque, ac ſtolares reditus, idque tam in Matribus, quam & Filialibus citra obmovendam difficultatem, rite dependantur, neque hi amplius Latini Ritus Parochorum Vicarii, ſed eorum in Unitate Fidei Fratres, & amici compellantur; Fidelitas præterea Veſtra antelatum nominatum Epiſcopum Græci Ritus Unitum Munkacsienſem ac Vicarium Apoſtolicum, ceu caput Cleri, & Populi Uniti convenienter tractare, atque immunitates, & Privilegia ipſorum Eccleſiaſtica ſarta, tectaque conſervare, imo contra quosvis violentos impetitores efficaciter tueri, & manutenere; Omnia denique prægravia & incommoda undecunque inpendentia a dicto Epiſcopo, ejusque Clero & Populo Unito totis viribus antevertere, hacque ratione Sacræ Unionis augmentum cum concurſu, & cointelligentia prænotati Epiſcopi Græci Ritus Uniti procurare debeat & teneatur. In reliquo Eidem Fidelitati Veſtra Gratia & Clementia Noſtra Cæſareo-Regia benigne jugiterque propenſæ manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vien-

Vienna Auſtriæ die 24. Auguſti Anno 1768. MARIA THERESIA m. p. Comes Franciſcus Eſzterházi m. p. Joſephus Jablanczi m. p. Reverendo Spectabiſi Magnifico Comiti Carolo Eſzterházi de Galantha, perpetuo in Frakno, Epiſcopo Agrienſi, & Conſiliario Noſtro Actuali Intimo Comitatuum item Heves- & Exterioris Szolnok Unitorum perpetuo Supremo Comiti, Fideli Nobis ſincere dilecto.

Utrumque videlicet tam Breve Pontificium, quam & Decretum Regium præinſertum ex Libro ſupratitulato Agriæ impreſſo deſumptum eſt. Aliud porro Decretum de præmiſſo merito ſub eodem dato ad Munkacsienſem Epiſcopum ſonans exmiſsis illis continentiis, quæ cum priori Decreto concordant, in quo differt, ſequenti Capite ſubnectendum eſſe duxi.

CAPUT XV.

MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix Vidua &c. Reverende Fidelis Nobis Dilecte! Aſſumptis in uberiorem Diſcuſsionem, differentiis, quæ inter prædeceſſorem Veſtrum, & Ordinarium Agrienſem ratione potiſsimum dependentiæ, hactenus vertebantur, expenſisque mutuis illis gravaminibus, quæ non ſine magna animorum ſimultate, abuntrinque ad Nos quærulose delata habentur, quoniam ejusmodi Deo & hominibus, ingrata diſsidia ad animoſitatem ſubinde excreſceret.

Ne Fideli Noſtro Clero ac Populo cum Catholica Romana Eccleſia, ſinceram veræ Religionis Unionem profitenti juſte quærulandi, ſeu occaſio adſit, ſeu in quantum queſti ſunt, oportunum remedium deſit, fundatis ejusdem gravaminibus modus omnino ponatur.

Queniadmodum proinde, præmiſſa ſuperinde ſeria deliberatione clementer reſolvimus, & apud prælibatum Ordinarium Agrienſem Epiſcopum ſub hodierno dato rurſum efficaciter jam diſpoſuimus, ut in conſequentia præcedentis Benigne Reſolutionis Noſtræ omnibus Parochis Græci Ritus Unitis a ſui Ritus hominibus annui æque ac Stolares Reditus idque tam in Matribus quam & Filialibus, citra obmovendam dificultatem rite dependantur neque hi amplius Latini Ritus Parochorum Vicarii, ſed eorum in Unitate Fidei Fratres, & Amici compellentur; Vos præterea ceu Caput dicti Cleri & Populi idem Epiſcopus Agrienſis, convenienter tractare atque immunitates, & Privilegia Veſtra Eccleſiaſtica ſarta, tecta conſervare, imo contra quosvis violentos impetitores efficaciter tueri & manu tenere, omnia denique prægravia & Incommoda undecunque inpendentia a vobis & Clero ac Populo Unito totis Viribus antevertere hacque ratione Sacræ Unionis augmentum una vobiscum procurare obligetur. Ita viciſsim vobis harum ſerie firmiter præcipimus, & mandamus, ut vos reſervando cæteroquin quottam ad rationem condecentis ſubſiſtentiæ Deceſſori Veſtro ex Generali Parochorum Caſſa clementer reſolutam, Dictamine etiam cum Juris

com-

communis, tum Conciliorum, & Conſtitutionum Canonicarum antelatum Epiſcopum Agrienſem pro vero ac legitimo Ordinario & Superiore Veſtro agnoſcere, eidemque in omnibus juſtis, honeſtis, ac licitis Rebus aliisque Diœceſim Agrienſem tangentibus negotiis debitam reverentiam, & obedientiam tamquam ejus reſpective Vicarius præſtare, & in exercitio Jurisdictionis Veſtræ dependentiam ab illo habere, hocque Nomine eumdem ocyus perſonaliter accedere, & de provehendis Sacræ Unionis, ipſiusque Cleri ac Populi Uniti commodis mutua conſilia conferre, ſalutares denique ipſius ideas in Bonum, uti præmiſſum eſt, ſinceræ Charitatis & moderationis ordinem unice tendentes zeloza cooperatione Veſtra, de qua plene confidimus promovere, atque ſua etiam ex parte, juxta Græci Ritus Inſtituta, & laudabilem veterum Patrum Diſciplinam Presbyteros Univerſumque Clerum in Officio continere &c. — — Vobis in reliquo gratia Noſtra Cæſareo-Regia benigne propenſæ manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ die 24. menſis Auguſti Anno Domini 1768. MARIA THERESIA m. p. Comes Franciſcus Eſzterházi m p. Joſephus Jablanczi m. p.

Reverendo Joanni Bradacs Græci Ritus Unitorum Epiſcopo Munkacsienſi, & Vicario Apoſtolico, Fideli Nobis dilecto. (L. S.)

CAPUT XVI.

Benignis Juſsis Regiis juxta Decreti tenorem paulo ante relati Dominus Illuſtriſsimus Joannes Bradacs, Epiſcopus Munkacsienſis cum frequenti Cleri ſui Comitatu die 15. Septembris anno 1769. horis pomeridianis venit Agriam in Venerabilis Capituli ſuburbano diverſorio ſubſiſtens, & mox per binos Deputatos, Dominos Georgium quippe Szabados Cathedralem, & Joannem Boksay Diſtrictus Cserehatienſis Archi-Diaconos Excellentiſsimo Præſuli Agrienſium, ſuum ſignificavit adventum, ultroneam Eidem incolumitatem comprecatus, una etiam conferentiæ inſtituendæ tempus petens ſibi deſignari: Hoc ſibi injuncto Officio functi deputati, reciprocam referre ſalutem ſe juſſos quidem fuiſſe, verum de tempore dictæ conferentiæ quæſito nullum reſponſum accepiſſe retulerunt; hos paulo poſt Dominus Mathias Torner Archivarius ſubſecutus nomine ſui Præſulis tum pro collatione (erat enim dies Veneris), tum pro Hoſpitio ad Reſidentiam Epiſcopum invitavit; utrumque hunc ſibi oblatum honorem gratiis cnmpetenter actis deprecatus ſe haberi rogavit excuſatum, infirmitatem ſuam inter cætera pro cauſa adducens, præterea tempus conferentiæ haud eſſe ſibi indicatum, ex eo præſertim ſe dolenter ferre adjecit, quod & morbus quocum conflictatur, & negotia, quæ Munkacsini in dies accumulantur, reditum ſuum quo celeriorem expoſcant. Ad hæc prænominatus Archivarius ſibi de tempore conferentiæ nihil quidem, proxime tamen imminente craſtina die

hora

hora 10. de Conſiſtorio futuro ſibi certo conſtare reſpondit, Medicum etiam exiſtere in Reſidentia, qui morbo mederetur, quibus dictis diſceſsit. Altero rurſus die, ſeu 16. mane hora 8. Epiſcopus cum V. Clero ſecum Mankacsino adveniente ad Reſidentiam Suæ Excellentiæ pro prandio invitatus, ob morbum, uti prius, ſe non poſſe comparere reſpondit, egitque iterum pares heſternis gratias per ſuos deputatos, Dominos Andream Zsetkej, & Andream Bacsinſzky Archi-Diaconos, fine etiam indagandi conferentiæ termini expeditos, his quoque ex parte V. Cleri DD. Joannes Paſztely Kereknenſis, & Alexius Bonyi M. Karolienſis Parochi, non ſecus ac die priori Baſilius Labantz Palfalvenſis, & Joannes Sztankóſzky Unghvarienſis Parochi adjuncti fuere duo, hæ poſtulantes: 1. De Luca Habina Epiſcopo necem minante ſufficientem ſecuritatem præſtandam. 2. Pro Cleri negotiis pertractandis ad conferentiam cum Epiſcopo ſuo totum, qui adeſt, Clerum Unitum admittendum, ſi tamen absque Conſiſtorio ſoli invicem Epiſcopi tractanda tractare velint, nihil in obverſum Clerus ſe habere declarat, ad quæ ſequens datum reſponſum: Habina hic Agriæ modo non eſt, proinde nihil metuendum; & negotium tractandum omnes concernit, ideoque ad conferentiam omnes eſſe admittendos, illudque negotium grave cum ſit, tempus moramque longiorem expoſcit. Quibus relatis, & viribus tantisper a morbo relevatis Epiſcopus aſſumptis ſecum Georgio Szabados, Andrea Zsetkej, Andrea Bacsinſzky, & Joanne Boksay ſuperius titulatis Dominis, nec non Patre Martyrio Kaſper, Hegumeno Maria Pocsenſi Ordinis S. Ba-

ſilii

filii M. poſt meridiem ante horam quartam acceſsit perſonaliter Suam Excellentiam, non quidem intuitu conferentiæ, ſed inviſendi duntaxat ſalutandique gratia, qua declaratione audita Præſul Agrienſium vultu in ſerenius mutato: ſi ita ſubjunxit, ergo ſedeamus, & de rebus quibusdam indiferentibus loqui poſſumus. Facto itaque conceſſu miſcebantur diverſi ac prolixiores ſermones, quos hic in ſpecifico adducere, ſupervacandum eſſe cenſeo, tandem ad aſperiora a Generalibus ad particularia, & perſonalia cum aperta ſimultate animorum deventum erat, allegabantur multa ab utrinque in defenſam, ac tuctionem jurium ſuorum. Præſul Agrienſium negebat etiam Munkacsienſem ad eliciendam profeſsionem fidei, & ad juramentum fidelitatis, & obedientiæ ſibi deponendum, allegando pro eo Canones, & Conſtitutiones Pontificias; Reſpondit Munkacsienſis ſe ad exigentiam Bullarum ſuarum, tam Profeſsionem fidei jam elicuiſſe, quam & Juramentum fidelitatis & obedientiæ tempore conſecrationis ſuæ Summo Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ præſtitiſſe, neque duos Pontifices recognoſcere, & Canones, ac Conſtitutiones, quæ pro Italo-Græcis, Cypriis, aliisque ſimilibus latæ ſunt, ad ſe, & Populum Unitum in Ungaria non pertinere.

Preſsit rem ultro Præſul Agrienſium producto, lectoque illo (Dudum a Fraternitate tua &c.) Reſcripto Pontificio: Non me latent Canales Romani, reſpondit Munkacsienſis Epiſcopus, qui pro ratione negotiorum ſunt diverſi: Bullæ enim meæ utique à Sede Apoſtolica eæque tardius,

quam

quam litteræ hæ Excellentiæ Veſtræ a Sua Sanctitate emanarunt, & quidem prælaudatum Reſcriptum e Cancellaria dumtaxat Pontificia miſſum erat, in quo alioquin nulla habetur deciſio: Deputatio autem mei in Vicarium Apoſtolicum majori cum attentione concluſa fuit; Bullis proinde meis ultro inhæreo; & cum alioquin Spiritus Sanctus ſibi contradicere non poſsit, Reſcriptum illud ex ſiniſtra ſolum data de nobis Excellentiæ Veſtræ informatione prodire debuerat; Quibus, aliisque quamplurimis in defenſam ab utrinque adductis, atque Allegatis, controverſiarum finis ſperari hac procedura nullatenus poterat; & ideo, parte ab utraque provocatio cauſa finalis deciſionis futuræ ad Thronum Suæ Majeſtatis Regiæ diſertis verbis declarata fuit. Poſt hæc Munkacsienſis Præſul facta per humana valedictione ad hoſpitium reverſus, nocteque in eo transacta, ac Sacro apud Patres Minoritas ſequenti mane audito (erat enim dies Dominica) & prandio inpræattacto diverſorio ſumpto Agria diceſsit, cum Clero ſuo ad Poſſeſsionem usque Sajó-Petri ſe comitante, ubi etiam mutua conferentia habita unanimi præſentis totius Cleri conſenſu, & voto pro Ablegato ad Suam Majeſtatem Regiam electus, & determinatus eſt Andreas Bacsinſzky pro tunc Archi-Diaconus Dorogenſis, modernus Excellentiſsimus Dominus Epiſcopus Munkacsienſis, qui etiam mox cum inſtantia ſequenti capite relata Viennam expeditus eſt.

CAPUT XVII.

Sacratiſsima Cæſareo-Regio Apoſtolica Majeſtas, Domina Domina Clementiſsima!

Clementiſsime mihi Majeſtas Veſtra Sacratiſsima demandare dignatur, ut ſepoſito omni privati commodi ſtudio, atque ſola publici, potiſsimum autem Sacræ Unionis æternum ſalutari præoculis habita utilitate, unde opinionem meam depromam: Qualiter nimirum differentiæ illæ, quæ ab antiquo inter Agrienſes, ac Munkacsienſes Epiſcopos viguerunt, & hodiedum me inter, atque Comitem Epiſcopum non ſine gravi Sacræ Unionis jactura, quia cum evidenti, Chriſti Fidelium, & vel maxime hæterodoxorum, atque diſunitorum ſcandalo ultronee exaſperatæ fervent, ſalvo Ejusdem Comitis Epiſcopi, ſed & meo, meorumque Jure penitus extingvi, ſicque a tot annis deſiderata quies procurari, ac tandem ſtabiliter firmari quiret? Clementisſimo huic Sacratiſsimæ Majeſtatis Veſtræ Mandato pro homagiali mea obligatione eo pronius morem gerere ſatago, quo ardentius una cum meis pacem, & tranquillitatem anhelo; verum, quam arduum ſit, & ſalvandis illis vel in uno Comitis Epiſcopi prætenſis Juribus, & una firmandæ paci idoneum adinvenire medium, facile, nullus dubito, recognoſcet, quisquis antecedanea inde ab anno 1747. ex parte Epiſcopi, & Cleri Munkacsienſis quæruloſa adverſus Agrienſes Antiſtites acta Sacratiſsimæ Majeſtati Veſtræ humilli-

millime ſæpius repræſentata, atque eorum intuitu emanata Decreta penitius expenderit. Enim vero quoties Iidem Agrienſes Epiſcopi a quæſtionata prætenſione ſub ſeverioribus etiam Regiis comminationibus inhibiti exſtiterunt? quam item ſerio, quoad ſpeciem omne cum Munkacienſibus harmoniæ, ac pacis ſtudium coram Throno Regio polliciti ſunt? Id tamen tantum huc usque a deſiderato effectu abfuit, ut potius novis, & novis prætenſionibus vehementius in dies turbetur tranquillitas, ea potiſsimum de cauſa; quod Ii Concilii Lateranenſis Capitulo; Quoniam, & huic conformibus Conſtitutionibus firmiſsime inhærendo, quemadmodum Epiſcopum Munkacsienſem pro ſuo dumtaxat Rituali, ac reſpective Vicario uſurpent, ita & Clerum Ruthenum competenti Parochorum Titulo privatum eſſe contendant, ac nonniſi ſub nomine Presbyterorum ſuis Plebanis Subordinatorum cum viliori Ejusdem æſtimio recognoſcant. E contra vero Munkacsienſes tam Capituli illius Quoniam quam & Pontificum ad tenorem Ejusdem contra Græcos videlicet, & non Ruthenos emanatarum Conſtitutionum ex momentoſiſsimis rationibus, cæteroquin coram Throno Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ jam humillime de geuu reproductis nullo prorſus robore quoad Munkacsienſes admiſſo fundatæ in Iisdem prætenſioni omni conatu ſemper reſtiterint ac reſiſtant. Unde:

Ut diuturnus iſte partis utriusque motus ſubſideat, & litigantium animi conquieſcant, non ante mihi fieri poſſe videtur, quam cum præattactum altereationum fundamen-

 tum

tum elifum, atque Altiſsimo Sacratiſsimæ Majeſtatis Veſtræ Judicio deciſum fuerit; Num præmemoratum illud Capitulum Quoniam, & ſubſequæ Pontificiæ Conſtitutiones contra Græcos a Latinis Bello ſubjugatos editæ, etiam in Hungariam, ac alia Hæreditaria Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ Loca, quoad Græci Ritus, & cumprimis Ruthenum, atque Valachum Coronæ Regni Hungariæ coævum Clerum, ac Populum obligative extendi poſsint, reipſaque extendantur? Si ita: mea quidem etiam pro ea Declaratione, qua Vicarii Apoſtolici per Majeſtatem Veſtram Sacratiſsimæ Clementiſsime procurata Jurisdictio in tuto Communis Juris Canonici ſenſu ſubſiſtere deberet; ſed Clerus, ac Populus, quantumvis ego pro munere meo agerem, vinctas utique dare manus, & ſe Latinis Epiſcopis pro nutu eorum ſubdere adeo debebit, ut etiam pro caſu renitentiæ brachio ſeculari (ſed proh! quis tunc tanto ſudore procuratæ Sacræ Unionis ſtatus?) compellendus vigore Allegati Canonis veniret. Sin ſecus: totum hoc Agrienſis Præſulis prætenſum Jus, utpote nullatenus in fruſtra decantato, cui ſemper Anteceſſores mei pro poſſe reſtiterant, uſu fultum, ſed unice prærepetitis Conſtitutionibus innixum in tantum ſubruitur, ut qua ratione ſalvari, quin quo adminus colorato titulo diutius ſimulari poſsit, prorſus non concipiam. Erat quidem mea jam dudum hæc quoad id cogitatio, ut videlicet ad conſervandum præfati Antiſtitis honorem, unaque procurandum majorem Unitorum cum Latinis nexum, Idem Epiſcopus Agrienſis Protector Unionis, quales hactenus Primates Regni habe-

habebantur, per Majeſtatem Veſtram Sacratiſsimam Clementiſsime declararetur, talisque a Clero, & Populo Unito recognoſceretur, verum quo minus id etiam modo tentari queat, Ipſe Comes Epiſcopus non leves obices oppoſuit, dum Eundem Clerum, ac Populum Ruthenum per exceſsivum ſubordinationis niſum, nimium quantum exulceravit, & vel nominis ſui horrorem, ac averſionem quamdam apud Eum cauſavit. — Quibus taliter præexpoſitis, fateri ultronee cogor penitus me ignorare, qua nam modalitate Comitis Epiſcopi prætenſio ſalvo Jure meo, in quocunque tandem vel minimo puncto ſtare poſsit? quin imo quid ego ei etiam cum præjudicio mei, citra tamen periculum ſecuturæ perturbationis, ac ipſius in Schisma relapſus de Juribus meis concedere valeam? admiſſo etenim etiam eo, quod practicas hucdum prætenſiones moderatius vindicaturum, quin ab iis ſe deſtiturum Comes Epiſcopus polliceretur, plenariæ nihilominus tranquillitatis ſpes minime affulgebit, donec finaliter iſthic concluſum fuerit, Eidem nihil in me, & mihi creditos Juris eſſe, meque abſoluta quoad Ritus Græci Clerum, & Populum, quemadmodum illum, quoad Latinum facultate gaudere, ſecus ſopita iterum, ſed non exſtincta habebitur controverſia quemadmodum, & antehac promiſsis licet ſæpius ex parte illius ſimilibus aſſecurationibus cauſa ſemper recruduit. — Ante Thronum itaque Sacratiſsimæ Majeſtatis Veſtræ provolutus Gratiam Regio-Maternam gemebundus Imploro: ut commiſeratione tantæ Nationis ſucundum congenitam, orbique Notam æquitatem, atque Clementiam, in cujus

S 3 ſpe

ſpe Clerus unice conquieſcit, cauſæ huic finaliter providere, ac tam me, quam Clerum, & Populum Unitum a prætenſa Comitis Epiſcopi Agrienſis Jurisdictione exemptos declarare dignetur, cui quemadmodum de Juribus meis, tum ex ratione Juramenti ſub conſecratione mei depoſiti, quum ex metu perturbandæ, quam penes Præpotentiſsimam Auguſtiſsimæ Aulæ Protectionem Anteceſſores mei præter omnem Agrienſium influxum promoverunt, Sacræ Unionis nequidquam concedere poſſum, ita polliceor me Eidem qua Comiti, & Epiſcopo ac una Vicino condignum prouti hactenus feci honorem ſemper exhibiturum, & per meos exhiberi curaturum, oblitus omnium, quæcumque mihi aut per ſe, aut per ſuos adusque evenire paſſus eſt. Me coram Auguſto Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ Throno in profundiſsima Veneratione ſubſterno, & Altiſsimis Cæſareo-Regiis Gratiis æternum devotiſsimus emorior. Sacratiſsimæ Majeſtatis Veſtræ humillimus, perpetuoque fidelis ſubditus, & devotiſsimus Capellanus Joannes Bradacs Epiſcopus Munkacsienſis, Vicarius Apoſtolicus m. p.

Præſentem Copiam cum genuina, per Eundem Epiſcopum Joannem Bradacs ſubſcripta, inque Archivo Epiſcopali exiſtente Copia vices Originalis ſupplente, collatam Eidemque in omnibus Punctis, & Clauſulis conformem eſſe teſtor. Unghvarini 15. menſis Martii 1803. Martinus Hodermarſzky, Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

Ea

Ea re ſerio in conſiderationem ſumpta Regio-Apoſtolica Majeſtas cum perſpexiſſet inter Epiſcopos litigantes aliud compoſitionis nullum ſupereſſe idoneum medium, firmiter in animo ſtatuit, decrevitque omnem inter ipſos nexum dependentiæ ſolvere, Epiſcopatum Munkacsienſem reſtabilire, Dote ſufficienti providere, Confirmationem a Sede Apoſtolica exoperari. Atque eatenus tam perſe quam etiam medio Advocati ſui apud Summum Pontificem egit ſolertiſsime, eliſis ſuperatisque quibusvis impedimentis, ut patet ex his:

CAPUT XVIII.

Beatiſsime Pater!

1.

Quamvis in ſupplici Libello, quem Sanctitati Veſtræ ejus ad pedes provoluti porreximus, luculenter ſatis oſtenderimus, Munkacsien. Græco-Rutheni Ritus Epiſcopatum ab immemorabili tempore præextitiſſe, & præciſe ante Annum 1689. quo primum tempore Diœceſis illa demandata fuit curæ & regimini Vicariorum Apoſtolicorum a S. Romana Sede immediate dependentium; validiſsimis quoque Documentis probaverimus, dictum Epiſcopatum fuiſſe ejusdem S. Sedis auctoritate firmatum; & præterea neceſſe, atque e re Catholicæ Religionis eſſe, eum in integrum reſtituere; Cum tamen Reverendiſsimus Epiſcopus Agrien. Latinus in ſua relatione ejusque Defenſores in con-

contraria Informatione æquivoca nonnulla, fallaciasque contexere conati ſint, ut tam ſalutare opus intervertant; immo etiam quamplurima Clero, & Populo Munkacsien. Græci Ritus impingere, quæ ſi abuſum redolent, meris putisque innituntur aſſertionibus nulla probatione fulcitis, ſi Ritus, laudabilesque Orientalis Eccleſiæ conſuetudines reſpiciunt, ignorantiam in accuſatoribus præſe ferunt, ejusdem Græci Ritus, quem tamen Latini quum ſint, eos non callere minime miramur; muneris noſtri eſſe duximus, ea omnia validiſsimis, aut illuſtrare, aut diluere rationibus, certa ſpe ducti fore, ut Sanctitas Veſtra pro eo, quo fervet Catholicæ Religionis tuendæ, ac propagandæ, *ac propagandae* Zelo, atque etiam pro integerrima, quam Comitem ſemper habuit, habetque, Juſtitia, dictum Epiſcopatum Munkacsienſem, concurentibus quidem Urgentiſsimis cauſis non ſemel deductis, velit tandem aliquando redintegrare.

2. Tres in partes dividi commode poſſunt, quæ ex adverſo allegantur. Prima reſpicit præjudicium, quod ſibi, ſuoque aſſerto Juri illatum iri putat Reverendiſsimus Epiſcopus Agrienſis ex erectione, ut ipſe autumat, noſtri Epiſcopatus: minime enim ferre ſe poſſe, ait, ut tanta Populi pars ſua a Jurisdictione diſtrahatur; totusque eſt in probando ſe ſuosque Anteceſſores Ordinariam Jurisdictionem exercuiſſe non ſolum ſupra Ruthenum hunc Populum, ſed etiam in Epiſcopum Munkacsienſem immo in ipſum Vicarium Apoſtolicum. Huic eidem nixus falſo ſuppoſito,

agi

agi de nova erigenda Eccleſia, affert ſecundo loco Eccleſiaſticas nonnullas leges; quibus caveri videtur, ne una eademque Civitas duobus Epiſcopis regenda committatur. Tertia autem Pars reſpicit abuſus, quos in Clerum, Populumque Ruthenum irrepſiſſe, aſſerit Relationibus innixus nonnullorum Diœceſis ſuæ Vice-Archi-Diaconorum.

3. Antequam vero ad eas objectiones refellendas deſcendamus, quibus potiſsimum tum contraria Informatio, tum etiam Reverendiſsimi Epiſcopi Agrienſis Relatio innituntur, ipſo Epiſcopi ejusdem Teſtimonio comprobari Munkacsienſis Eccleſiæ præexiſtentiam magnopere gaudemus; quod nos in noſtris ſcriptis conati ſumus demonſtrare, etenim §. 8. dictæ Relationis hæc leguntur: „ Qui antefactam ultimo in Diœceſi mea Agrienſi circa medium „ prioris ſæculi (nempe anno 1646.) Populi Rutheni „ Unionem Epiſcopi Munkacsienſes nominantur, aut Schis„ mati addicti fuerunt, aut certe honore tantum, & titulo „ Epiſcopi Ruthenorum inſigniti. " Fuerunt ergo Epiſcopi Munkacsienſes ante annum 1646. & hoc clarius probatur documento quod affertur contrar. Summar. Litt. Y. legitur enim ibi conſtitutum, & Depoſitio 38. Teſtium, qui in Curia Agrienſi examinati anno 1725. atque interogati ſub num. 1. „ Scitne teſtis aut audiverit ante Joſephi Sztoika „ Epiſcopi Maramoroſienſis tempora Epiſcopos Munkacsien„ ſes in Comitatu Marmaroſienſi Jurisdictionem Epiſcopa„ lem habuiſſe & exercuiſſe? qui illi fuerint de nomine, „ & quot? " omnes uno ore conteſtat. ſunt, ſe a „ ma-

„ joribus audiviſſe de Baſilio Taraſſovicz Epiſcopo Mun-
„ kacsienſi; quod Jurisdictionem Epiſcopalem Plenariam
„ in Marmaros habuiſſet. “ Hunc autem Baſilium Taras-
ſovicz Munkacsienſis Eccleſiæ Præpoſitum fuiſſe anno 1634. probavimus in dicto ſupplici libello §. „ Profecto “ circa finem „ atque hinc non temere infertur, conditionem illam ſecundo loco poſitam a 63. Archi-Presbyteris Ruthenis in actu renovatæ Unionis, & ab eodem Agrienſi Epiſcopo relatam §. 12. ſcilicet “ ut Epiſcopum a ſe electum, & ab Apoſtolica Sede confirmatum habere ſibi liceat, non inductionem novi Epiſcopi, ſed continuationem præexiſtentis conſuetudinis includere.

4. Prædictos tamen Epiſcopos, qui Munkacsini ante annum 1646. fuerunt, minime tales habendos eſſe, cenſet Reverendiſsimus Agrienſis Epiſcopus eo, quod Schismati addicti fuerunt, quaſi Schisma Epiſcoporum Succeſsionem præcidat. Validas eſſe Ordinationes Epiſcoporum, qui vivunt in Schismate, atque iis in eſſe Ordinis Poteſtatem, & Characterem, præter validiſsimas rationes, quæ a Theologis, ſi Morinum excipiamus, paucosque ejus aſſeclas afferuntur, ex eo quoque eruitur, quod illorum Ordinationes minime repetendas eſſe pluries definiverit Catholica Eccleſia, quod multis exemplis oſtendit P. Berti de Theolog. diſcipl. lib. 36. cap. 14. validiusque Teſtimonium nobis præbet S. Auguſtinus, qui Epiſt. 50. ait: — „ Oportet, ut nos extra
„ Eccleſiam, & adverſus Eccleſiam fuiſſe pœniteat “ ut
„ ſalvi eſſe poſsimus; & poſt „ iſtam pœnitentiam Clerici

„ vel

„ vel etiam Epiſcopi permanemus." Sic quoque Clemens VIII. quum Ruthenos ad Unionem S. R. E. accedentes amplexus eſt, illorum Epiſcopos ſuo in Ordine ac Diœceſi manere voluit, ut legitur in Bulla Unionis. „ Hypatium „ & Cyrillum Epiſcopos & Oratores ac eorum Comites, „ Familiares, & Domeſticos tam Presbyteros, & Clericos „ &c. charactere, quo antea Rite inſigniti fuerunt, illius- „ que Privilegiis uti, ac in omnibus etiam Sacris & Pres- „ byteratus Ordinibus ante rite ſuſceptis miniſtrare &c. „ poſsint & valeant. Bullar. Rom. Tom. 5. Par. II. pag. 90." Eadem praxis, nunc quoque temporis ſervatur cum Patriarchis Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, & Presbyteris Nationum, Rituumque Orientalium. Etenim ſi eorum quisquam Catholicæ Romanæ Eccleſiæ adheſerit emiſſa Catholicæ Fidei profeſsione, obtentaque abſolutione a cenſuris, & diſpenſatione ſuper irregularitate, ſuo in Ordine permanet, ſuique in Epiſcopatus regimine perſeverat, nulla ei data Sedis Apoſtolicæ de Eccleſia hujusmodi nova proviſione. Licet itaque ex adverſo probaretur, Munkacsienſes Epiſcopos ante annum 1646. Schismati fuiſſe addictos (quod tamen probari haud poſſe credimus, cum nunquam fuerit contra illos prolata ab Apoſtolica Sede Sententia); haud tamen inde ſequeretur, eos minime fuiſſe Eccleſiæ illius Epiſcopos, ac proinde Munkacsienſium Epiſcoporum ſeriem intercidiſſe.

5. Multo etiam debilior eſt ratio, qua Agrien. Epiſcopus ducitur, ut credat dictos Epiſcopos Munkacsien. fuiſſe honore tantum, & titulo Epiſcopi Ruthenorum inſignitos,

quod in fundato pro Monachis Baſilianis Monaſterio reſidentiam fixerint, & Superiores, ſeu Hegumeni prædicti Monaſterii fuerint. Cit. §. 8. Nemo enim morum Eccleſiæ Orientalis aliquantis per peritus ignorat, Epiſcopos plerumque in Monaſteriis reſidere, præſertim ſi diſtincto careant domicilio. Eccleſiæ ſiquidem Orientales cum admodum raro ſtabilibus bonis fruantur, certisque redditibus, Epiſcopi, atque etiam Patriarchæ fidelium oblationibus, Eleemoſynisque ſubſtentantur, nec Epiſcopale Palatium habent, in quo morentur. Cum itaque Monachi ſint, in vicino aliquo ſuæ Cathedrali Monaſterio reſident, quod etiam nutu ſuo gubernant, ſubminiſtratisque Monachis, quæ pro congrua illorum ſubſtentatione, & hoſpitum, pauperumque alimonia ſunt neceſſaria, ſi quid reliquum eſt, in Eccleſiæ ornatum convertunt, ſervata in hoc antiqua Eccleſiaſtica diſciplina. Hujusmodi mos viget adhuc in nonnullis Moſcorum Diœceſibus, in Moldavia, in Vallachia, atque in Monte Libano, ubi diverſorum Rituum, Nationumque Patriarchæ, & Epiſcopi commorantur, & unusquisque in Ritus ſui Monaſterio aliquo reſidet, quin tamen per hoc veri, Ordinariique Epiſcopi minime ſint reputandi. Eumdem quoque morem prioribus ſæculis Latina viguiſſe in Eccleſia, exploratiſsimum eſt, iis præſertim temporibus, quibus Regularium Familiæ ſuberant Ordinariorum Jurisdictioni; & ſi eos reſpiciamus Epiſcopos, qui ex Inclyto S. Benedicti Ordine aſſummi frequentiſsime conſueverunt; eos in Ordinis ſui Monaſterio, ſi quod in demandata ſibi Diœceſi erat, reſediſſe comperiemus, quod etiam a nonnullis Cardinali-

bus

bus laudabili exemplo ſervatur, qui ex regularibus Familiis aſſumuntur. Nec diſsimilis fuit aliorum quoque Epiſcoporum mos, qui communem ſuo cum Capitulo vivebant vitam, antequam inducerentur Præbendæ, unde Canonicorum Regularium Ordo traxit Originem. Nullimode ergo inde licet arguere Epiſcopos, qui recentioribus temporibus laudabilem hanc ſervarunt conſuetudinem, mere titulares, non autem Ordinarios eſſe cenſendos: quum Jurisdictionis exercitium a manſionis loco minime fas ſit dimetiri. Præſenti tamen tempore Munkacsien. Epiſcopo diſtincta a Monachis reſidentia conſtituta reperitur, & quidem opera Munificentiſsimæ Reginæ Apoſtolicæ, quæ expenſas pro illius conſtructione neceſſarias ex Capſa Subſidionali juſsit ſubminiſtrari, ut deductum fuit in S. Nunciatura Viennenſi.

6. Minus etiam officit, Unionem Ruthenorum in Hungaria nec prioribus Sæculis fuiſſe conſtantem, nec eam univerſalem, quæ peracta fuit anno 1646. unde adſtruere videtur Epiſcopus Agrien. Munkacsien: Epiſcopos minime fuiſſe Ordinarios. Dolendum profecto eſt Græcos nonnullos tum in Hungaria, tum etiam alibi lapſos aliquando in Schisma fuiſſe. Sed quis inde concludere ſibi fas eſſe putaverit, vel defeciſſe Epiſcoporum Hierarchiam, vel Epiſcopos hac de cauſa, Catholici vel Schismatici ipſi fuerint, minime per hoc tales eſſe recenſendos? vel quis denique tam rigidus ſit, ut nonnullorum lapſum toti Populo, gentique velit tribuere? Lugemus ad hanc diem nos Latini horrendum illud Schisma, quod Sæculo XIV. & XV. Chriſti

Eccleſiam tres laceravit in partes pluribus de Summo Pontificatu contendentibus: Qucd quidem Schisma nonniſi magno labore, totiusque Eccleſiæ conatu ſublatum eſt in Concilio Conſtantienſi; nec tamen quis auſus eſt aſſerere, interruptam exinde Romanorum Pontificum fuiſſe ſucceſsionem, vel totam Latinam Eccleſiam Schismate maculatam fuiſſe; cum nonnullorum error toti Latinorum Congregationi minime ſit tribuendus. Immo nec eos quidem, qui Petro de Luna, ſive Amædeo Sabaudo adhæſere, Schismatis inſimulatos legimus apud æquos Scriptores nec a laudato Concilio Conſtantienſi, quum vel ignorantia, vel facilitate, vel rerum apparentia, vel aliquorum auctoritate, & exemplo fuerint in errorem inducti, ſeque meliorem ſanioremque partem ſequi arbitrarentur. In ipſa Agrienſi Diœceſi adſunt ad hanc diem fere mille Calvinianorum Oratoria, Calviniſtæ vero plusquam biscentum mille, quos Græci Ritus eſſe quis aſſerat? Quis tamen per hoc ceſſaſſe Agrienſium Epiſcoporum Succeſsionem vel Agrienſes Epiſcopos „ honore tantum, & titulo tales eſſe putandos autumet? quin immo ſi exilis admodum Catholicorum ea in Diœceſi numerus eſſet, aliqua autem Calviniſtarum pars abjectis erroribus Catholicam amplecteretur Fidem, nec Latinus ibi adeſſet Epiſcopus; profecto dandus eis eſſet, vel per Epiſcopatus erectionem, vel per præexiſtentis reintegrationem juxta Concilii Carthaginenſis III. Canonem 66. „ Sane, ut ille Plebes, quæ con-
„ verſæ ſunt a Donatiſtis, & habuerunt Epiſcopos, ſine
„ dubio conſulto Concilio habere mereantur; prout dixi-
„ mus in Noſtro Memoriali §. 23.

7. His

7. His itaque præmiſsis ad confirmandam Munkacsien. Epiſcopi Græci Ritus præexiſtentiam, deſcendamus oportet ad ea detegenda Sophismata, quibus ex adverſo probari tentatur, Agrien. Latinos Epiſcopos Ordinariam Jurisdictionem exercuiſſe in hunc Ruthenum Populum, immo etiam in Epiſcopum Munkacsien.; ut inde præjudicium ex Munkacsien. Eccleſiæ ſive erectione ſive reintegratione ſibi allatum iri probet; quæ prima pars eſt contrariæ Informationis. Sed inani conatu prætenſa Jurisdictio fundari exadverſo tentatur in opera, quam Georgium Jakuſich Epiſcopum Agrienſem præſtaſſe aſſeritur Unioni peractæ Anno 1646, quaſi Via Apoſtolatus ab Agrien. Epiſcopis fuerint Rutheni Munkacsienſes acquiſiti ne in opportune nimis inſtare huic facti circumſtantiæ videamur, quæ in caſu præexiſtentis prædictæ Unionis, atque etiam Epiſcopatus Munkacsienſis nullius momenti eſt; abſtinemus ab iis allegandis, quæ evidentiſsime demonſtrare poſſent ſatis levem ac fere nullam prædictæ Unioni operam præſtaſſe Agrienſes Epiſcopos. Hac ergo de cauſa omittimus ex Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide de anno 1651. præterito Summario num. 7. atque ex circulari Epiſtola Georgii Lippay Archi-Epiſcopi Strigonien. a nobis relata eodem Summario num. 4. conſtare, Unionem proprio animi motu, & ſponte ac libere a Ruthenis Munkacsien. factam fuiſſe in Nationali Synodo Tyrnaviæ habita, ipſumque Strigonien. Archi-Epiſcopum, & Vacien. Epiſcopum nonnihil operis hanc in rem impendiſſe, ut in eodem Summario num. primo, litt. E. Sic quoque prætereundum a nobis eſſe putamus,

tamus, ipſum hodiernum Agrien. Epiſcopum fateri, Anteceſſores ſuos Unionis conſervationem, & propagationem ſibi cordi ſumpſiſſe quidem „ ſed ex parte quod Turca „ Agriam ejusque viciniam poſſederit, ex parte ob graſ- „ ſantem peſtem, ex parte etiam ob inteſtinos motus Te- „ kelianos, adeo efficaciter, uti voluiſſent, influere in „ hocce negotium non potuerunt" ſunt verba contrariæ Relationis § 15. Hæc, inquam, ultro miſſa facimus: nec etiam ægre ferimus laudi ſibi tribuere Agrien. Epiſcopos, quod eorum auxilium ac patrocinium implorantibus Ruthenis Munkacsien. Anno 1646. Præſto fuerint in renovanda Unione cum S. R. E. Veros enim eos Catholicos, & Epiſcopos fuiſſe credimus, & propagandæ Catholicæ Fidei præſertim intentos; ſed quem ex Calviniſtis & Lutheranis, qui cæteroquin Latinum Ritum in Baptismate ſuſcipiunt fructum percipere ſe minime poſſe, fuerant experti ex Ruthenis vicino ſuo Epiſcopo ſubjectis reportare ſatagebant. Numquam tamen Ordinariam Jurisdictionem in ipſos Ruthenos, multoque minus in Epiſcopum Munkacsien. adſtruere hinc ſibi poterunt quum hæreticorum, vel Schismaticorum converſio, aut inſtructio eam curanti nullam de ſui natura afferat Jurisdictionem, quod perſe patet.

8. Huc accedit Ruthenos Munkacsien. proprio deſtitutos Epiſcopo ad viciniores Latinos Præſules confugiſſe, qui afflicti errantisque ſine Paſtore gregis curam, tutelamque ſuſciperent. Ruthenos autem Munkacsien., totiusque Agrien. vicinorumque Comitatuum errantem tunc temporis

ris ſine Paſtore gregem fuiſſe, ipſa facta docent. Laudatus ſiquidem Baſilius Taraſſovicz ad Munkacsien. Cathedram aſcendit opera Georgii Rakoczy Anno 1634. Poſt abjuratum Schisma, in quod ejusdem Rakoczii deceptus artibus prolapſus fuerat, conjicitur in carcerem Anno 1640. ibique triennali ſquallore maceratus tandem dimittitur abdicato Epiſcopatu, uti conſtat ex deductis coram S. Nunciatura Viennenſi datum præterea ei Succeſſorem Anno dumtaxat 1659. Petrum Parthenium legimus noſtro præterito Summario num. 3. & 4. Anno itaque 1646. & 1648. deſtituta ſuo Paſtore erat Eccleſia Munkacsien., & a Rakoczio vehementer divexebatur ita, ut Rutheni qui perficere Unionis opus cupiebant alio ſe convertere, & perfugium quærere compellerentur.

9. Minus tamen æque Agrien. Epiſcopus gloriæ ſibi tribuit § 45. ſex Alumnus Tyrnaviæ; nonnullosque alios Ruthenos Clericos ſuo in Diœceſano ali, atque inſtrui Seminario. Ii etenim Regia ſubſtentantur liberalitate: nam Clementiſsima Regina Apoſtolica glorioſiſsimorum Progenitorum inhærens veſtigiis ex Capſa ſubſidionali, qua de loquuti ſumus in noſtro ſupplici Libello, mille biscentum florenos in eorum alimoniam decrevit ſingulis annis ſubminiſtrari eo prorſus modo, quo alii ſimiles floreni tercentum ex eadem Capſa ſolvi quot annis ſolent pro Scholis, quas nuper defunctus Vicarius Apoſtolicus variis in locis Diœceſis Munkacsien. erigi curavit, ut patet ex deductis in eadem S. Nunciatura.

U 10. Cum

10. Cum itaque Latinus Agrien. Epiſcopus nullam ex hujusmodi aſſerta opera in procuranda Ruthenorum Unione, aut Unitorum inſtructione, Jurisdictionem ſui favore, adſruere ſe poſſe agnóſcat, omnia movet, ut huic S. Sedi ſuadeat, Epiſcopos Munkacsienſes atque etiam Vicarios Apoſtolicos pro Diœceſi Munkacsiana, cæterisque Græcis Catholicis in Hungaria commorantibus deputatos fuiſſe ſibi tamquam Ordinario ſubjectos, ſuosque veluti Vicarios. Quod ut inaniter ex adverſo aſſeri breviter probemus, tria tempora videntur diſtinguenda, nempe quando Munkacsienſes Epiſcopi e partibus erant Schismaticorum; quando fuere uniti cum S. R. E. ſcilicet poſt annum 1646; ac demun quando occupatis per rebelles bonis ad menſam Munkacsienſem ſpectantibus, viſum fuit S. Sedi Vicarios Apoſtolicos illuc ablegare. Si ſpectemus tempora, quibus Munkacsienſes vivebant in Schismate difficile admodum eſt, quisquam ſibi ſuadeat ullam eos ſupra ſe admittere voluiſſe Agrienſis Epiſcopi Superioritatem, præſertim cum experientia ipſa doceamur, non ſolum reliquos Epiſcopos Græci Ritus, & quidem Schismaticos, qui in Hungaria ſunt, ſed ipſos etiam Calvinianos prædicantes, quos vocant, eſſe pleniſsimi Juris ſui, nec ullimode a Latinis Epiſcopis dependere. Neque hoc aſſertum ulla indiget probatione, quum præſertim in materia exercitii Jurisdictionis probationes ab eo ſint adducendæ, qui ſui favore hujusmodi exercitium ſtare aſſeverat. Simili modo poſt peractam Unionem Epiſcopos Latinos in Petrum Parthenium, qui per ea tempora fuit Epiſcopus Munkacsienſis, Jurisdictio-

ctionem aliquam habuiſſe aut exercuiſſe, minime probabit Reverendiſsimus Agrienſis, nec probare unquam poterit. Nam ſexaginta tres Archi-Presbyteri, qui Anno 1648. Unionem cum S. R. E. renovarunt, ea adjecta conditione „ ut Epiſcopum a ſe electum, & ab Apoſtolica Sede con„ firmatum habere ſibi liceret, dicto præterito Summario „ num. primo litt. C. " eodem modo in Unione viventes habere voluerunt Epiſcopum, quo habuerant, dum Schismate tenebantur, ſcilicet nullo modo a Latino Epiſcopo dependentem, ſed liberum, verumque Ordinarium, cujus generis nunc quoque ſunt Epiſcopi Schismatici in Hungaria.

11. Hujusmodi etiam fuiſſe Petrum Parthenium, declarant Litteræ Leopoldi Imperatoris a nobis relatæ in noſtro præterito Summario num. 3. atque etiam Archi-Epiſcopi Strigonien. quibus, apertiſsimiis verbis Parthenius declaratur verus, & legitimus Epiſcopus Munkacsien. eodem Summario num. 4. Litt. C. nulla facta mentione alicujus dependentiæ ab Epiſcopo Agrienſi, cujus jura infringi tamquam ſui Suffraganei nullimode paſſurum fuiſſe Archi-Epiſcopum, facile ſibi quisque ſuadebit, nec Epiſcopum ipſum taciturum, ſi detrimenti quidquam ſuæ Jurisdictioni irrogari animadvertiſſet. Sed Epiſcopi noſtri Independentia non obſcure deducitur quoque ex Monachi cujusdam Epiſtola ad Feneſium Epiſcopum Agrien. data anno 1688. de qua pars adverſa mentionem fecit §. 14. eam referens in ſuo Summario Litt. C. Licet enim hæc Epiſtola ſcribentis ambitionem maximam redoleat obtinendi per Feneſium Eccleſiam Munkacsien.

tunc temporis vacantem per obitum Petri Parthenii; manifeſtam tamen includit confeſsionem, Munkacsienſes Epiſcopos ad ea usque tempora nullam a Latino Agrien. Epiſcopo dependentiam habuiſſe. Ad aucupandum enim Feneſii animum, ac patrocinium aſſerit, „ nihil eſſe poſſe magis „ expediens . . . quam ſi Populo Græco vir doctus pro „ Epiſcopo Rituali præficiatur, isque rite conſecratus „ Agriæ præ oculis Epiſcopi Agrien. velut Ordinarii; qua „ ejusdem Suffraganeus, aut Vicarius habitet. “ Quum itaque bene noſſet, Munkacsini ſemper reſediſſe Epiſcopum Græci Ritus, nullamque ab Epiſcopo Agrien. dependentiam fuiſſe umquam profeſſum, id Conſilii dabat, ut in poſterum Agriæ; qua Latini Epiſcopi Suffraganeus, aut Vicarius habitaret.

12. Gradum hinc facientes ad tempora, quibus Munkacsien. Eccleſia commiſſa fuit curæ Vicariorum Apoſtolicorum, (operam nullam in eorum Deputationem impendente Agrien. Epiſcopo, quod temere ex Adverſo aſſeritur in §. 17., curante vero Cardinali de Kolonitz Regni Hungariæ Primate, ut aperte docent Regeſta Sacræ Congregationis de Propaganda Fide) quam Jurisdictionem Latini Agrien. Epiſcopi in Munkacsien. Diœceſi, quin immo ſupra ipſos Vicarios Apoſtolicos exercere potuerint, prorſus ignoramus. Joſephum de Camillis, qui fuit primus Vicarius Apoſtolicus ab Alexandro VIII. deputatus „ pro Græcis in „ Diœceſi Munkacsiana, aliisque locis acquiſitis in Hungaria „ commorantibus . . . cum Jurisdictione, juribus & facul-

„ ta-

„ tatibus neceſſariis, & opportunis “ ad Sanctæ Sedis Apoſtolicæ beneplacitum fuiſſe conſtitutum, ejusdem Pontificis Breve luculenter docet a nobis relatum „ præterito noſtro Summario num. 5. litt. A. ſeduloque animadvertendum eſt nullam in dicto Brevi mentionem fieri de ulla Vicarii Apoſtolici dependentia a Latino Agrien. Epiſcopo. Quin immo nec hujusmodi mentio fieri ullomodo poterat. Quem enim latet, Vicarios Apoſtolicos, qui immediate a Romano-Pontifice conſtituuntur, ipſi dumtaxat ſubjectos eſſe, nec alterius cujusquam in ſe Jurisdictionem agnoſcere, ideoque facere, omnia poſſe, quæ ipſi Ordinarii poſſunt Epiſcopi? cap. final. Diſt. 61. & cap. Is cui de elect. in 6.

13. Apud Vicarium Apoſtolicum totam reſidere Jurisdictionem privative quoad Epiſcopum, eumque omnes habere qualitates, quæ ipſi inſunt Epiſcopo Ordinario, præter alios quamplurimos docent Marchet. Prax. Vicar. tit. 36. num. 1. & Baſſus de Vic. Apoſt. Tit. 4. num. 2. & Tit. 5. num. 1. Quare præſente Vicario Apoſtolico Epiſcopum nullomodo ingerere ſe poſſe in exercitio Jurisdictionis, neque contra illum quidquam agere, multoque minus Edictis illius honorem lædere, firmat laudatus Baſſus „ loc. „ cit. & Nicol. in Floſc.“ Verb. Vicarius Apoſtolicus. Atque hinc eruditiſsime notat Benedictus XIV. „ de Synodo „ Diœceſana Lib. 2. Cap. 10. Cum ipſis (ſcilicet Vicariis „ Apoſtolicis) omnimoda Paſtoralis auctoritas communice- „ tur, nullus controverſiæ locus eſt, quin Diœceſanam Sy- „ nodum cogere, & celebrare valeant.“ Quæ quidem

omnia ſi locum habent, quando Vicarius Apoſtolicus conſtituitur, ut ſpirituale regimen gerat alicujus Diœceſis, cujus Epiſcopus, & Paſtor proprius non exiſtat, aut ſi exiſtit, aliqua ratione etiam ſine vitio ſuo aut culpa impediatur, quo minus proprium gregem per ſemet ipſum paſcere poſsit; quo jure, qua ratione potuere Agrien. Epiſcopi ullam ſibi Jurisdictionem ſupra Vicarium Apoſtolicum Munkacsienſem arrogare, cum præſertim Vicarius Apoſtolicus fuerit deputatus ſuper Populum Ruthenum, qui nunquam de illorum grege fuit, ut ex hactenus deductis ſit in propatulo.

14. Non inficiamur Agrien. Epiſcopos omnem moviſſe lapidem, omnemque impendiſſe conatum, ut ipſos Sedis Apoſtolicæ Vicarios ſibi ſubderent, & in peculiares Vicarios ſuos converterent. Referuntur diſerte ſatis hujusmodi conatus in ſæpius citata contraria Informatione, & præſertim in Relatione Epiſcopi Agrien. a num. 18. ad 36. Narratur enim eodem § 18. quod Joſepho de Camellis primo Vicario Apoſtolico aliquam in ſe ſuosque Ruthenos Agrienſes Epiſcopi Jurisdictionem deneganti „ quum Féneſius per Epiſtolam Jus ſuum Ordinarium in Vicarium Apo„ ſtolicum Munkacsienſem, Clerum, ac Populum Unitum „ demonſtraſſet, Regni Primas ſubmiſit pro obſervatione „ Puncta &c. Iisque relatis contra Summar. Litt. H.“ additur, his permotum Vicarium Apoſtolicum ad officium ſuum fuiſſe reductum. Narratur quoque § 22. Genadium Bizanczi „ conſtitutum jam etiam Vicarium Apoſtolicum,

„ quo

„ quo oſtenderet ſe propterea ab Ordinarii Agrienſis Ju-
„ risdictione haud exemptum generalem facultatem ordi-
„ nandi petiiſſe, ac obtinuiſſe ſub certis conditionibus, ad
„ quas obſervandas jure jurando ſe obſtrinxit Anno 1717.“
Hæc vero quamvis eveniſſe probarentur, nihil aliud præſe-
ferent niſi uſurpatam ab Agrienſi Epiſcopo Jurisdictionem
ſuper Vicarios Apoſtolicos, læſaque ab ipſis Vicariis Apo-
ſtolicis tum Regiæ Majeſtatis, cum etiam Romani Ponti-
ficis, & S. Sedis Jura. Regibus enim Hungariæ, qui eo-
rum decenti ſubſtentationi conſuluerunt, ea ſemper mens
fuit, ut nullimode ab Epiſcopis Latinis dependerent; &
hac quoque de cauſa eorum favore Litteras ſuæ Nominatio-
nes dedere ad Eccleſiam Munkacsien., uti ſatis probatum
fuit in Sacra Nunciatura Viennenſi. Sic quoque S. Sedis
Jura per hujusmodi Actus, quam maxime lædi clamant
Canones, clamant Conſtitutiones Pontificiæ. Nam Vicarii
Apoſtolici tamquam Papæ Vicesgerentes Diœceſim ſibi com-
miſſam independenter a quocumque alio Epiſcopo regunt
cum plenisſima Epiſcopali Jurisdictione, juxta ea, quæ
paulo ante diximus, Canoniſtarum omnium doctrinis innixi,
quorum nonnullos aduximus § præcedenti, iisque additur
Pignatell. tom. 9. conſult. 159. num. 10.

15. Neque etiam obſtant lata per ea tempora a S. Con-
gregatione de Propaganda Fide Decreta, quæ referuntur
contrario Summario litt. V. Præter enim quam, quod mini-
me probatur, datam Vicario Apoſtolico fuiſſe facultatem ſua
deducendi jura, ſeſeque ab accuſationibus purgandi; Libe-

rum

rum Sedi Apoſtolicæ eſt, Vicariorum a ſe Deputatorum Jurisdictionem pro libitu diminuere, & alteri aliqua in parte delegare: Delegatus enim ea dumtaxat fruitur auctoritate, quam ipſi concedere Deleganti placuerit: non tamen inde alteri delegato, qualem tunc fuiſſe, in hac parte Agrien. Epiſcopum liquet; juris quidquam Ordinarii adjungitur. Quum itaque tunc temporis placuerit. S. Sedi, quæ in alatis Decretis per Congregationem de Propaganda Fide repræſentatur, delegatam Vicario Apoſtolico Jurisdictionem nonnullis in rebus imminuere, eamque Agrien. Epiſcopo non tamquam Ordinario, ſed tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato concedere perperam inde ipſe deducit, Joannem (Genadium) Biſanczi habitum, declaratumque ſuum fuiſſe Vicarium. Quod quidem licet per meram hypotheſim ipſi concederetur, haud tamen inde ſequeretur alios Vicarios Apoſtolicos Munkacsien. fuiſſe Agrienſis Latini Epiſcopi Vicarios. Abuſus ſiquidem, de quibus inſimulabatur Bizanczius, ſi qui tamen fuere perſonales dumtaxat reputandi ſunt, & qui Succeſſores Vicarios Apoſtolicos nullimode reſpiciebant. Pari ergo modo Decreta, quæ pro illorum medela lata tunc fuerunt, mere perſonalia ſunt reputanda, ejus Succeſſores haud quaquam reſpicientia, qui quum Deputati fuerint a S. Sede in Vicarios Apoſtolicos pure, & ſimpliciter ſine ulla reſtrictione, & ſine mentione ulla dictorum Decretorum, pro ut controverti non poteſt, patetque ex Brevibus eorum deputationis omnimoda, quæ Vicariis Apoſtolicis competit, Jurisdictione frui debuerunt, & a nemine in ejusdem Jurisdictionis exercitio dependere.

16. His

16. His tamen minime attentis proſequitur hodiernus Agrien. Epiſcopus in ſua Relatione, narratque §. 29., ultimo defunctum Vicarium Apoſtolicum Michaelem Manuelem Olſavſzky Anno 1747. „ cum nonnullis Archi-Presbyteris „ Agriam ad Ordinarium veniſſe, ibique coram Diœceſano „ &c. de ſua ab Epiſcopo Agrien. dependentia capacita- „ tum Juramentum depoſuiſſe &c. facultatem ordinandi; „ quos judicaverit aptos, ad triennium duraturam petiiſſe, „ & obtinuiſſe:" quæ ſibi minime ſervanda tamquam ſuæ Jurisdictioni, & Sedis Apoſtolicæ auctoritati e diametro oppoſita, quum duxerit refractarius appellatur, addito etiam nonnullis mediis ad Reverentiam, & obedientiam Agrienſi Epiſcopo præſtandam fuiſſe adactum. Hic vero ad S a n c t i t a t i s V e ſt r æ pedes humillime provoluti ſapientiſsimæ, ſuæ conſiderationi ſubmittimus, qua in re verſemur, & quibus cum res nobis ſit; quæ præterea injuria hosce peractus uſurpativos quidem, atque exorbitantes ab Agrienſibus Latinis Epiſcopis geſtos illata ſit Sereniſsimorum Regum Hungariæ Decretis, & S. Sedis Apoſtolicæ auctoritati cujus Vicarii in peculiares illorum Vicarios transire coacti ſunt; quanti iidem Epiſcopi fecerint Canonis leges, Romanorumque Pontificium conſtitutiones, quanti etiam pœnas quibus ejusdem S. Sedis Jura invadentes obnoxios fieri exploratum eſt; quam etiam non temere Græci Munkacsien. timeant ſervitutis quoddam ſubire jugum, ſi proprio eoque Ordinario priventur Epiſcopo opprobriumque Schismaticis fieri, qui ſuis ſubjecti Epiſcopis moleſtiam nullam a Latinis patiuntur.

17. Hæc perpendens præfatus Manuel Olſavſzki nunquam induci potuit ante Annum 1747. prætenſum ab Agrien. Epiſcopo fidelitatis, atque obedientiæ Juramentum præſtare uti teſtatur ipſum Conſiſtorium Agrienſem præſenti Summario num. 1. Sed paulo poſt Agriam vocatus ab eodem Epiſcopo prætextu componendi lites, quæ inter utrumque Clerum Latinum, & Ruthenum vertebantur ſuper ſolutione Decimarum, per humaniter primo excipitur: Sed mox tota comparante Agrienſi Capitulo vi, minisque compellitur ad præſtandum prædictum Juramentum juxta formulam, quæ ex adverſo affertur Litt. EE. & ad publice legendum Inſtrumentum quoddam, quo in peculiarem ejusdem Agrienſis Latini Epiſcopi Vicarium deputabatur: contra quæ omnia tamen eodem loco, & tempore proteſtatus eſt, ut patet ex præſenti Summario num. 2. Pari modo ſequenti Anno 1748. Munkacsinum veniens idem Epiſcopus Agrienſis prætextu viſitandæ Latinorum, quæ ibi eſt, Parochiæ, Ruthenam quoque Cathedralem Eccleſiam Vicario Apoſtolico ſubjectam tentat viſitare, cui quidem molimini reſiſtere cum voluerint Presbyteri Rutheni ille Vicarium Generalem Archi-Diaconum nonnullosque alios Presbyteros ad comparendum citat ſuſpectiſsima hora noctis undecima ſeveriſsimis quoque additis comminationibus. Meditabantur illi quidem opportunis ſe tueri remediis, ſi qua ſeſe offerrent. Quid vero miſelli agerent contra potentem? metu ducti majoris mali comparent, & ab illo ſub Tentoriis ſedente in campis Munkacsienſibus, duplicique militari cohorte ſtipato, carceris, compedumque minis

ad

ad præſtandum ſubjectionis Latino eidem Epiſcopo Juramentum adiguntur.

18. Mox ipſe quoque citatur Vicarius Apoſtolicus, qui timens ſubire violentias, cum graviſsima Epiſcopalis dignitatis ignominia præſertim apud Calviniſtas, ſatius duxit temporis circumſtantiis ſervire ratumque habere Juramentum, quod ſuperiori Anno præſtare renuerat. Quæ quidem omnia non obſcure deducuntur ex Documento, quod ex adverſo affertur Litt. II. & præſenti Summario num. 3. Sed cum primum ab his ſe liberavit anguſtiis cotinuo adiit Sereniſsimam Reginam Apoſtolicam ejus tutelam implorans contra intentatas ſibi moleſtias petensque in competenti ſibi abſoluta Jurisdictione manu teneri. Clerus quoque & Populus Ruthenus Unitus Munkacsienſis rei geſtæ notitiam detulit ad S. Congregationem de propaganda Fide, expoſtulans admoneri Vicarium Apoſtolicum de violato ſuo, Sanctæque Sedis Jure, & a Cenſuris abſolvi, in quas incurrere, Canonicæ Leges declarant eos, qui Eccleſiaſticam lædunt, lædique ſinunt libertatem. Quis fuerit rei hujus exitus, ignorare non poteſt hodiernus Epiſcopus Agrienſis, ſi Regeſtra Anteceſſoris ſui perluſtraverit. Etenim Sereniſsima Regina Apoſtolica tum proprio, quo fervet Eccleſiaſticæ Jurisdictionis tuendæ Zelo mota, tum Reverendiſsimi Nuncii Apoſtolici (qui Litteras hac de re a laudata Congregatione acceperat) ducta precibus, & ſuaſionibus, Latino Epiſcopo dedit in mandatis, ut ab hujusmodi abſtineret uſurpationibus, Vicarium Apoſtolicum ſua ſineret Ju-

risdictione frui, caveretque ab ulla impoſterum illi moleſtia inferenda.

19. His tamen non obſtantibus, videamus, qua via, quo prætextu hodiernus Agrienſis aliquam ſibi ſupra Vicarium Apoſtolicum Jurisdictionem addicere noviſsime tentaverit, ejusque verba audiamus: — „ In comperto habens, „ facultates Vicarii Apoſtolici Epiſcopo Roſſen. a felic. rec. „ Prædeceſſore S. V. Benedicto XIV. ad beneplacitum dumtaxat ſuum conceſſas per illius obitum &c. expiraſſe: ne „ defectu harum tot millia Animarum per Diſtrictum Munkacsienſem, & Marmaroſienſem degentium, quodpiam ſalutis diſcrimen ſubire cogerentur &c. Eumdem, Ultro, „ velut perſonam idoneam expertam in meum per dictos „ Diſtrictus, quo ad Unitos Vicarium vigore Decreti mei „ conſtitui, expreſsisque illic facultatibus communivi § 32. „ circa fin.“ Noviſsima hæc doctrina eſt, & nullo unquam tempore admittenda. Reperiuntur in Anglia, in Scotia, in Indiis Orientalibus atque alibi Vicarii Apoſtolici, quorum facultates ſi expirarent per mortem Romani Pontificis, qui eos deputavit, multa Chriſtianorum millia iis in Regionibus commorantia, Sede Romana vacante, ſuo Paſtore deſtituerentur. Explorati quidem Juris eſt „ morte mandato- „ ris expirare mandatum.“ Sed æque exploratum eſt, per mortem Pontificis haud expirare Vicariorum Apoſtolicorum Jurisdictionem, & facultates, quia ſunt Vicarii Apoſtolici a Pontifice deputati, ſolemni illa clauſula — Ad noſtrum, & ejusdem S. Sedis Apoſtolicæ beneplacitum.

20.

20. Hæc, Beatiſsime Pater! ſunt fundamenta aſſertæ Jurisdictionis ab Agrien. Latinis Epiſcopis exercitæ ſuper Clerum, & Populum Græco-Rutheni Ritus Uniti in Diœceſi Munkacsiana; actus ſcilicet nulli, & incompetentes, atque etiam ſummopere lædentes Jus S. Sedis Apoſtolicæ & Vicariorum ab eadem S. Sede deputatorum, quod cum optime noſcat Pars adverſa aram ſibi parat in nonnullis legibus Eccleſiaſticis, quæ eamdem Civitatem duobus committi Epiſcopis prohibere videntur, ut inde evincat, Munkacsienſem Eccleſiam erigi non poſſe ſine hujusmodi legum violatione. Diximus ſuperius hæc omnia falſo inniti ſubpoſito, quod ſcilicet agatur de nova facienda erectione. Nos vero ſatis ſuperque probavimus non de nova erectione, ſed de præexiſtentis Eccleſiæ redintegratione agi: quo quidem in caſu allatæ ex adverſo leges Eccleſiaſticæ vim nullam habere videntur. Eas tamen æquo ſubjiciendas eſſe examini putamus, ſaltem ne altera contrariæ Informationis, & Relationis pars vani timoris quidquam effundat.

21. Allegatur itaque ex adverſo Conſtitutio Pii PP. IV. cui initium Romanus Pontifex, & qua ſtatuitur, ut Græci etiamſi Epiſcopali dignitate præfulgeant, locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum Latinorum omnimodæ ſuperioritati ſubeſſe, illisque obedire debeant. Huic tamen ſancito ſiquidquam obſtat, fas nobis ſit opponere Leonis PP. X. Conſtitutionem, quæ incipit: „Accepimus" datam die 18. Maji 1521. & a Clemente PP. VII. confirmatam, de qua Leo Allatius in Opuſculo de „Ætate" & Inter-

 „ ſtitiis

„ ſtitiis pag. mihi 5. In ea enim ſic ſtatuitur: Ubi, duo, „ unus Latinus, alter vero Græcus ejusdem loci, prout „ in Cephalonia, & Zacintho, & forſan alibi ſunt Epiſco- „ pi, Epiſcopus Latinus de perſonis Eccleſiaſticis, & Sæ- „ cularibus Græcis, ac de Jurisdictione Epiſcopi Græci, „ vel aliis quibuscunque ad Epiſcopum Græcum quomo- „ dolibet ſpectantibus nullatenus ſe intromittere præſumat; Sed Epiſcopus Latinus Latinorum, Epiſcopus vero Græcus Græcorum dumtaxat curam, regimen ac Jurisdictionem reſpective habeant, & exerceant, præſenti Summar. num. 4. litt. B. Quin ullum negotium faceſſat opinio Benedicti XIV. in contrar. Informatione allata §. 17. deſumptaque ex Tractatu de Synodo Diœceſana lib. 2. cap. 12. Hæc enim Opinio non ſolum nullam legis vim obtinet quippe prolata a graviſsimo quidem, doctiſsimoque Scriptore, ſed non tamquam ſupremo legislatore, ut omnibus eſt in comperto, ſed nec caſui, in quo verſamur, ullimode aptari poteſt. Doctiſsimus enim Scriptor ea eſt in ſuppoſitione, poſſe aliquando Græcos aliquem nanciſci Epiſcopum Schismaticum, cujus opera Latini Epiſcopi vires enerventur. Hoc tamen Munkacsini evenire minime poteſt. Nam Munkacsienſes Epiſcopi electio potiſsimum pendet ab Apoſtolicorum Regum voluntate, calumniamque nullo unquam tempore referendam redoleret, vel e longinquo ſuſpicari, poſſe aliquando evenire, ut ab iis Schismaticus quisquam nominetur. Somnia quoque male dormientis ſunt, vaneque trepidantis, poſſe adeo Agrienſis, vel alterius cujusquam Latini Antiſtitis in Hun-

garia

garia Vires enervari, ut ad Græci Epiſcopi molimina, ſi qua tamen umquam forent contra Latinos, retundenda minime ſufficiant. Potentiſsimi enim ſunt, ac ditiſsimi Latini Præſules, quippe qui ex primariis Regni illius familiis ſeligi ſolent. Poſtremo ſi ullibi in Catholicorum Dominiis Græc Epiſcopi contra Latinos inſurgere tentarunt, profecto non alia id ratione factum eſt, niſi ut jura ſua tuerentur, quæ a Latinis labefactari videbant. Quæ quidem abſurda ut præcaveret: idem Benedictus XIV. ex Petri Cathedra, quæ veritatis magiſtra eſt, & animarum ſalutem reſpicit, ita docuit „ Epiſcopus Latinus Latinorum, Epiſcopus vero „ Græcus Græcorum dumtaxat curam, regimen & Juris- „ dictionem reſpective habeant, & exerceant: ſic in Conſt. „ Et ſi Paſtoralis Bullar. tom. 1. num. 57. §. Ubi vero.

22. Ut itaque Pontificiæ Conſtitutiones interſe concilientur; ita explicandæ ſunt juxta verum ſuum ſenſum, praximque inconcuſſam, nempe quod Græci Epiſcopi, qui ſuis a Sedibus exules per Latinorum Præſulum Diœceſes vagantur, vel etiam in iis moram traxerint „ Ordinariorum „ Latinorum omnimode ſuperioritatl “ ſubſint juxra Bullam Pii IV., & jus commune: ſecus autem in locis, ubi Græci Epiſcopi ſunt veri Ordinarii; hoc enim „ in caſu „ Latinus Epiſcopus de perſonis Eccleſiaſticis, & Sæculari- „ bus Græcis, ac de Jurisdictione Epiſcopi Græci, vel „ aliis quibuscumque ad Epiſcopum Græcum quomodolibet „ ſpectantibus nullatenus ſe intromittere debet “ juxta declarationem Leonis PP. X. a Clemente VII. confirmatam,

&

& a Benedicto XIV. non privata ſua Sententia, ſed Apoſtolica auctoritate renovatam. Hanc vero eſſe S. Sedis mentem, hanc praxim, oſtendunt frequentiſsima Sac. Congregationis de propaganda Fide Decreta, quibus Orientalium Præſulum ſuos in Populos Jurisdictio ſarta tectaque conſtantiſsime ſervatur. Immo Sacer ille Magiſtratus licet ſuo e latere Miſsionarios in Orientales plagas ſolitus ſit expedire quam plurimis munitos facultatibus; timens tamen, ne ab hujusmodi facultatum exercitio quid detrimenti capiat dictorum Præſulum dignitas, atque Jurisdictio, ſæpius declaravit, eos eſſe veros, legitimosque in Populum ſui Ritus Ordinarios; noviſsime autem Latino Babylonenſi Epiſcopo auctoritatis nonnihil ſibi arrogare moliente in Populum Ritus Orientalis in eadem Babylonen. Diœceſi commorantem, laudata S. Congregatio Decreto lato die 24. Septembris 1748. ſancivit: „nullam profecto Epiſcopo Babylonen. directe competere Jurisdictionem per totam „Aſsyriam, & Meſopotamiam in Clero, & Populo, qui „non ſit Ritus Latini, ſed hujusmodi Orientales immedia„te ſubjectos eſſe Epiſcopis Catholicis proprii Ritus, qui „vel perſonaliter reſident in ſuis Diœceſibus, vel ibidem „Ordinariam Jurisdictionem per Sacerdotes ab ipſis de„putatos exercent“ præſenti Summario num. 5.

23. Sic etiam inopportune objicitur Canon. Concilii Lateranen. in Cap. Quoniam in plerisque, de Offic. Jud. Ord., quo caveri videtur, ne una eademque Civitas, ſive Diœceſis diverſos Pontifices habeat, quamvis intra eamdem Civi-

Civitatem, atque Diœceſim permixti ſint Populi diverſarum linguarum habentes ſub una fide varios ritus, & mores. Ut enim omittamus, huic Concilio Græci Ritus Antiſtites, ut ex ejus Actis luculenter ſatis eruitur, minime interfuiſſe, nec propterea fuiſſe auditos: Sua enim Jura vindicaſſent, quod pro Viribus fecere in Conciliis Generalibus, & præſertim in Florentino, ut patet ex ejusdem Concilii Hiſtoria apud Horatium Juſtinianum a pag. 70. ad fin.; nemo etiam ignorat, hunc Canonem fidei regulam haud præſeferre; ſed puram meramque diſciplinam reſpicere, quæ pro temporum, locorum, perſonarumque circumſtantiis ſolet immutari. Hujus autem rei teſtes ſunt quamplurimæ Pontificiæ Conſtitutiones, quæ leguntur in Bullario Romano, & in quibus Conſtitutionibus uni alterove Canoni etiam in Conciliis generalibus edito in linea meræ Eccleſiaſticæ diſciplinæ derogatur. Neque vero quidquam per hoc dogmatis puritati detrahitur, aut pontificia dignitas vileſcit: nam exigente animarum ſalute, aut alio quovis Eccleſiæ bono, Paſtoralis vigilantia, quam ſemper provida clementia, & æquitas committantur, temporum circumſtantiis, Populorumque ſe aptat neceſsitatibus, „ expedit enim legis vin„ culum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſi„ bus, & neceſsitatibus pro communi utilitate ſatis fiat," ut hisce verbis ſancivit Concil. Trident. Seſſ. 25. de Reform. Cap. 18. In hujusmodi enim circumſtantiis Summus Pontifex fidelem ſe Eccleſiæ theſauri diſpenſatorem oſtendit. Cui providæ diſpenſationi conſulens Eugenius PP. IV., cum accepiſſet, Latinum Epiſcopum Caphæ in Taurica Cherſo-

neſo Epiſcopo Armeno interdixiſſe Mitræ uſum, & ne Populo ſuo per vias benediceret, pro Armeno Epiſcopo pronunciavit, plenamque ei regendi gregis ſui poteſtatem adjudicavit nulla prorſus in re a Latino Epiſcopo dependentem, ut refert Raynaldus ad Ann. 1439. num. 17. Ad quæ notat Thomaſinus — „ His blandimentis æquum erat de„ mereri Gentem Armenorum, quæ nuperrime in ſinum Uni„ tatis Eccleſiæ Romanæ convolaverat. Alioqui duo erant „ Populi, etſi homines ſpectes non muros, duæ Urbes, „ præter quam mænibus, & finibus, nulla re non remotis„ ſimæ: ideoque duobus Epiſcopis credendæ.“ Vet. & Nov. Eccleſ. diſcipl. part. 1. Lib. 1. Cap. 29.

24. At præter relatum a Raynaldo, alia quoque ſunt, eaque frequentiſsima exempla unius alteriusque Epiſcopi eadem Diœceſi, atque etiam in Urbe pro Rituum diverſitate conſtituti Ordinarii Epiſcopi. Leopoli præter Epiſcopum Ruthenum & Latinum Archi-Epiſcopum, Armenus quoque reſidet Archi-Epiſcopus non ita pridem conſtitutus, qui etiam Ordinarius eſt Armenorum Cameneci, aliisque in Diœceſibus commorantium, nec moleſtiæ quidquam a Ruthenis vel Latinis Epiſcopis patitur: paſcit enim quisque Oves ſuas, nec alterius Jurisdictionem invadere tentat, aut perturbare. Sic pariter ab Urbano VIII. erectus fuit Babyloniæ Latinorum Epiſcopatus. Nec Pontifici viſum fuit obſtare, quod in ea Civitate eſſet alius Epiſcopus, unaque dumtaxat ex Latinis Gallicæ Nationis familia ſoleat commorari. Præterea Clemens XI. anno 1721. Epiſcopatum

pro

pro Ruthenis, Vallachis, Raſcianis, aliisque, qui Græcum Ritum ſequuntur, & per Tranſilvaniæ Provinciam commorantur, erexit, & inſtituit, cum Inſigniis, & Privilegiis, quibus reliquæ Eccleſiæ Cathedrales Græci Ritus gaudere ſolent, prout legitur in Decreto Conſiſtoriali, præſenti Summario num. 6. Hujusmodi Epiſcopatus Fogaratsien. appellatur; Epiſcopus vero Græci Ritus Ordinaria Jurisdictione fruitur in ſuos eodem prorſus modo, quo Epiſcopus Latinus, qui Tranſilvaniæ dicitur, pleniſsima Jurisdictione fruitur in Latinos. Licet enim Latini mixtim cum Græcis in eadem commorentur Provincia, Diœceſi, Civitate, atque Oppido; neuter tamen Epiſcoporum moleſtiæ quidquam ſuo patitur in jure, eo contentus grege, quem in ſortem accepit, quod cautum voluit S. Sedes clauſulis expreſsis in citato Decreto.

25. Quod ſi Orientis Regiones libeat perluſtrare; comperiemus in una eademque Urbe tot reſidere Epiſcopos, quot in ea Nationes degunt. Græcus enim Antiſtes Græcis præeſt, Armenis Armenus, Syrus Syris, ſuisque Maronita. Ipſe quoque Antiochenus Patriarchatus tres habet Patriarchas, nempe Græco Melchitam, Armenum, Maronitam, eos quidem a S. Apoſtolica Sede confirmatos, quibus quartus accedit Latinus, qui titularis quum ſit, Romæ ſolet reſidere, prout notiſsimum eſt.

26. Quoniam autem de Epiſcopis titularibus fortuito caſu incidit Sermo; Nemo non novit, plures Romæ, alibi-

que eſſe Epiſcopos, quibus a Romano Pontifice titulus Epiſcopalis in partibus Infidelium conferri ſolet, atque etiam illius Eccleſiæ, quæ ſuum Orientalis ritus habet antiſtitem. Prima hujusmodi titularium Epiſcoporum origo diſerte ſatis narratur ab iis, qui recuperatæ per Balduinum, aliosque Chriſtianos Prir.ipes Terræ Sanctæ Hiſtoriam ſcripſerunt, cauſſasque Latinos Epiſcopos eas inducendi in Urbes, quas Orientalis Ritus Ordinarii Præſules regebant, refert laudatus Thomaſinus his verbis — „ cauſæ autem erant „ rituum, morum, linguæ, ac diſciplinæ diſſonantia. Vet. „ & Nov. Eccleſ. diſcipl. Part. 1. Lib. 1. Cap. 26. & Cap. „ 26. addit: „Difficillime potuere unins Paſtoris cura, & „ regimine contineri duæ gentes lingua diſciplina, mori- „ busque magnopere diſsidentes.“ Nec præter eundum eſſe videtur, hujusmodi titulares Epiſcopos Brevi ſuæ deputationis a reſidentia diſpenſari, quamdiu Eccleſia eis commiſſa ab Infidelibus detinebitur, ut conſtat ex Brevi hujusmodi deputationi, cujus exemplum damus præſenti Summario num. 7. Litt. A. unde provenit, quod ſi quando regiones illæ excuſſa Infidelium tyramnide, in Chriſtianorum Principum poteſtatem venerit, teneantur tales Epiſcopi titulares illuc proficiſci, ſuæque Diœceſis curam „ quod Latinos“ ſi qui ibi ſint, aſſumere, & in ea reſidere. Hoc poſito, quæ eſſet allati ex adverſo Canonis Concilii Lateranen. obſervantia, pluribus eadem in Diœceſi Ordinariis Epiſcopis reſidentibus, ſuique Populi diverſi Ritus curam gerentibus? Si laudato Thomaſino aſſentimur, nulla eſſet hujusmodi Canonis vulneratio, eo prorſus modo, quo per depu-

deputationem hujusmodi Epiſcoporum primis illis temporibus nulla facta fuit Canonicarum legum vulneratio; — Nec vulnerabatur Canonum Sanctitas cum aliis, & aliis Populis ſuus quibusque dabatur Epiſcopus, quod quamquam iisdem clauderentur Urbis mænibus, „ moribus, tamen, lin„ gua — plurimum diſtabant. Tractatu eodem Vet. & Nov. „ Eccleſ. diſcipl. Part. prima Lib. primo Cap. 29.“

27. In præſenti vero caſu nulla opus eſt Canonis Concilii Lateranen. derogatione. Non enim agitur de novo erigendo Epiſcopatu, bene vero de eo reintegrando, qui præexiſtebat ante deputationem Vicariorum Apoſtolicorum, immo ab immemorabili tempore: quibus quidem in circumſtantiis ipſe Agrien. Epiſcopus non adverſatur, diverſi Ritus eadem in Diœceſi Epiſcopos eſſe manutenendos, exemplo ductus Ruthenorum, qui in Polonia ſunt, & M. Ducatu Lithvaniæ, & qui ab Epiſcopis reguntur eadem in Diœceſi, atque Urbe reſidentibus cum Epiſcopis Latinis. Fallitur vero idem Epiſcopus, dum putat, poſſe ibi melius a Latinis Præſulibus gubernari, nec deeſſe inter Latinos, Ruthenosque Epiſcopos contentiones. Summa enim ubique tranquillitas eſt, dum unus quisque ſuum paſcit gregem, intra juris ſui fines ſe cohibet, nec in alienam meſſem falcem immitere conatur; quod nunquam tentatum ab Epiſcopis Latinis fuit, quum probe noſcant haud apte poſſe a ſe gubernari Clerum, ac Populum, cui peculiaris lingua, mores, ritus ſunt, & conſuetudines, ita ut, licet intra ejusdem Urbis muros cum Latinis claudantur duos tamen, di-

verſiſsimosque populos, duasque Eccleſias efforment: nec enim muris, ſed hominibus conſtant Urbes, & Eccleſiæ.

28. Satis hucusque demonſtravimus, nullam Agrienſi Epiſcopo Jurisdictionem competere in Clerum, Populumque Ruthenum Diœceſis Munkacsienſis, quippe quæ, vel ab Ordinariis Ritus ejusdem Epiſcopis, quandoque etiam a S. Sede confirmatis, vel a Vicariis Apoſtolicis eidem S. Sedi immediate ſubjectis fuerit gubernata: ex quo per legitimam conſequentiam concluditur actus omnes uti jam diximus, qui exadverſo afferuntur, exercitæ aliquando per Epiſcopos Agrienſes eadem in Diœceſi Jurisdictionis mere uſurpativos, ideoque nullos fuiſſe, ipſamque Romani Pontificis auctoritatem ſummopere lædentes, atque adeo per ejusdem Munkacsienſis Epiſcopatus reintegrationem nullam gregis partem ab Agrienſi Eccleſia avelli, nullumque ejus Antiſtiti inferri præjudicium.

29. Reſtat modo, ut ad tertiam propoſiti partem progrediamur; ad abuſus ſcilicet, qui in Ruthenorum Clerum, & Populum Munkacsien. dicuntur irrepſiſſe, & qui mira arte attolluntur exadverſo a §. 74. fere ad 100. Præventive tamen conſiderandum eſſe videtur, accuſationes ab iis potiſsimum provenire, qui plurimum ſua intereſſe putant, Munkacsien. Eccleſiæ reintegrationem impedire. Hujusmodi autem ſunt Vice-Archi-Diaconi Latini Agrien., qui requiſiti a ſuo Epiſcopo, an putent expedire, ut Munkacsien.

Epi-

Epiſcopatus erigatur; timentes autem, ne fimbriæ intra æquitatis, & juſtitiæ terminos reſtringantur, nullum non movent lapidem, ut Presbyteri Rutheni, & ipſe Populus fræni impatientes, Jurium Parochorum Latinorum invaſores, irreligioſi, atque etiam impii videantur. A ſingulis refellendis abſtinemus, tum quod omnia aſſerantur ſine ulla probatione, ad odium in noſtros Ruthenos conciliandum: aliqua veri ſimilitudinem nullam habeant: nonnulla exactam Græci Ritus ſine ulla intermixtione obſervantiam ſapiant, nonnulla quoque ad tuenda noſtrorum Parochorum jura tendant, ac poſtremo ſi qui veri ſunt abuſus, a noſtris enim humanum nihil alienum eſſe putamus, patet liber gravatis ad competentia Tribunalia acceſſus.

30. Miramur vero quammaxime, nonnulla noſtris Ruthenis impingi ſub imagine abuſus, quæ revera puram, exactamque Græci Ritus SS. Patrum Doctrinis, & praxi firmati obſervantiam includunt. Atque equidem D. ex adverſo ſcribens. §. Inveteratum noſtros Presbyteros inſimulat, quod inveteratum morem omittendi Proceſsionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio ſequantur: Quod de extrema Unctione pariter erroneam Sententiam ſectentur, nimirum ad Sacramentum hoc licite miniſtrandum ſeptem requiri Sacerdotes, & ſi, commode ſeptem haberi nequeant unicum adminiſtrare poſſe; quod Sacram Euchariſtiam infantibus ante uſum rationis; Quod Feſta Latinorum non obſervant, ſed neque eorum obſervatio per Rituales Parochorum Superiores minus per ipſos Parochos urgetur; Quod die

Sab-

Sabbathi veſcantur carnibus; Quod Parochi prohibent, ne Rutheni viaticum ſub azymo ſumant. Quam male itaque de his arguantur noſtri Rutheni, breviter oſtendemus.

31. Et ſane quo ad primum prætenſum, Ruthenisque impictum abuſum; ſatis in comperto habemus, quod ſi in Nicena Symbolo Presbyteri Græci particulam Filioque non addunt, id antiquiſsimo more ab ipſis Nicenæ Synodi temporibus repetito profluit. Quare in Concilio Florentino Part. 2. Collat. 22. legimus quidem teneri Græcos credere Proceſsionem S. Sancti a Patre & Filio; particulam tamen, Filioque per eos in Symbolo addendam eſſe non legimus; immo ad hoc eos minime teneri expreſſe declaravit Benedictus XIV. in ſæpe citata conſtitutione. „ Etſi Paſtoralis „ § 1. de fide Catholica, ubi num. 1. ſic legitur: — Etſi „ autem Græci teneantur credere, etiam a Filio Spiritum „ Sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo „ pronunciare.“ Morem quoque eſſe Eccleſiæ Orientalis, immo fuiſſe quoque per aliquot Sæcula in Occidentali, Extremam Unctionem adminiſtrandi per ſeptem Presbyteros, aut ſaltem per tres, nemo ullus ignorat, qui Eccleſiaſticos ritus calleat: Apud eruditiſsimum Goarium in Euchologio Græcorum pag. 408. legitur „ Officium S. Olei decantatum a ſeptem Sacerdotibus congregatis in Eccleſia, aut „ in Domo.“ Paulo autem infra, ſcilicet pag. 431. in notis ad idem Officium plures rationes adducit hujusmodi ritus, tandemque ſubdit: „ Tanti Sacramenti reverentia, „ & antiquorum Eccleſiæ morum imitatio plures Sacerdo-

„ tes

„ tes expetere videtur, immo & olim adfuiſſe tum ex D. „ Gregorii Sacramentario, tum ex aliis vetuſtiſsimis Ordi- „ nibus Hugonis Menardi ope e ſquallore tenebrarum eru- „ tis edocemur &c.“ Hæc autem omnia firmat auctoritate quoque Gregorii PP. III. Concilii Mediolanenſis, & Sancti Thomæ Lib 4. contra gentes Cap. 33. Quare Synodus Zamoſciana primum Congregationis de propaganda Fide mox alterius, quæ Sacri Concilii Tridentini interpres appellatur, approbata Decretis, & a Benedicto XIII. ſpeciali ſuo brevi confirmata (cujus quidem Synodi non ſemel, nec ſine commendatione meminit Benedictus XIV. in ſuis operibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis) Tit. VI. de extrema Unctione hæc habet: — „ Quamquam in Græca Ec- „ cleſia receptum fuerit prout aliquando etiam in Latina, „ ut ſeptem Sacerdotes, iisque defficientibus tres ſaltem „ advocarentur ad miniſtrandum hoc Sacramentum, iique „ omnes & materiam ſubminiſtrarent, & formam profer- „ rent: Sciant autem Paſtores, plures ea de cauſa adhi- „ beri ſolitos Sacerdotes tum ob reverentiam ejusdem, ac „ gratiæ copiam, quam confert, tum plurium Sacerdotum „ preces effectum Sacramenti coadjuvent. Qua de cauſa „ S. Synodus ſtatuendum cenſet, ut ſi ſeptem aut tres Sa- „ cerdotes haberi commode non poſsint, unus, qui totius „ Eccleſiæ perſonam gerit, & cujus virtute hoc Sacramen- „ tum perficitur, illud conferat, ac infirmo miniſtret ibi.“ Quibus Benedictus XIV. addit in citata Conſtitutione — „ Etſi „ Paſtoralis § V. de Sacram. Pœnitentiæ, & extremæ Un- „ ctionis num. 3. Nec refert, utrum eadem extrema Un-

„ ctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi hujus„ modi viget conſuetudo: Reique hujus rationem reddide„ rat ipſemet Pontifex § ſuperiori, quod ſcilicet Olea San„ cta a Sacerdotibus Græcis in ipſa Oleorum, & Sacra„ mentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, & be„ nedicantur," & quidem adſtantibus precesque proferentibus ſeptem, aut ſaltem tribus Sacerdotibus.

32. Pari modo non Orientalis ſolum, ſed etiam Occidentalis Eccleſiæ morem aliquando fuiſſe, Infantibus in actu Baptismatis, & Pueris in Miſſa Euchariſtiam ſub una, vel utraque ſpecie adminiſtrandi exploratiſsimum eſt. Qui quidem mos quum abrogatus in Eccleſia Latina poſtmodum fuerit, non improbatur tamen a Concilio Tridentino quod ſic definivit: Neque damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibusdam locis aliquando ſervavit. Seſſ. 21. Cap. 4. de Commun. Hic vero mos remanet ad hanc usque diem in Eccleſia Orientali, in qua Infantis recens baptizati lingua Chriſti Sanguine linitur, hujusque rei teſtis eſt laudata Synodus Zamoſciana „ Tit. de Baptismo § 1. Tanta Eucha„ riſtiæ Sacramento veneratio debita eſt, ut Infantis recens „ baptizati linguam Chriſti Sanguine intingendi conſuetu„ dinem antiquiſsimam &c." Quam quidem conſuetudinem firmavit expreſſe Concilium Florentinum teſte Leone PP. X. in laudata Conſtitutione „ Venerandumque Sacramen„ tum ſub utraque ſpecie omnibus etiam pueris miniſtrare „ poſsint: præſ. Summ. d. n. 4. Benedictus vero XIV. loc. „ cit. § 2. num. 7. hæc habet: — Cum adminiſtratio Sacra-

„ menti

„ menti Euchariſtiæ quod ſub una, vel ſub utraque ſpecie „ Infantibus in Baptismo, & Fueris in Miſſa ſolent Græci „ exhibere nihil contra orthodoxam fidem bonosque mores „ contineat &c.“

33. Quod vero ſpectat ad obſervantiam Feſtorum Latinæ Eccleſiæ, neſcimus omnino qua lege Rutheni, iis præſertim in locis ubi Incolæ ſunt, & non Accolæ, &, ubi potior eſt illorum numerus, ita ut Ruthenus Ritus prævaleat, ad eam adſtringi poſsint, quum peculiaria ſua Feſta habeant, quæ quidem ſeorſivo Cathalogo deſcripta leguntur in laudata Synodo Zamoſciana Tit. XVI. De Jejuniis, & Feſtis. Incongruum præterea eſſet nimisque gravoſum, Latinorum quoque Feſta iis addere; nam ſi hæc quoque ſervare tenerentur; paululum, & fere vix quidquam temporis eis ſupereſſet, ad eas exercendas artes ex quibus familiæ ſuæ ſubſtentationem quærere coguntur, ejusdemque naturæ ea altera eſt accuſatio veſci eos carnibus die Sabbathi. Cum etenim diebus Mercurii, & Veneris ita jejunent, ut non a carnibus ſolum & lacticiniis religioſiſsime abſtineant, ſed etiam non raro a Piſcibus, Oleo, & Vino; Sabbatho carnibus veſci libere & licite poſſunt. Immo ſi quando Jejunia a Romano Pontifice indicuntur pro lucrandis indulgentiis, diem Sabbathi in alium commutatum pro Græcis voluit Benedictus XIV. §. 9. num. 11. ibi — „ in Jejuniis quoque biduanis, vel triduanis „ vel alias a Diœceſanis, vel in Tubileis a Summo Romano „ Pontifice in dictis dies Sabbathi in eis comprehenſus,

 vel

„ vel præſcriptus in alium diem pro Græcorum plebe ab „ ipſis Diœceſanis Apoſtolica Auctoritate permittitur com„ mutari. „

34. Denique ſi quid de Viatico loquendum eſt, incongruum omnino eſſe videtur, ut qui Ritus Græci ſunt, ſuique Ritus Parochum habent, Viaticum in azymo a Latinis accipiant Sacerdotibus, & quidem cum evidenti juris ſuo Parocho competentis læſione. Notum quippe eſt, inter Sacramenta Parochialia, ſeu quorum adminiſtratio privative ſpectat ad Parochos, Viaticum connumerari. Præterea nunquam ſatis laudatus Benedictus XIV. in eadem Conſtitutione decrevit „ ut Latini ſemper in Azymo, Græci autem „ ubi propriam Parochiam habent, in fermento communicent §. VI. num. 14.; Quod ut Romæ quoque ſervaretur, ubi Orientales propriam non habent Parochiam, ſed Parochis ſubſunt Latinis, liberum tamen eis eſſe volunt ſuo ritu Viaticum ſumere, ſtatuta nonnulla a Cardinali Urbis ejusdem Vicario de ipſius Pontificis mandato edita die 15. Februarii anno 1743. Quare obmuteſcant tandem aliquando oportet, qui Schomata, contumeliasque in Græcum Ritum effutiunt, Schismaticum eum, erroneum, vanisque ſcatentem obſervationibus deprædicant, abſtineantque a ſuis illum calumniis impetendo. Noſcant, & fateantur Græcam Eccleſiam æqualem ætate Latinæ fuiſſe, a Sanctis fundatam Apoſtolis Sanctisque Patribus, & Doctrinis illuſtratam, ex quorum ſcriptis Univerſa Eccleſia Catholica Sanam, Sanctamque doctrinam exhaurivit, ita ut Lutherani, & Calvi-

niſtæ

niſtæ vano ſemper labore deſſudaverint, ut Græcos ſuis erroribus inficerent, nec rigidiores præ Græcis habuerint hoſtes circa Sacratiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod totis viribus Eccleſia Græca verbo ſcriptisque propugnavit, & propugnat; quod diſertiſsime Emmanuel a Scheleſtrate in Opere, quod inſcripſit: Monumenta Eccleſiæ Græcæ probat.

35. Atque hic loci animadvertendum eſt iterum, iterumque, quibus potiſsimum ex fontibus dimanant accuſationes, quæ contra noſtros Ruthenos adducuntur a Vice-Archi-Diaconis Diœceſis Agrien. ab ignorantia ſcilicet Rituum, morum, laudabiliumque conſuetudinum Eccleſiæ Græcæ, atque a cupiditate, qua delatores trahuntur, invadendi jura noſtrorum Parochorum, noſtrique Epiſcopi; Quam non temere formident Rutheni a patriis divelli moribus, ſuumque aboleri Ritum, ſi Latino Antiſtiti quoquo modo ſubjiciantnr; Quam juſta demum, æqua, conſervandis laudabilibus Eccleſiæ Græcæ conſuetudinibus apta petitio ſit, ut Munkacsienſis Eccleſia ſuæ integritati reſtituatur.

36. Potiſsima autem ratio, ob quam obſtandum hujusmodi reintegrationi ſibi eſſe putant tum Epiſcopus Agrienſis, tum etiam præfati Vice-Archi-Diaconi, deducitur ex ſæpius citata Relatione § 103, & ſequ. ſcilicet quod præſentiant; ipſum Epiſcopum, Capitulum, Parochosque Latinos amiſſuros eſſe Decimas, quas a Ruthenis ſolvendas ſibi eſſe prætendunt. Solemnis eſt apud Doctores Decima-

 rum

rum diſtinctio inter Laicales, quæ etiam prædiales dici ſolent, & Eccleſiaſticas Sacramentales quoque appellatas. De Laicalibus minime hic agi putamus. Patet ſiquidem iis, qui præjudicium ſibi illatum credunt, ad Regni Tribunalia acceſſus. Sacramentales autem iis ſolvendas eſſe, a quibus Populo Sacramenta adminiſtrantur ſcilicet Epiſcopo, qui univerſalis eſt Decimator, & Parochis, qui Populo inſerviunt, iis quoque notum eſt, qui Jus Canonicum vix in limine ſalutarunt. Quare minime ambigendum eſt, quin hujusmodi Decimæ a Ruthenis, ſeu Populo Græci Ritus, Epiſcopo Munkacsien. ejusdemque Ritus Parochis ſint ſolvendæ. Quod ſi ab aliquo tempore Latinus Agrien. Epiſcopus, Capitulum & Parochi ſuper Ruthenum Populum decimarunt, quod tamen ſuis loco, & tempore foret ab eis probandum, id quidem per uſurpationem factum fuiſſe potius dicendum eſt, eoque tempore, quo noſtri Rutheni ſuo Ordinario Epiſcopo deſtituti per Vicarios Apoſtolicos fuerunt gubernati.

37. Profecto Regni Hungariæ Legibus ſtatutum legimus, quod a reddendis Decimis Rutheni ſint exempti: Poſtquam eas ſui Ritus Epiſcopis, & Sacerdotibus dare ſoleant, præſenti Summario num. 8. litt. A. „ Atque hinc eſt, quod „ Leopoldus Imperator Petrum Parthenium ad Eccleſiam „ Munkacsien. jure ſui Patronatus mominans anno 1659., „ eam ipſi collatam voluit “ una cum omnibus ſuis Decimis, præterito noſtro Summario num. 3. litt. C. Et noviſſime Reginam Apoſtolicam duos ante annos decreviſſe „ ut

„ ex

„ ex locis illis in quibus Sacerdotes Græci Ritus non exi-
„ ſtunt Proventus annuus id eſt Decima a Ruthenis obveniens
„ horum Sacerdotibus, & non Parochis Latinis in loco
„ reſidentibus cedat" ipſe Agrien. Epiſcopus teſtatur ſua Epiſtola §. 99. Si itaque juxta Regium ſancitum Rutheni in locis exiſtentes in quibus Parochum ſui Ritus non habent, ideoque a Latinis Sacramenta in caſu neceſsitatis ſuſcipiunt, non ipſis Latinis Parochis, ſed ſuis Sacerdotibus ſolvere debent, quas Agrien. Epiſcopus ejusque Capitulum, & Latini Parochi Decimas a Ruthenis exigere poterunt in locis ubi ſunt Parochi Rutheni ſuo Populo miniſtrantes?

38. At laudatum Sereniſsimæ Reginæ Decretum æquitati, & juſtitiæ conſonum adprime eſt. Et enim nec Agrien. nec alius Latinus Epiſcopus quisquam aut Parochus Decimas in Hungaria exigit a Ruthenis Schismaticis qui frequentiſsimi illo in Regno commorantur: Penduntur quippe Schismaticis Epiſcopis & Parochis, qui in iis exigendis nullam patiuntur a Latinis moleſtiam. Atque hic loci liceat nobis ab Agrien. Epiſcopo quærere, quid factum iri putet ſi quando divinæ bonitati placeat, aliquem ex hujusmodi Schismaticis Epiſcopis cum ſuo Populo, ad Catholicæ Eccleſiæ gremium adducere; Quid de illo, & cum illo fiet? Amittet fortaſſe hac potiſsimum de cauſa competentem ſibi ſuum in gregem Jurisdictionem? Amittet Decimas, ut Latino ſolvantur Epiſcopo, & Parochis? Si affirmative reſpondeat; Caveat, oportet, ne petram offenſionis interponat, aditumque Epiſcoporum Schismaticorum converſioni intercludat. Quod ſi in

nega-

negativam ſententiam iverit; Liceat ulterius ab eo quærere, an Munkacsienſis Epiſcopus inferioris deteriorisque conditionis præ Schismaticis Præſulibus ea ſolum de cauſa eſſe debeat, quod a multo jam tempore S. Unioni nomen dederit?

39. Hoc præterea præmium noſter perciperet Ruthenus Epiſcopus pro ex antlatis in convertenda ſua gente laboribus ex ipſa Agrienſis confeſsione. Et enim §. 48. ſuæ relationis hæc ipſe habet: — „ In novem Comitatibus, & Oppi-„ dis Haidonicalibus Latini permixti ſunt Populo Græcum „ Ritum profitenti " Mox §. 49. ſubdit: „ In tota hac qua-„ late patet, Diœceſi jam omnino omnes Græcum Ritum „ profitentes ſeu Rutheni, ſeu Valachi Sacram cum S. R. E. „ una cum Clero ſuo profitentur Unionem " Eorum vero numerum ſatis individue recenſet §. 60. His verbis: „ Dei „ auxilio ſub moderatione Uniti Epiſcopi ſeu Vicarii (Apo-„ ſtolici) Munkacsienſis negotium S. Unionis in eum ſta-„ tum perductum eſt, ut Eccleſiæ quidem octingentæ tri-„ ginta novem actuales Parochi 675. Perſonæ denum con-„ feſsionis capaces 119107. numerentur: " Atque hic calculus Ruthenos Unitos dumtaxat comprehendit, qui degunt in Comitatu, ſeu Provincia Agrien. iis omiſsis, qui extra eam Provinciam ſunt, & recenſentur in notula, quæ legitur in præterito noſtro Summario num. 6.

40. Huic itaque Populo ſuum Munkacsienſem Epiſcopum ab immemorabili inſtitutum tempore, ipſis a Ruthe-

nis

nis in actu renovatæ Unionis anno 1646. præſervatum, atque Apoſtolica primum, mox Regia auctoritate confirmatum reſtitui jus, & æquum poſtulant; Epiſcopum, qui omni Latini cujusquam Antiſtitis moleſtia vacuus ſuo præſit Gregi; Epiſcopum, qui inferioris deteriorisque præ Schismaticis Epiſcopis conditionis minime ſit; Epiſcopum, qui ſuo exemplo hos quoque Schismaticos Epiſcopos ad S. Unionem alliciat; Epiſcopum, denique, qui Sanctitatis Veſtræ, & Piiſsimæ Reginæ Apoſtolicæ fultus patrocinio Fidem Catholicam promoveat, Sanctosque Eccleſiæ Græcæ Ritus, laudabilesque conſuetudines ſervet, ac tueatur. Quare &c. Aloyſius Cocquelines.

CAPUT XIX.

Provocata

Domini Aloysii Cocquelines Advocati Romani in confirmationem præcedentium Allegatorum adducta.

SUMMARIUM.

Anno Domini 1747. die 8-va Menſis Maji, & ſequentibus celebratum eſt Conſiſtorium in Curia Epiſcopali Agrien. ſub Præſidio Excellentiſsimi, Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi Domini Franciſci e Comitibus Barkoczy de Szala Ordinarii Agrien. præſentibus Ill-mis, ac Rmis Dnis Cathedralis hujusce Eccleſiæ Agrien. Canonicis, cujus occa- ſione.

Num. 1, Manuel Olſavſzky, Vicarius Apoſt: nullam ab Agr. Epiſcopo dependentiam habuit ante an. 1747.

ſione. Tandem tertio; Cum modernus Vicarius Apoſtolicus Munkacsien. non eam, quam Jus exigit, præſeferre videretur erga Excellentiſsimum D. Ordinarium hujus Epiſcopatus dependentiam. Ei nec ſolitum fidelitatis Juramentum præſtitit, nec umquam facultatem exercendi Pontificalia petiit, ſeque jam paſsim etiam Epiſcopum Munkacsienſem ſcribit: Ne hujusmodi abuſus anſam olim dent tricis, & diſſenſionibus, Eccleſiæ Agrien. quoquo demum modo præjudicent, nullitas Epiſcopatus Munkacsien., „ & „ Vicariorum Apoſtolicorum Munkacsienſium ab Ordinariis „ Agrienſibus dependentia ſequentibus remonſtrata fuit &c.

Num. 2. Manuel Olſavſzky, Vicarius Apoſtol. An. 1747. coactus jurat obedientiam Epiſcopo Agrien. emiſſa eodem tempore Proteſtatione.

Infraſcriptus præſentibus fide mediante recognoſco; Quod poſteaquam in Anno 1747. Illuſtriſsimus Dominus modernus Epiſcopus Munkacsienſis per Excellentiſsimum Dominum Comitem Barkoczy Epiſcopum Agrien. &c. &c. pro componendis certis Clerum inter Latinum, & Unitum vigentibus Diſſenſionibus ad ſe Agriam unice invitatus fuiſſet, isque bona fide eum in finem cum nonnullis ex Clero ſuo, hodie jam omnibus defunctis illis, me unico adhuc ſuperſtite pro tunc ſecum ibidem habito, comparuiſſet; Eo tum non ut prætenſæ diſſenſiones ſedatæ fuiſſent, verum prælibato Domino Epiſcopo Munkacsien. inſperate, & nihil tale cogitanti præmiſsis minis, quodpiam Juramentum deponendum exhibitum fuiſſet; qui coram altetitulato Excellentiſsimo Domino pro tunc Epiſcopo Agrien. & Ven. Conſiſtorio declaravit hoc modo: „ Ego juravi Regi, & Pontifici; amplius non teneor, interim adurſus legam, & „ recitabo hoc ſcriptum, ſed numquam animo jurandi.“ In

cujus

cujus rei majorem firmitatem hanc Atteſtationem manu propria ſubſcriptam, & uſuali Sigillo corroboratam extradedi. Munkacsini die 23. Menſis Junii 1764.

Joan. Papp, Regius Trimator m. p.

Loco ✝ Signi.

Nos infraſcripti præſentibus recognoſcimus, quod in Anno 1748. die 10. Julii noſter Epiſcopus Munkacsien. Manuel Olſavſzky ſub tentorio D. Epiſcopi Agrien. exiſtens, nobis ibidem præſentibus, eidem D. Epiſcopo Juramentum emiſiſſet, nec audivimus, nec vidimus, immo ſcimus poſitive prorſus nullum, præter quam quod quinque Presbyteros jam emortuos hora 11. nocturna conpedibus, & carceribus territos, & adactos aliquod Juramentum emiſiſſe audivimus. In cujus rei majorem Fidem atteſtamur manuum noſtrarum ſubſcriptione, & Sigilli religioſi appoſitione roboramus. Munkacsini 13. Octob. 1764.

Num. 3. Vicarius Apoſtol. an. 1748. citat. ſub Tentorio Epiſcopi Agr. ibique Presbyteri cogunt Juramentum præſtare.

(L. S.) P. Gervaſius Kaminsky, Ord. S. B. M. p. t. Hegumenus m. p.

P. Dionyſius Haurilovicz, Ord. S. B. M. m. p.

Num. 4. Leonis PP. X. Conſtitutio, qua Ordinaria Græcorum Epiſcoporum Jurisdictio in Diœceſibus Latinorum præſervatur.

LEO PP. DECIMUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Florentino ſub fel. rec. Eugenio PP. IV. prædeceſſore noſtro, in quo inter ceteros Principes, & Prælatos Imperator tunc Græcorum, & quamplurimi alii Prælati Nationis Græcæ pro Unione facienda de Orientali Græcorum

cum Romana Eccleſia, res tandiu a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ac tota Chriſtiana Republica deſiderata, interfuerunt, inter alia Statuta, ac determinata Nationem prædictam in quibusdam eorum ritibus, & obſervantiis, quæ non imputabantur hæreſis, permanere & inter cetera, ſcilicet quod Presbyteri in fermentato celebrare, ac ſub alia forma quam Romana baptizare, videlicet: Baptizatur Servus DEI in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Item quod ordinati in Sacris Matrimonio ante ipſorum Sacrorum Ordinum ſuſceptionem contracto uti, ac barbam nutrire, venerandumque Sacramentum ſub utraque ſpecie omnibus etiam pueris miniſtrare poſsint per dictum Concilium ſtatutum, ordinatum, & decretum, ſive permiſſum fuerit; Tamen Ordinarii locorum Latini ipſam Nationem ſuper dictis ritibus, & obſervantiis in locis; ubi de præſenti Græci morantur, quotidie moleſtant, perturbant, & inquietant, cogentes pueros ipſorum, & alios eorum more baptizatos, iterum more Romanæ Eccleſiæ rebaptizari, dictumque Sacramentum ſub utraque ſpecie omnibus etiam pueris prædictis minime miniſtrari debere, neque barbam nutrire, neque in fermentato, ſed azymo celebrare, ac ordinatos in dictis ſacris Ordinibus matrimonio non uti: propter quæ, atque alia nonnulla quotidie in Populo diverſa ſcandala exoriuntur, ac in dies, nide opportuno remedio per nos, aut Sedem prædictam provideretur exoriri contingeret. Conſiderantes autem Nos, quam operæ pretium, piumque foret, ac neceſſarium, ut Unio prædicta multo labore quæſita, ac per Romanos Pontifices

ſoli-

ſolicitata conſervetur, & dictorum Græcorum moleſtiis, ac impedimentis hujusmodi obvietur, atque ipſorum quieti, & animarum conſolationi in præmiſsis opportune conſulatur, nec non ritus, & obſervantiæ in Eorum Eccleſiis, & alibi, juxta antiquam ipſorum conſuetudinem, præſerventur; Motu proprio non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera noſtra liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dictis Græcis, tam Prælatis, quam aliis perſonis Nationis Græcæ, ac eorum cuilibet, ut eorum ritibus, & obſervantiis, ſive conſuetudinibus, ut præmittitur, uti, ac illos, & illas obſervare, Miſſasque, & alia divina Officia ſecundum eorum antiquam conſuetudinem celebrare. Nec non „ Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis Græcis, & inter eosdem „ Græcos, ubi Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, & alii Prælati „ Latini Jurisdictionem habent, Pontificalia libere exercere „ Officia " ac a ſuis Ordinariis Officiis, Eccleſiis, ac Piis Locis, & Oratoriis ſuper hujusmodi Rituum obſervantia per Latinos Antiſtites, & Prælatos etiam locorum Ordinarios, & Dominos temporales, ac Magiſtratus Sæculares in Judicium, vel alias inviti minime trahi; Nec non quicunque Clerici Græci, ac aliæ Perſonæ Nationis Græcæ undecumque venientes in locis, ubi Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, & alii Prælati Latinorum, & Domini temporales ſunt, ab ipſis tam Græcis, quam Latinis Eleemoſynas petere, & accipere libere, & licite poſsint motu, & ſcientia ſimilibus tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Et inſuper &c. — Nos autem ad obviandum ſcandalis, & providendum, ne in

A. Epiſcopi Græci in Diœceſibus Latinorum nullimode moleſtandi.

futurum moleſtiæ hujusmodi Græcis ipſis inferantur, Sacerdotibus Latinis prædictis, ne de cetero Miſſas, & alia Divina Officia in dictis Eccleſiis eorumdem Græcorum celebrare; Magiſtratibus vero, ſi qui ſunt, ne dictis Sacerdotibus auxilium, & favorem præſtent: Nec non ut nullus Ritus, & ceremonias Græcorum in dicto Concilio Florentino, vel alias approbatos blasphemare, aut reprobare, ſeu improbare: „ Ac ubi duo, unus Latinus, alter vero Græcus ejusdem loci, prout in Cephalonia, & Zacyntho, & forſan alibi ſunt Epiſcopi, Epiſcopus Latinus de Perſonis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus Græcis, ac de Jurisdictione Epiſcopi Græci, vel aliis quibuscumque ad Epiſcopum Græcum quomodolibet ſpectantibus nullatenus ſe intromittere præſumat, ſed *Epiſcopus Latinus Latinorum, Epiſcopus vero Graecus Graecorum dumtaxat Curam, Regimen, ac Jurisdictionem reſpective habeant, & exerceant.* " Et inſuper quod Presbyteri, & Clerici Latini &c. Ac ita per Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, & alios Prælatos &c. præcipientes mandamus, quatenus præſentes Literas &c. Non obſtantibus præmiſsis &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Maji 1521. Pontificatus noſtri Anno nono.

B. Præſervatio Jurisdictionis Epiſcoporum Græcorum in Diœceſibus Latinorum Antiſtitum.

Num. 5. Decretum Congr. de Prop. Fide quo Orientalium Epiſcoporum jura integra ſervantur in ſuos Populos.

Decretum Sacræ Congregationis Particularis de Propaganda Fide habitæ 24. Septembr. 1758.

Cum alias ſub die 11. Maji 1754. ſan. mem Benedictus PP. XIV. declaraverit, Epiſcopum Latinum Babylonenſem facultatibus a Congregatione S. R. & univerſalis Inquiſitionis

nis ſibi conceſsis uti poſſe per totam Aſſyriam, & Meſopotamiam, in Baſſora, Muſſol, & Emid, Miſsionarios vero facultates ſibi conceſſas in iis locis tantum exercere poſſe, quæ ſubjecta ſunt Epiſcopis, aut Patriarchis Catholicis Ritus Orientalis, non autem in locis ſubjectis prædicto Epiſcopo Babylonenſi, nec quoad Latinos, & Catholicos Ritus Orientalis, qui non habent Epiſcopos, vel Patriarchas Catholicos eorum Ritus in eisdem locis perſonaliter reſidentes, hi ſiquidem omnino reputati fuerunt, tamquam ſubditi Epiſcopi Latini Babylonenſis; Sacra Congregatio rebus mature perpenſis, & verens, ne ex hujusmodi declaratione aliqua ſubinde lis, & perturbatio oriatur, decrevit, & decernit „ nullam præfato Epiſcopo Babylonenſi directe competere „ Jurisdictionem per totam Aſſyriam, & Meſopotamiam in „ Clero, & Populo, qui non ſit Ritus Latini, ſed hujus„ modi Orientales immediate ſubjectos eſſe Epiſcopis Ca„ tholicis proprii Ritus, qui vel perſonaliter reſident in ſuis „ Diœceſibus, vel ibidem Ordinariam Jurisdictionem per „ Sacerdotes ab ipſis Deputatos exercent;" Ac proinde Oleum pro infirmis Orientalibus diſtribuendum eſſe a propriis Epiſcopis. Et ita intelligendum eſſe prælaudatum Decretum Benedicti XIV. ejusdem vero Epiſcopi Latini Babylonen. Jurisdictioni ſubjectos eſſe Miſsionarios Latinos &c. Quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctiſsimo Domino Noſtro Clementi PP. XIII. relatam a R. P. D. Mario Mareſuſco Secretario in audientia habita die 30. menſis Martii 1760. Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, & præfatum Decretum ſan. mem. Benedicti XIV. ſic intelligi

vo-

voluit, & mandavit. Datum Romæ ex Ædibus Sac. Cong. die 5. Aprilis 1760. die 3. Februarii 1721.

Num. 6. Decretum Conſiſtoriale Erectionis Epiſcopatus Fogaratsienſis pro Græcis in Tranſylvania commorantibus.

Referente Reverendiſsimo Domino Michaele Friderico Cardinali Althann, Oppidum Fogaratsien. in Civitatem, nec non Parochialem Eccleſiam S. Nicolai in dicto Oppido ſitam in Cathedralem „ Græcorum, & Ruthenorum, Valachorum, Raſcianorum, aliorumque qui Græcum Ritum „ ſequuntur, & per Tranſylvaniæ Provinciam commorantur erexit, & inſtituit cum Inſigniis, & Privilegiis, quibus reliquæ Eccleſiæ Cathedrales Græci Ritus gaudere „ ſolent " & cum aſsignatione Dotis 3084. florenorum cum 15. cruciferis monetæ illarum partium, 1550. ſc. circiter monetæ Romanæ conſtituentium ex Pagi de Baſſemback, nec non Dominii Samosújvár annuis redditibus Fiſcalibus a Sereniſsimo Carolo Hiſpaniarum Catholico, & Romanorum Rege in Imperatorem electo conſtitutæ; cui propterea uti Tranſylvaniæ Principi jus præſentandi, & nominandi etiam ab hac primæva erectione Sanctitati Suæ, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti Perſonam idoneam ad Eccleſiam prædictam infra tempus a jure præfixum reſervavit; cum Decreto quod quamprimum erigi debeat Domus Epiſcopalis, pro qua 4000. ſum. Flor. jam aſsignata reperitur: quodque juxta Græci Ritus Ordinationes debeant in eadem Eccleſia conſtitui Monachi, & Sacerdotes, ſi modo non adſint, qui loco ſint Canonicorum, & Capituli, & cum declaratione, quod Promovendi ad d. Eccleſiam Fogaratsienſem eorum tantum, qui Græcis Ritibus addicti ſunt,

Epi-

Epiſcopi vocari, & eſſe debeant, & in illos tantum Juris-dictionem exercere valeant &c. Ac inſuper prædictæ Eccleſiæ ſic erectæ providit de perſona R. Joannis Pataky Presbyteri præfati Ritus Theologiæ Doctoris fidem &c. profeſsi, omniaque habent, ipſumque illi in Epiſcopum Græci Ritus præfecit, & Paſtorem, curam &c. committendo &c. Abſolvens &c. cum clauſulis &c.

Dilecto Filio Joſepho de Camillis Monacho O. S. B. M. Presbytero Ritus Græci Electo Sebaſten.

ALEXANDER PP. VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem! Num. 7. Eccleſia Sebaſten. in partibus Infidelium Joſepho de Camillis confert.

Apoſtolatus Officium meritis licet imparibus Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini divina diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes, ſoliciti corde reddimur, & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis, informare, commiſsasque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant auctore Domino ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Cum itaque Eccleſia Sebaſten. ſub Archi-Epiſcopatu Tarſen. quæ in partibus Infidelium conſiſtit, certo, quem etiamſi exinde quæcumque generalis reſervatio etiam in corpore juris clauſa reſultat, præſentibus haberi volumus pro expreſſo, modo Paſtoris ſolatio deſtituta remanſerit;

Nos ad felicem ejusdem Eccleſiæ proviſionem paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo dictæ perſonam utilem Eccleſiæ, atque fructuoſam cum nonnullis VV. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpoſitis habuimus diligentem, demum ad te Monachum Ord. S. Baſilii M. Presbyterum Catholicum Ritus Græci ex legitimo Matrimonio procreatum, & in ætate legitima conſtitutum, cui apud nos de vitæ munditia, honeſtate morum, Chriſtianæ Religionis, & Catholicæ Fidei Zelo, ac ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos mentis noſtræ. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibusvis excommunicationis &c. Si quibus quomodolibet innodatus exiſtis &c. abſolventes &c. Eidem Eccleſiæ Sebaſten. de perſona tua Nobis, & Fratribus noſtris prædictis ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorumdem Conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Sebaſten. tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter &c. Præterea tibi „ ut ad „ Eccleſiam Sebaſten. prædictam, quamdiu illa ab Infideli- „ bus detinebitur, accedere, & apud eam reſidere minime „ tenearis " dicta auctoritate de ſpecialis dono gratiæ, indulgemus. Cæterum ad ea, quæ in tuæ commoditatis augmen-

A. Diſpenſatio a reſidentia quousque Eccleſia ab Infidelibus detinebitur.

gmentum cedere poſſunt, favorabiliter intendentes, Tibi, ut in alma Urbe noſtra ab aliquo, quem malueris, Catholico antiſtite Græci Ritus gratiam, & communionem dictæ Sedis Apoſtolicæ habente &c. munes Conſecrationis Ritu Græco prædicto recipere libere poſsis &c. plenam & liberam harum ſerie authoritate præfata tribuimus facultatem &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Novemb. 1689. Pontificatus noſtri anno primo.

Excerpta ex Decretis Dietarum Regni Hungariæ. Num. 8. Leges Regni Hungariæ, quibus ſtatuitur a Rutheno Populo Decimas Sacerdotibus ſui Ritus, non autem Latinis eſſe perſolvendas.

Dictæ Anno 1574. Artic. 4.

Rutheni, & Valachi, qui in Villis in medio Colonorum domos, & alias hæreditates habent, ad integram dicam perſolvendam ſint adſtricti. §. Ab his vero Ruthenis, & Valachis, qui domo carentes in Alpibus, & Sylvis pecora alunt; media tantum dicæ pars exigatur juxta Articulos Anni 1559. ſuper inde editos.

A.

§. 2. Arendendis tamen Decimis videntur exempti eſſe debere; poſteaquam eas ipſi ſuæ Religionis Epiſcopis, & Sacerdotibus dare ſoleant.

CAPUT XX.

§ I.

Superatis itaque cunctis jam difficultatibus, & argumentis in contrarium adductis, per prænominatum Advo-

catum egregie refutatis, perſpectaque Auguſtæ Dominæ inalterabili voluntate Summus Pontifex omni ſtatim dubitatione abrupta decrevit Vicariatum illum Apoſtolicum in Epiſcopatum Munkacsienſem conſtituere, & id ipſum Regiæ Majeſtati illico Reſcripto ſuo renunciare dignatus eſt. Cujus tenor ſequitur in hunc modum

CLEMENS XIV.

Reſcriptum Pontificium ad Reginam Apoſtolicam intuitu Epiſcopatus Munkacsienſis jam reſoluti-

§. II. Chariſsima in Chriſto Filia Noſtra Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Vix intelleximus ex Venerabilis Fratris Antonii Eugenii Archi-Epiſcopi Epheſini Ordinarii Nuntii Noſtri Litteris, qua in ſententia de Munkacsienſi Negotio Majeſtas Tua eſſet, poſt acceptam Epiſtolam Noſtram die X. Octobris ad Te datam, quamque certa voluntate cuperes, ut Vicariatus ille in Epiſcopatum conſtitueretur, eam omnem ſtatim dubitationem abrumpendam decrevimus, Tibique per aliam Noſtram a Te die XVII. hujus menſis datam ſignificavimus, paratosque jam eſſe Nos obſequi deſiderio Tuo, ac proinde Clero, Populoque Munkacsienſi Nobiſcum per Unionem conjuncto Apoſtolica Authoritate ſuum Græci Ritus Epiſcopum largituros. Redditæ porro ſunt Nobis humaniſsimæ Litteræ Tuæ die VI. hujus Menſis datæ, ad quas nunc hiſce Noſtris reſcribimus, in iisdem etſi jam perſpectam, exploratamque, tamen a Te ipſa aperte declarari Nobis voluntatem Tuam ita cognovimus, ut delectati vehementer ſimus præſtitiſſe jam Nos Tibi, quod petis, ac illa quaſi reſponſione Noſtra poſtremam hanc Tuam Epiſtolam prævertentes palam Tibi

fe-

feciſſe quantum in ea tam gravi re Sapientiæ, Pietati, ac Religioni Tuæ deferremus. Quæ judicii de Te Noſtri ratio ita Nos in ſuſcepto Conſilio confirmat, ut, quem optamus rei exitum certiſsime Nobis polliceri non dubitemus. Neque ambigimus, quin DEUS Optimus Maximus, qui ſuæ gloriæ cauſa Majeſtatem Tuam id cupere, Nosque agere cognoſcit, præſenti ope, ac præſidio Decreta hæc Noſtra comprobaturus ſit. Ac in ſingularis Noſtræ erga Te Paternæ Charitatis, pignus Apoſtolicam Benedictionem Regiæ Majeſtati Tuæ amantiſsime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXIV. Novembris M. DCC. LXX. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

§. III. Canoniſationis hujus reipſa poſtmodum ſubſecutam effectuationem Bullæ præſentis tenor remonſtrat, qui ita ſonat:

Bulla Canoniſationis Epiſcopatus Munkacsienſis.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI.

Ad perpetuam Rei Memoriam.

Eximia Regalium Principum erga Catholicam Fidem ſinceritas, & devotio, qua ipſi in Chriſti Ovili Unionem, & firmitatem, etiam cum proprii peculii impendio enixe procurant, ita urget Cor noſtrum, ut ad ea, quæ ab iis pie, religioſeque petuntur, utpote ad Divini Cultus incrementum tendentia aurem noſtram ad exauditionis gratiam declinare non poſsimus, quin imo protinus Apoſtolica dignatione proſequimur, prout tantorum Principum id exigunt preces, & Apoſtolicæ Sedi ad illas gratas habendas

convenit inclinatio. Cum itaque alias ſicut nobis innotuerit in Diœceſi Agrienſi ob Ruthenorum Græci Ritus Uniti frequentiam, ibidem cum Latinis commorantium a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris Vicarius Apoſtolicus Ejusdem Ritus Apoſtolica Auctoritate fuiſſet deſignatus, qua in Oppido Munkács dictæ Diœceſis degens, ac Epiſcopali Titulo Eccleſiæ in partibus infidelium Conſiſtentis, inſignitus Sacros Ordines Græcis Unitis conferre, aliasque ſui Epiſcopalis Miniſterii partes juxta Græcorum Unitorum hujusmodi Conſuetudinem Privilegia, & indulta Eidem Vicario a Sede Apoſtolica conceſſa obire poſsit, cumque Deo dante illius gentis numerus Schisma deſerentis adeo ſuccreverit, ut ipſi a Catholico ſui Ritus Antiſtite regi, & gubernari, ac proprii Paſtoris ſolatio frui, & præſidio tueri adverſus Schismaticorum verſutias, qui e Sanctæ Matris Eccleſiæ ſinu eos divelere, & in ſuos errores traducere ſæpe-numero adnituntur, maxime deſiderent, & proinde Chariſsima in Chriſto Filia Noſtra MARIA THERESIA Hungariæ, & Bohemiæ Regina Apoſtolica, cujus temporali ditioni iidem ſubſunt, pro Religionis in dies augendæ ſtudio incenſa, & ſollicita, ut ipſi Orthodoxæ Fidei firmius inhæreant, ac Schismatici ad eam amplectendam facilius alliciantur, loco, & Vice-Vicariatus Apoſtolici hujusmodi in eodem Oppido Munkács Epiſcopatum Græci Ritus Uniti per Nos pari Apoſtolica Authoritate erigendum vehementer exoptet, quemadmodum ipſa MARIA THERESIA Regina Apoſtolica Regiis ſuis Litteris ad id Nobis datis luculentius expoſuerit, nos matura prius deliberatione ha-

bita

bita dictæ MARIÆ THERESIÆ Reginæ Apoſtolicæ precibus indulgere, ac Ruthenorum Græci Ritus Uniti Nationem quantum in Domino licet ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, tum eorum Spirituali bono, Animarumque Saluti proſpicere volentes motu proprio, & ex certa Scientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Officium Vicariatus Apoſtolici ejusdem Ritus alias in dicto Oppido Munkács dicta Apoſtolica Auctoritate, ut præfertur, deſignatum, eadem Apoſtolica Authoritate perpetuo ſupprimimus, & exſtinguimus, ac prædictum Oppidum Munkács juxta Canonicas Sanctiones Civitatis Epiſcopalis titulo, & honore dicta Apoſtolica Auctoritate etiam perpetuo decoramus, ac Eccleſiam inibi ſitam, & a Dilecto Filio Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuntio Viennæ deſignandam in Eccleſiam Cathedralem Munkacsienſem Ejusdem Græci Ritus Uniti nuncupandam pro uno Epiſcopo Munkacsienſi Ejusdem Græci Ritus Uniti etiam nuncupando, qui omnibus Epiſcopalibus Inſigniis, & Privilegiis iisdem modo, & forma, quibus cæteri Epiſcopi Græci Ritus Uniti perfruuntur, & gaudent, cum omnimoda Jurisdictione Epiſcopali in Græcos omnes Unitos in prædicta Civitate Munkacsienſi, aliisque locis, & terris dictæ Diœceſis Agrienſis exiſtentes etiam perfruuntur, & gaudent, Apoſtolica Authoritate prædicta firmiter perpetuo erigimus, & inſtituimus, & pro dictæ Eccleſiæ Epiſcopalis Munkacsienſis date, & ad Epiſcopalem Dignitatem decenter tuendam Summam quinque Millium florenorum monetæ illarum partium a dicta MARIA THERESIA Regina Apoſtolica conſtitutam annuatim

tim perpetuo absque ulla diminutione perſolvendam, ita tamen, ut ſemper, & quandocunque Ejusdem MARIÆ THERESIÆ Reginæ Apoſtolicæ in Hungariæ Regno Succeſſores pro tempore exiſtentibus Epiſcopis Munkacsienſibus Græci Ritus Uniti de hujusmodi Summa integre providere, vel eis Æquivalentes Fundos aſsignare teneantur, eadem Apoſtolica Authoritate perpetuo quoque conſtituimus, & aſsignamus, ac quod in prædicta Civitate Munkacsienſi per Nos Epiſcopali titulo ut præfertur, decorata adſit Domus pro decenti pro tempore exiſtentis Epiſcopi Munkacsienſis Græci Ritus Uniti hujusmodi habitatione, nec non quod in dicta Eccleſia Cathedrali Munkacsienſi per Nos, ut præfertur erecta, Presbyteri Sæculares, ſeu Monachi Ejusdem Græci Ritus Uniti dum modo ad præſens [illegible] adſint, qui inibi Capituli, & Canonicorum, aliorumque Eidem Eccleſiæ Cathedrali Munkacsienſi per Nos ut præfertur erectæ in Divinis inſervientium vicem impleant, Officioque fungantur, inſtituantur dicta Apoſtolica Authoritate, itidem perpetuo ſtatuimus, & decernimus, & nominationem a dicta MARIA THERESIA Regina Apoſtolica Nobis de perſona ad dictam Eccleſiam Cathedralem Munkacsienſem, per Nos ut præfertur erectam a primæva illius erectione, & inſtitutione hujusmodi ut præfertur, vacantem factam, & ad illam per Nos prope diem dicta Apoſtolica Authoritate promovendam prout etiam nominationem, quæ ab ejus in prædicto Hungariæ Regno Succeſſoribus prædictis Pontifici Romano pro tempore exiſtenti infra tempus a Jure præfixum, de perſona idonea

ad

ad dictam Eccleſiam Epiſcopalem Munkacsienſem per Nos, ut præfertur errectam, & pro tempore vacantem fieri debebit pari prorſus modo, quo ad nominationem hujusmodi Epiſcopi aliarum Cathedralium Eccleſiarum in prædicto Regno exiſtentium a Sede Apoſtolica prædicta præfici conſueverunt, Eadem Apoſtolica Authoritate, nunc ac etiam perpetuo admittimus, cum ea tamen lege, quod tam Epiſcopus in dicta Eccleſia Cathedrali Munkacsienſi per Nos, ut præfertur errecta, & á primæva illius errectione hujusmodi, ut perfertur, vacante primo inſtituendus, quam ejus in Eccleſia Cathedrali per Nos, ut præfertur, errecta hujusmodi Succeſſores omnes nullo unquam tempore Ordinariæ Jurisdictioni Venerabilis Fratris Noſtri moderni pro tempore exiſtentis Epiſcopi Agrienſis præjudicium aliquod inferre præſumant, ſed Jurisdictionem ſuam Ordinariam in Clerum dumtaxat, & Populum Ruthenorum, Græci Ritus Uniti, aliosque, qui eosdem Ritus, & Unionem ſequuntur, & degunt, tam in Civitate Munkacsienſi, prædicta per Nos Epiſcopali titulo, ut præfertur decorata, quam in aliis prædictæ Agrienſis Diœceſis partibus ſimpliciter exercere valeant, exacte ſervantes, & ad implentes decreta omnia Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium de Propaganda Fide hactenus edita, vel edenda quo ad Græcos, qui cum Latinis immixti vivunt, quique hinc novæ proviſioni non obſtent, & inſuper non ſolum in dicta Eccleſia Cathedrali Munkacsienſi per Nos, ut præfertur errecta, & a primæva illius errectione hujusmodi vacante primo, ut præfertur inſtituendum Epi-

 ſco-

ſcopum verum etiam omnes alios ad eandem Eccleſiam Munkacsienſem Græci Ritus Uniti hujusmodi per Nos, ut præfertur, errectam, dicta Apoſtolica Authoritate, ad nominationem hujusmodi promovendos tam in eorum inſtitutione, quam in ſingulis quibusvis annis vita Comite Fidei profesſionem, a felicis recordationis Urbano Papa VIII. etiam prædeceſſore Noſtro pro Græcis Unitis præſcriptam emittere coram perſonis ſui Cleri, aut Capituli in dignitate Eccleſiaſtica inſigniori conſtitutis, eamque ſcriptis traditam, propriaque manus Earundem Perſonarum ſubſcriptione, & ſigillo munitam ad pro tempore exiſtentem Viennæ Nuntium Apoſtolicum transmittere omnino teneri, quamque ſic emisſam ipſe Nuntius Apoſtolicus ad Congregationem Venerabilium etiam Fratrum Noſtrorum Ejusdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium rebus Conſiſtorialibus propoſitam perferri curabit, eadem Apoſtolica Authoritate pariter perpetuo ſtatuimus, ac decernimus, ac demum pro tempore exiſtentibus Archi-Epiſcopis Strigonienſibus, ut ipſi Jurisdictionem omnem, quæ Jure Metropolitico in Eccleſias Suffraganeas illius Provinciæ eis competit in dictam Eccleſiam Cathedralem quoque Munkacsienſem dicti Græci Ritus Uniti per Nos, ut præfertur errectam, plenariam exerceant cum facultate etiam toties, quoties eis placuerit ea inquirendi, cognoſcendique, quæ ad Fidei puritatem, animarumque Spirituale bonum noverint, pertinere, Apoſtolica Authoritate prædicta ſimiliter perpetuo committimus, & mandamus decernentes præſentes ſemper, & perpetuo validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuosque plenarios, & integros effe-

ctus

ctus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos nunc ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quomodolibet in futurum firmiter, & inviolabiliter obſervari debere, ac ullo unquam ex quocunque Capite, vel qualibet cauſa quantumvis juridica, & legitima, etiam ex eo, quod Cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarunt adductæ verificatæ, & juſtificatæ non fuerint de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Noſtræ, aut quolibet alio quantumvis magno ſubſtantiali, ſubſtantialiſsimo inexcogitato, & inexcogitabili, ac ſpecialem, & individuam mentionem, & expreſsionem requirente defectu, ſeu etiam ex eo, quod in præmiſsis, Eorumque aliquo ſolemnitatis, & quævis alia ſervanda, & adimplenda ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocunque alio capite, jure, vel facto, ſeu ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſsime totalisque læſionis, aut quocunque alio colore, prætextu, ratione, vel cauſa quantumvis etiam juſta, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſario exprimenda foret, aut quod de voluntate Noſtra, & aliis ſuperius expreſsis nullibi appareret, ſeu alias probari poſſet notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controverſiam revocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum aperitionis æris reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcunque juris vel facti, aut gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet etiam motu, ſcientia, & poteſtatis pleni-

 tudi-

tudine paribus conceſſo, & impetrato, vel emanato, quempiam uti ſeu ſe inviari in judicio, vel extra illud nunquam poſſe, neque easdem præſentes ſub quibusvis ſimilium, vel diſsimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis diſpoſitionibus per quascunque Literas, & Conſtitutiones Apoſtolicas, aut Cancellariæ Apoſtolicæ regulas quandocunque etiam in craſtinum aſſumptionis Noſtræ, & Succeſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum ad Summi Apoſtolatus Apicem etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus etiam Conſiſtorialiter ex quibuslibet Cauſis, etiam ſub quibusvis verborum expreſsionibus, tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clauſulis, & Decretis etiam ſi in eis de eisdem præſentibus, earumque toto tenore, ac data ſpecialis mentio fiat, editas, & impoſterum edendas comprehendi, ſed ſemper, & omnino ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſsimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas fore, & eſſe, ſicque, & non alias per quoscunque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Ejusdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuntios, aliosque quoscunque quamvis Authoritate, Poteſtate, Facultate, Prærogativa, Privilegio fungentes, ac honore, & Præeminentia fulgentes, Sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate in quocunque Judicio, & in quacunque Inſtantia judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane ſi

ſecus

ſecus ſuper his a quoquam, quavis Authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari non obſtantibus quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ prædictæ regula de Jure quæſito non tollendo, aliisque in contrarium præmiſſorum, quomodolibet etiam in Synodalibus Provincialibus, Generalibus, & Univerſalibus Conciliis editis, vel edendis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, Privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, quibusvis ſuperioribus, & perſonis ſub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficatioribus, efficatiſsimis, & in ſolitis Clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus pro tempore conceſsis, & concedendis, quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica expreſſa, & individua non autem per Clauſulis Generales idem in portantes mentio, ſeu quævis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia etiam exquiſita forma ad hoc ſervanda foret tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil pænitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, & inſerta forent, eisdem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſsis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris latiſsime, & pleniſsime ad præmiſſorum validiſsimorum effectuum ſpecialiter, & expreſſe, nec non oportune, & valide hac vice dumtaxat harum quoque ſerie, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus derogamus, cæterisque contrariis quibuscunqne nulli ergo omnino

hominum liceat hanc paginam Noſtræ ſuppreſsionis, extinctionis, erectionis, inſtitutionis, conſtitutionis, aſsignationis, ſtatuti, decreti, admiſsionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo primo, tertio decimo Kalendas Octobris Pontificatus Noſtri anno tertio.

Præſentem Copiam cum ſuo vero, & genuino Originali collatam, eidemque in omnibus punctis, & clauſulis conformem eſſe teſtor. Unghvarini 15. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

§ IV. Clauſulam his Bullis de emittenda ſingulis Annis Fidei Profeſsione, inſertam, per Pium VI. conſtat ſublatam eſſe, ac proinde Epiſcopos Munkacsienſes ab hac obligatione abſolutos haberi: de quo negotio generalis Procurator Ordinis Sancti Baſilii Magni Hierotheus Korcsinſzky ad Præſulem Munkacsienſem, ſub dato 9. Aprilis Anno 1777. Roma ſcribens ita refert; nona inquit Aprilis ad Inſtantiam Suæ Apoſtolicæ Majeſtatis Cæſareo-Regiæ in Congregatione Conſiſtorii eſt definitum, Suam Illuſtriſsimam Dominationem non eſſe amplius „ adigendam ad eliciendam quotannis Fidei Profeſsionem, & ſuper hæc ſcribitur Excellentiſsimo Domino Nuntio (Apoſtolico) imo „ Succeſſoribus ſuis non eſſe adponendum hanc Clauſu-

„ lam

„ lam in Bullis quoque eſt præcautum. „ In eadem Congre-
„ gatione quoque Criſienſis, & Magno-Varadienſis Erectio
„ eſt adprobata, & liberati ſunt quoque Hi Novi Epiſcopi ab
„ eadem Clauſula. Hæc Ille.“ Cauſa inuſitatam hanc, & extraordinariam Bullis Canonizationis inſerendi Clauſulam non alia fuiſſe dignoſcitur, quam infundatus, & per Epiſcopum Agrienſem Canonizationi adverſantem de eo ſuggeſtus timor, quaſi nempe Epiſcopo Munkacsienſi a prætenſa Ipſius Jurisdictione abſoluto exiſtente defectio ad Schisma pertimeſcenda foret, quæ cauſa, atque inſertæ Clauſulæ motivum adeo non ſubſiſtit, ut Ipſa Auguſta Maria Thereſia ex reſpectu conſtantis, inque Ducentis, & amplius animarum millibus florentis Sacræ Unionis, & crebræ Acatholicorum converſionis Regia ſane Munificentia, quoad vixit, conſtanter providere dignata fuerit, Ejusdemque Succeſſores Hungariæ Reges Apoſtolici Eundem Epiſcopatum in dies magis, & magis providere clementer pergant. Sed neque verendum eſt, ne futuris etiam temporibus aliquis Schismate infectus, aut de eodem ſuſpectus tam vaſtæ, tamque Catholicæ Diœceſi præponatur, ſiquidem ea, qua ad alias vacantes Diœceſes, formalitate, ad Munkacsienſem quoque Cæſareo-Regia, & Apoſtolica Majeſtas vi Supremi Juris Sui Patronatus Epiſcopum nominare, ac eligere Benigne aſſoleat, qui ita electus Epiſcopus nunquam iterum Beneficium Conſecrationis conſequi valebit, niſi in conformitate Bullarum Proviſionis, atque ad Præſcriptam Sacræ Sedis Apoſtolicæ, ſcilicet præmiſſa Catholicæ Fidei Profeſsione. Denique ab hoc onere ſeu

an-

annua Profeſsionis Fidei repetitione non modo Latini omnes, verum etiam Græci Ritus Epiſcopi liberi ſunt, ſignanter Leopolienſis, & Præmislienſis in Gallicia, Fogaraſienſis quoque in Tranſylvania, licet hic ultimus Diœceſim ſuam Disunitis adhuc habeat refertam, quibus Zizaniis omnino caret Diœceſis Munkacsienſis, demptis quibusdam quæſtoribus Græcis in nonnullis locis inter Nationem Ruthenam degentibus.

CAPUT XXI.

§. I.

Diœceſi Munkacsienſi vigore præmiſſarum Bullarum Canonizata ſeu reſtabilita, Joannes Bradács, qui jam Anno Milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo in Epiſcopum Munkacsienſem per Regio Apoſtolicam Majeſtatem nominatus exſtitit, & per Summum Pontificum in Vicarium Apoſtolicum confirmatus, ac etiam ad Titulum Rosſenſis Epiſcopi per Epiſcopum Magno-Varadienſem Meletium Kovács Anno Milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo octavo die 20. Aprilis Pócsini conſecratus: Demum erga Benignam Regiæ Majeſtatis Præſentationem per Clementem XIV. Anno 1771. confirmatus fuit. Præſentationis Regiæ Tenor ita ſonat:

Regina Apoſtolica Joannem Bradacs jam aliunde Conſecratum & Vicarium Apoſtolicum Pontifici præſentat pro Diœceſano confirmandum.

Beatiſsime &c.! Poſt Officioſam Noſtram commendationem Filialis obſervantiæ continuum Incrementum. Exoptatum Nobis accidit, quod Sanctitas Veſtra reiteratam æquis-

ſimam

ſimam petitionem Noſtram tandem paterne ſuſcipere, & Apoſtolicum hactenus Vicariatum Munkacsienſem, pro Græco Populo, qui Diœceſis Agrienſis limitibus clauſus Latinæ Eccleſiæ per Unionem Fidei conjunctus eſt, in verum Epiſcopatum evehere, & conſtituere voluerit; fecit profecto Sanctitas Veſtra, per id rem Orthodoxæ Religioni, & Sacræ Unioni Ruthenorum cum Latina Eccleſia admodum proficuam, Nobis autem perquam gratam, quam Nos de Sanctitate Veſtra Officiis Noſtris Filialique obſervantia omnino promereri ſtudebimus. — — — — — Cæterum cum de nominando novæ Sedis Munkacsienſis Ritus Græci Unitorum Epiſcopo jam proſpiciendum eſt, non poſſumus non æquam rationem habere virtutum & morum integritatis, tum etiam doctrinæ, aliarumque egregiarum mentis dotum, quibus præſtare novimus Fidelem Noſtrum Reverendum Joannem Bradacs, hactenus Apoſtolicum Vicarium Munkacsienſem, quem jam Anno 1767. Ejusdem in hoc munere Prædeceſſoris Michaelis Olſavſzky precibus permotæ in hujus, & Epiſcopatus Munkacsienſis, cum ſpe ſucceſsionis perpetuum Coadjutorem, dein vero ſubſecuta Michaelis Olſavſzky morte ejusdem Succeſſorem, ac in caſum Canoniſandi Epiſcopatus Munkacsienſis Ordinarium Epiſcopum Munkacsienſem denominavimus, & ipſum Epiſcopatum Munkacsienſem cum omnibus Bonis, & Juribus Poſſeſsionariis, Jurisdictionibus item, & Immunitatibus ad eundem Epiſcopatum de Jure, & ab antiquo pertinentibus, dicto Joanni Bradács cum effectu contulimus, Ipſumque primo quidem die 17. Menſis Julii Anni 1767. titulo per-

petui Coadjutoris, tum eodem Anno die 11. Menſis Decembris tanquam Ordinarium Epiſcopum Munkacsienſem pro conſequenda confirmatione Apoſtolica, vi ſupremi Juris noſtri Patronatus præſentavimus, quamvis ob tunc temporis nondum definitam erigendi Epiſcopatus Munkacsienſis cauſam, interea non niſi Breve Apoſtolicum pro illo ſuper Vicariatu Apoſtolico cum conſecrabilis Epiſcopatus Roſſenſis titulo emanaverit. Jam vero erecto, & Supremis Apoſtolicæ Sedis auſpiciis Canoizato Epiſcopatu Munkacsienſi, præmiſſæ deſignationi, & præſentationi Noſtræ inhæremus, ac Eundem Joannem Bradács nominatum, & electum Epiſcopum Munkacsienſem declaramus, ipſumque, utpote Perſonam idoneam, & de Eccleſia Dei bene meritam pro nova Sede Munkacsienſi Sanctitatis Veſtræ præſentamus, & commendamus Filiali cum obſervantia petentes, ut præſentationem hanc noſtram admittere, Illumque ad eundem Titulum non modo Apoſtolica Benedictione confirmare, ſed & reliqua, quæ ad rem perficiendam adhuc ſupereſſent celerius expediri facere, haud gravetur. Denique Deum Optimum Maximum oramus, ut Sanctitatem Veſtram Chriſtianæ Reipublicæ diu ſervet incolumem.

Bulla Confirmationis Joannis Bradács in Epiſcopum Diœceſanum Munkacsienſium.

Bullæ confirmatoriæ tenor ita ſonat:

Clemens Epiſcopus Servus, Servorum DEI, Venerabili Fratri Joanni Bradács, Epiſcopo nuper Roſſenſi in Epiſcopum Munkacsienſem Electo Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem Romani Pontificis. Quem Paſtor ille Cœleſtis, & Epiſcopus Animarum poteſtatis plenitudine ſibi tradita Eccleſiis

præ-

prætulit Univerſis, ſollicitudo requirit, ut circa cujuslibet Eccleſiæ ſtatum ſic vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod per Ejus providentiam circumſpectam nunc per ſimplicis proviſionis Officium, quandoque vero per Miniſterium translationis accomode prout perſonarum, locorum, & temporum qualitas exigit, & Eccleſiarum utilitas perſuadet, Eccleſiis ſingulis Paſtor accedat idoneus, & Rector providus deputetur, qui Populum ſibi commiſſum ſalubriter dirigat, & informet, ac bona Eccleſiæ ſibi creditæ non ſolum gubernet utiliter, ſed etiam multi-modis efferat incrementis, ſane Eccleſia Munkacsienſis Ritus Græci Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Uniti, nuper per Nos in Cathedralem errecta & inſtituta, ad quam tam pro hac prima vice, quam dum illam pro tempore vocare contigerit, nominatio perſonæ idoneæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti facienda ad Chariſsimam in Chriſto Filiam Noſtram MARIAM THERESIAM Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Reginam illuſtrem Apoſtolicam ex Privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, ſpectare dignoſcitur a primæva illius errectione, & inſtitutione hujusmodi Apoſtolica Authoritate factis Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos ad Proviſionem Ejusdem Eccleſiæ Munkacsienſis celerem, & felicem, ne illa longæ vocationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de præficiendo Eidem Eccleſiæ Munkacsienſi perſonam utilem, ac etiam fructuoſam cum Venerabilibus Fratribus Noſtris prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus habuimus diligen-

 tem,

tem, demum ad te nuper Epiſcopum Roſſenſem conſideratis grandium virtutum donis, quibus Perſonam tuam illarum largitor altiſsimus multipliciter inſignivit, & attendentes, quod tu licet Eccleſiam Roſſenſem, quæ in partibus infidelium conſiſtit, gubernare minime potuiſti, nihilominus munus conſecrationis ſuſcepiſti, & uti Vicarius Apoſtolicus in Oppido, nunc Civitate Munkacsienſi Apoſtolica Authoritate prædicta Deputatus Pontificalia exercuiſti, Sacros Ordines contuliſti, ſolenniter celebraſti, & Sacramentum Confirmationis adminiſtraſti, prædictam Eccleſiam Munkacsienſem ſcies, voles, & poteris Authore Domino ſalubriter regere, & feliciter gubernare, dirreximus occulos Noſtræ mentis intendentes igitur tam dictæ Eccleſiæ Munkacsienſi, quam illius gregi Dominico providere; te a vinculo, quo dictæ Eccleſiæ Roſſenſi, cui præes, teneris de Fratrum eorumdem Conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, te qui Fidem Catholicam juxta Articulos, jam pridem a Sede Apoſtolica propoſitos expreſſe profeſſus fuiſti, quemque prædicta MARIA THERESIA Regina Apoſtolica Nobis ad hoc per Suas Litteras nominavit ad prædictam Eccleſiam Munkacsienſem, de Conſilio, & poteſtatis plenitudine ſimilibus eadem Authoritate Apoſtolica transferimus, Teque eidem Eccleſiæ Munkacsienſi in Epiſcopum præficimus, & Paſtoralem Curam, Regimen, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Munkacsienſis tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad prædictam Eccleſiam Munkacsienſem transeundi licentiam tribuendo firma ſpe, fidutiaque conceptis, quod

quod Dextera Domini tibi aſsiſtente propitia dicta Eccleſia Munkacsienſis per tuæ circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eisdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa, volumus autem, quod tu antequam Regimini, & Adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Munkacsienſis te in aliquo inmiſceas in manibus Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Fogaraſienſis Fidelitatis debitæ ſolitum Juramentum præſtes juxta, formam quam, ſub Bulla Noſtra mittimus introcluſam, & ſic a te præſtiti Juramenti formam ad Sedem Apoſtolicam quanto citius transmittere omnino tenearis, cui per alias Noſtras literas mandamus, quatenus ipſe a te Romanæ Eccleſiæ nomine Juramentum hujusmodi recipiat. Quo circa fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad dictam Eccleſiam Munkacsienſem cum gratia Noſtræ Benedictionis accedens Curam, & Adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas fideliter, & prudenter, ut exinde ſperati Fructus proveniant, ac tuæ bonæ famæ odor ex tuis laudabilibus actibus latius difundatur, ac Eccleſia ipſa Munkacsienſis Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, Noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, & pari Authoritate decernimus, quod tu nullum Ordinis, & Jurisdictionis Actum exercere valeas, donec, & quousque Litteræ Apoſtolicæ ſuper errectione, & aſsignatione hujusmodi jam expeditæ ſuum ſortitæ fuerint plenarium effectum. Datum Romæ apud S. Mariam Ma-

jorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo primo, nono Kalendas Octobris, Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Breve Pontificium ad V. Capitulum Munkacsienſium ſonans.

Breve Pontificium ad Venerabile Capitulum Munkacsienſe ſonans intuitu Epiſcopi Joannis Bradacs pro ſuo vero, ac legitimo Paſtore humilliter per ipſum ſuſcipiendo, & recognoſcendo.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI, Dilectis Filiis Capitulo Eccleſiæ Munkacsienſis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hodie Venerabilem Fratrem Noſtrum Joannem Bradacs, Epiſcopum nuper Roſſenſem in Epiſcopum Munkacsienſem electum a vinculo, quo Eccleſiæ Roſſenſi, quæ in partibus Infidelium conſiſtit, & cui tunc præerat, tenebatur, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolvens ipſum ad Eccleſiám Veſtram Munkacsienſem Ritus Græci prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Uniti a primæva illius erectione, & inſtitutione Apoſtolica Authoritate factis Paſtoris ſolatio deſtitutam de Conſilio, & Poteſtatis plenitudine ſimilibus dicta Apoſtolica Authoritate transtulimus, ipſumque eidem Eccleſiæ Munkacsienſi in Epiſcopum præfecimus, & Paſtorem, Curam, Regimen, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Munkacsienſis ei in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in Noſtris inde confectis litteris plenius continetur, quo circa diſcre-

tion

tioni Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Joanni Epiſcopo tanquam Patri, & Paſtori Animarum Veſtrarum humilliter intendentes, & exhibentes ſibi obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiatis humilliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin Sententiam quam ipſe Joannes Epiſcopus rite tulerit in Rebelles ratam habebimus, & faciemus Authore Domino usque ad Satisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1771. nono Kalendas Octobris Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Epiſcopus hic Illuſtriſsimus Dominus Joannes Bradacs in promovenda Sacra Unione, Juribusque Diœceſeos ſuæ tuendis, ac propugnandis, inque omnigena Cleri, Populique ſibi ſubordinati felicitate procuranda erat ſolertiſsimus Zelo pene Eliæ fervens ſubito e medio vivorum raptus melote, ac duplici ſpiritu Succeſſori ſuo velut alteri Eliſeo relictis. Hic Anno 1767. nominatus, ac in Vicarium Apoſtolicum confirmatus: demum Anno 1768. die prima Maji, ſeu veteri ſtilo 20. Aprilis Pótsini conſecratus. Denique Anno 1771. nono Kalendas Octobris, ſeu die 23. Septembris, in Diœceſanum confirmatus eſt. Tandem Anno 1772. die 4. Julii, ſeu ſtilo veteri 23. Junii ex hac vita migrare juſſus eſt. De quo plura vide partem tertiam cap. XII. pagina 113. & ſequentibus.

CAPUT XXII.

§ I.

Epiſcopo huic Joanni Bradács ſucceſsit Andreas Bacsinſzky Excellentiſsimus Dominus in ſerie XXI. modernus Munkacsienſis Epiſcopus.

Ejus Originem, natale ſolum, ſtudia, animi dotes, & qualitates, nec non præcipua ejus geſta parte Operis mei Tertia a pagina 118, usque ad paginam 139. deſcripta, ac expoſita habentur. Paginas has revolve benevole Lector! Hunc in Epiſcopum Diœceſanum nominare dignata eſt Auguſta Domina MARIA THERESIA die 5. menſis Auguſti Anno 1772, ut perhibet Decretum ſequens.

Electio & Nominatio Epiſcopi Andreæ Bacsinſzky.

§. II. NOS MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Regina Apoſtolica; Archi-Dux Auſtriæ; Dux Burgundiæ; Magna Princeps Tranſylvaniæ; Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ; Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis; Vidua Dux Lotharingiæ, & Barri, Magna Dux Hetruriæ, Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, Univerſis: Quod Nos pro ea, qua in conſtituendis Eccleſiarum DEI Paſtoribus tenemur, cura, & ſollicitudine benignam habentes Reflexionem ad præclaras virtutes, laudatosque, & acceptabiles mores, ſingularem item Doctrinam, ac eruditionem, nec non omnibus gratam vitæ Converſationem, cæte-

cæteraſque præſtantes animi dotes, & Qualitates Fidelis Noſtri Honorabilis Andreæ Bacsinſzky Græci Ritus Unitorum Cathedralis Eccleſiæ Munkacsienſis Archi-Diaconi, & Sede vacante Vicarii Generalis Capitularis, quibus Ipſum ab Altiſsimo inſignitum, & ornatum eſſe ex fide digna nonnullorum Fidelium Noſtrorum Relatione benigne cognovimus; Eundem itaque Andream Bacsinſzky, tanquam Perſonam idoneam, & de Eccleſia DEI bene meritum, Nobisque hoc nomine gratam, & acceptam ad Epiſcopatum Græci Ritus Unitorum Munkacsienſem ſub Jurisdictione Sacræ Memorati Regni Noſtri Hungariæ Coronæ exiſtentem, nunc per mortem, & ex hac vita deceſſum Reverendi Joannis Bradacs, Ejusdemque Epiſcopatus ultimi veri, & legitimi Poſſeſſoris de Jure, & de facto vacantem Authoritate Juris Patronatus Noſtri Regii, quod generaliter in conferendis omnibus prælibati Regni Noſtri Hungariæ, & Partium Ei annexarum Eccleſiis, Earumque Beneficiis, inſtar Divorum condam Hungariæ Regum glorioſæ memoriæ Prædeceſſorum Noſtrorum optimo Jure habere, & exercere dignoſcimur, eligendum, & nominandum, Eundemque Epiſcopatum Græci Ritus Unitorum Munkacsienſem ſimul cum Univerſis Caſtellis, Oppidis, Villis, Poſſeſsionibus, Prædiis, ac aliis cunctis Bonis, Juribusque Poſſeſsionariis, Proventibus, Fructubus, Reditibus, Obventionibus, ac Emolumentis ad prænotatum Epiſcopatum Munkacsienſem de Jure, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, quovis nominis vocabulo vocitatis, ubicunque ſub Sacra repetiti Noſtri Hungariæ Regni Corona exiſten-

tibus, & habitis, dandum duximus, & conferendum, imo eligimns, & nominamus, damusque, & conferimus Præſentium per vigorem. Quod circa vobis Univerſis tam antelatæ Eccleſiæ Græci Ritus Unitorum Munkacsienſis, quam & aliarum Eccleſiarum Diœceſi illi ſubjectarum Beneficiatis, & Clericis harum ſerie firmiter præcipientes committimus, & mandamus, ut a modo inpoſterum prænominatum Andream Bacsinſzky pro Veſtro vero, legitimo, ac indubitato Epiſcopo, & Prælato habere, tenere, ac recognoſcere Eidemque debitum Honorem, Reverentiam, & Obedientiam, prout bonos, ac pios Eccleſiæ Miniſtros decet præſtare & exhibere in omnibus denique licitis, & conſuetis Rebus Jurisdictioni Illius parere, & obtemperare modis omnibus debeatis, & teneamini ſecus non facturi. Præſentibus perlectis Exhibenti reſtitutis. Datum in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ die 5. Menſis Auguſti Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo; Regnorum Noſtrorum Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum Anno trigeſimo ſecundo. MARIA THERESIA m. p. (L. S.) Comes Georgius Fekete m. p. Joſephus Jablanczy m. p.

Præſentem Copiam cum ſuo vero, & genuino Originali collatam, eidemque in omnibus punctis, & clauſulis conformem eſte teſtor. Unghvarini 15. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

CAPUT XXIII.

Nominationi huic Regiæ paulo poſt Pontificiam confirmationem fuiſſe ſubſecutam, ad nexus Bullarum tenor indicat. Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI Dilecto Filio Andreæ Bacsinſzky Electo Munkacsienſi Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium meritis licet imparibus Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium Regimini Divina diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes ſolliciti corde reddimur, & ſolertes, ut, cum de ipſarum Eccleſiarum regiminibus agitur, committendis, tales ei in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ creditum ſciant, non ſolum Doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſasque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant Auctore Domino ſalubriter regere, & gubernare. Cum Eccleſia Munkacsienſis Ritus Græci Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Uniti, ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio Perſonæ idoneæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti facienda ad Chariſsimam in Chriſto Filiam MARIAM THERESIAM Imperatricem Viduam, ac Bohemiæ, & Hungariæ Reginam Apoſtolicam ex Fundatione, vel Dotatione, aut Privilegio Apoſtolico, cui non eſt hucusque in aliquo derogatum, fore dignoſcitur, ſpectat, & pertinet, & cui bonæ memoriæ Joannes Bradacs ultimus illius Epiſcopus, dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Joannis Epiſcopi, Paſtoris ſolatio

Confirmatio Andreæ Bacsinſzky, in Epiſcopum Munkacsienſem Anno 1773.

deſtituta, Nos vacatione hujus fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem Ejusdem Eccleſiæ Munkacsienſis celerem & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, Paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo Eidem Eccleſiæ Munkacsienſi Perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, cum Venerabilibus Fratribus Noſtris ejusdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad Te de legitimo Thoro ex Catholicis, honeſtisque Parentibus in Diœceſi Munkacsienſi progenitum Quadrageſimum tuæ ætatis Annum agentem jam dudum Presbyterum ejusdem Ritus Græci, qui Theologiæ, & Juris Canonici ſtudiis ſedulam Operam navaſti, per aliquot Annos curam animarum laudabiliter exercuiſti tanquam Parochus, & Archi-Diaconus nonnullorum locorum, & usque ad præſens Ejusdem Eccleſiæ Munkacsienſis Archi-Diaconi, & Vicarii Capitularis munia exerces, quique Fidem Catholicam juxta Articulos jam pridem a Sede Apoſtolica propoſitos expreſſe profeſſus es, quemque MARIA THERESIA Regina Apoſtolica Nobis ad hoc per Suas Literas nominavit, cuique apud Nos de vitæ Munditia, honeſtate, morum Spiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliisque multiplicum virtutum Donis apud Nos Fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos mentis Noſtræ intendentes igitur tam dictæ Eccleſiæ Munkacsienſi, quam ejus gregi Dominico ſalubriter providere Eccleſiæ Munkacsienſi de Perſona tua nobis, & eisdem Fratribus Noſtris ob tuorum

meri-

meritorum exigentiam, accepta Fratrum eorumdem Conſilio Apoſtolica Authoritate providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, Curam, Regimen, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Munkacsienſis, Tibi in Spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod Dextera Domini Tibi aſsiſtente propitia præfata Eccleſia Munkacsienſis ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eisdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens Curam, & Adminiſtrationem præattactas ſic exercere ſtudeas ſolicite fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa Munkacsienſis Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque præter æternæ retributionis præmium Noſtram, & Sedis præattactæ Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis, cæterum ſperantes, quod licet Tu Doctoratus gradu inſignitus non ſis, quia tamen prudentia, & ſufficienti Doctrina præditus, atque ad alios docendum, & ad dictam Eccleſiam Munkacsienſem eſſe poteris plurimum utilis, ac etiam fructuoſus, Tecum, ut eidem Eccleſiæ Munkacsienſi in Epiſcopum præfici, illique præeſſe libere, & licite valeas defectu Gradus præattacti, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictæque Eccleſiæ Munkacsienſi etiam Juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæterisque contrariis, nequaquam obſtantibus Apoſtolica Authoritate prædicta earumdem tenore præſentium, de

 ſpe-

ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio, octavo Idus Martii, Pontificatus Noſtri Anno quarto.

CAPUT XXIV.

§. I.

Prævio hoc modo Electus, Nominatus in Epiſcopum Munkacsienſem, atque confirmatus Dominus Andreas Bacsinſzky, tandem Viennæ in Capella Regia ſolenniter Græco Ritu Sua Majeſtate præſente cum Familia Regia, inauguratus eſt, Anno 1773. menſe Majo; Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino Baſilio Bozſichkovich conſecratoris munere fungente, ac Illuſtriſsimo, & Reverendiſsimo Domino Meletio Kovacs, Epiſcopo Magno-Varadienſi aſsiſtente, exiſtentibus ibidem a parte Venerabilis tam Sæcularis, quam Religioſi Cleri, Reverendiſsimis Dominis Andrea Zsetkey, Gregorio Borovſzky Conſiſtorialibus, ac RR. PP. Sylveſtro Koveitsak, Ordinis Sancti Baſilii Magni Proto-Hegumeno, & Martirio Kaſper, Monaſterii Pótsenſis Hegumeno. Domino Theodoro Desko, Cathedrali Cantore, aliisque ad Actum conſecrationis quoquo modo concurrentibus, & cooperantibus.

§. II. Solemnitatis hujus decorem auxit quam maxime ſplendidus, ac pretioſus Pontificalis amictus Regiis ſumpti-

bus

bus præparatus: evenit certo ſimile quid Epiſcopo huic, quod conſtat eveniſſe olim Mardochæo: „ Indutus veſtibus „ Regiis, accipiens Regium Diadema ſuper Caput ſuum, „ impoſitus equo, incedens per plateam Civitatis præcur- „ ſore clamante: „ Hoc honore dignus eſt, quemcunque „ Rex voluerit honorare. “ Et quia Auguſta Domina MARIA THERESIA probæ ſciens Epiſcopum hunc Characteri ſuo competentibus ſubſiſtentiæ mediis ſatis haud eſſe proviſum, duodecim Millia Rhenenſium florenorum Eidem Titulo hoc Clementiſsime reſolvere, ſuisque in locis exaſsignanda, atque citra omnem protelationem annue exolvenda interimaliter ordinare dignata eſt, eousque ſcilicet, donec aliter Dotationis Fundus in Realitatibus exciſus fuerit. Hujus Benignæ Reſolutionis Teſtimonium perhibent duo ſequentia documenta: Et primum quidem ita ſonat, verſum ex Germanico:

Eſther cap. VI. v. 11.

Epiſcopo Titulo Menſæ duodecim Millia reſola ſunt.

Romanorum Imperatricis Hungariæ, & Bohemiæ Regiæ Majeſtatis, Archi-Ducis Auſtriæ &c. Noſtræ Clementiſsimæ Dominæ nomine Reverendiſsimo Epiſcopo Munkacsienſi Domino Andreæ Bacsinſzky hisce Benigne intimandum: Suam Majeſtatem ad ſuum humillimum factum projectum Clementiſsime annuere dignari, ut illi præter ex Caſſa Parochorum annue levandos 3300. florenos ex Reditibus Magno-Varadienſis Epiſcopatus cum annuis 8700. flor. Clementiſsime reſolutis, Summa hæc a prima Aprilis anni c. in ratis Angaricalibus a Regia Hungarico-Aulica Camera exolvatur. Quæ Altisſima Reſolutio Domino Epiſcopo pro notitia, & ſui directione nota redditur. In reliquo Altiſsi-

Intimatum Intuitu 12. Mille Rh. flor. Titulo Menſæ Epiſcopo reſolvuntur 1776.

me

me fata Sua Majeſtas cum Cæſareo-Regia, & Archi-Ducali Gratia Domino Epiſcopo Benevola manet. Signatum Viennæ Altiſsimæ Suæ Majeſtatis ſecreto Sigillo 24. Auguſti 1776. Carolus Comes Palfy m. p. E. T. Fridericus de Ruſtenfeld m. p. Reverendiſsimo Epiſcopo Munkacsienſi Domino Andreæ Bacsinſzky conſignandum (L. S.)

Præſentem Copiam ex Germanico genuine verſam eſſe teſtor. Unghvarini 17. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky m. p. Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

Alterum idem meritum tangens documentum iſthoc eſt :

Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Epiſcope, Domine Nobis obſervandiſsime! Sua Majeſtas Sacratiſsima pro interimali Epiſcopatus Græci Ritus Catholicorum Munkacsienſis Dotatione eousque donec aliter Dotationis Fundus in realitatibus excifus fuerit, ſequentem Benigniſsimam Reſolutionem Cæſareo-Regiam ſub 24. proxime præteriti menſis Auguſti elargiri, & Regiæ huic Cameræ Hungarico-Aulicæ pro effectuandorum effectuatione Clementer intimare dignata eſt; ſignanter 1-mo Ut præter Exjeſuitarum Templum Unghvarienſe, velut pro prælibati Epiſcopatus Munkacsienſis Eccleſia Cathedrali deſtinatum, ac etiam præter æquivalens pro ejusdem Eccleſiæ Sartorum Tectorum conſervatione in locum Poſſeſsionis Palagy ex Proventibus ejatis Cameralis Dominii ſuppeditandum, inſuper pro Inſtructione, & comparatione aliorum hujusce Eccleſiæ requiſitorum ſemel pro ſemper per averſionem 4000. flor. Ipſi

vero

vero Prætitulatæ Dominationi Veſtræ pro Menſa Epiſcopali ultra illos Annuos 3300. Rh. floren. quos hactenus ex Caſſa Parochorum percipere ſolet, adhuc 8700. Rh. flor. a prima Aprilis Anno cur. ex Proventibus Epiſcopatus Magno-Varadienſis dependantur, ut videlicet ratione hac Annuis duodecim Millibus florenis proviſa ſit eadem Prætitulata Dominatio Veſtra. 2do Cum pro remotius ſituatis Diſtrictibus Valachicis unus Vicarius cum Annuis 800. florenis ex Proventibus vacantis Epiſcopatus Magno-Varadienſis dependendis Benigne reſolutus, hujus autem denominatio Prætitulatæ Dominationi Veſtræ admiſſa foret, ideo præemenſum ſalarium ejusmodi Vicario a die aditi Officii præſtetur. 3tio Ut congrua ſeptem Canonicorum Capituli Munkacsienſis, & quidem Archi-Presbyteri, ſeu Decani ad Mille floren. Præpoſiti ad 900. florenos, Archi-Diaconi ad octingentos florenos, Eccleſiarchæ, ſeu Cuſtodis æque ad octingentos flor. Scholaſtici ad ſeptingentos florenos, Primicerii, ſeu Cantoris ſimiliter ad ſeptingentos florenos, & Charto philacis, ſeu Cancellarii ad ſexcentos florenos, clementer determinata a 12. Julii a. c. dependatur, ita tamen, ut ſingulo præfatorum Canonicorum 300. illi floreni, quos hactenus ex Caſſa Parochorum percipiunt, imputentur, adeoque non niſi id, quod in complementum prævio modo exciſæ congruæ deeſt, in ratis Angaricalibus terminis, e Proventibus Epiſcopatus Magno-Varadienſis ſuperaddatur. 4to Ut Prætitulatæ Dominationi Veſtræ pro intertentione Notarii, & Fiſcalis, ac titulo Cancellariæ expenſarum aplacidati Annui 500. flor. nec non ultra illos 2000. flor. qui fundato

Seminario Clericorum ex Abbatia Tapolczenſi dependendi erant; adjecti adhuc 1000. flor. adeoque in toto 3000. flor. æque ex Proventibus Epiſcopatus Magno-Varadienſis erga Prætitulatæ Dominationis Veſtræ Quietantias a 12. Julii a. c. ſolvantur. Tandem, 5to Siquidem Salaria quatuor Profeſſorum Valachicorum, & quidem primarii ad Annuos 500. fl. aliorum vero trium ad Annuos 400. flor. Benigne emenſa forent, ideo cuilibet eorum ultra id, quod hactenus ex Caſſa Parochorum ſolutum eſt, ſignanter primario adpercipi ſolitos Annuos 300. flor. adhuc 200. flor. ſecundo, & tertio æque ultra illos 300. flor. adhuc 100. flor. & quarto ultra præhabitos 150. flor. adhuc ducenti quinquaginta flor. ex repetitis Proventibus Magno-Varadienſi a 12. Julii a. c. erga ipſorum Quietantias præſtentur. Quantum itaque prædeductæ Benignæ Reſolutionis Regiæ Punctum 1. attinet: Ut primum Annuus Proventus Poſſeſsionis Palagy pro conſervatione Sartorum Tectorum Cathedralis Eccleſiæ deſtinatus iſthic ex Conſcriptione erui potuerit, is Prætitulatæ Dominationi Veſtræ penes Unghvarienſem Caſſam Dominalem aſsignabitur. Pro Inſtructione autem ejusdem Eccleſiæ ſemel pro ſemper Benigne reſolutos 4000. florenos penes antelatam Caſſam Dominalem erga tamen Quietantiam ad hujatem Generalem Caſſam Cameralem, & Proventus Epiſcopatus Magno-Varadienſis ſtiliſandam Prætitulatæ Dominationi Veſtræ ſub hodierno aſsignamus, illos autem 8700. florenos, qui in complementum duodecim Millia flor. titulo Menſæ Prætitulatæ Dominationi Veſtræ a 1ma Aprilis a. c. dependendi eſſent, facta jam ab eadem 1. Apri-

lis

lis usque ultimam Junii obveniente ſolutione, num non niſi a 1. Julii in ratis Angaricalibus erga ſimiles ad hujatem Generalem Caſſam Cameralem, & Fundum Epiſcopatus Magno-Varadienſis ſtiliſandas Quietantias præſtandos apud repetitam Dominalem Caſſam Unghvarienſem ordinamus. Ad 2dum ſiquidem Dies conſtitutionis unius Vicarii Cameræ huic Aulicæ non conſtaret, huic, ut pro ejusmodi Vicario Clementer Reſoluti 800. floreni ſuo modo, & loco aſsignari poſsint, velit Prætitulata Dominatio Veſtra Nobis tam diem aditi Officii Vicarialis, quam & locum, ubi prænotatum Salarium commodius levari quiret, inſinuare. Ad 3. & 5tum Diſponimus ſub hodierno penes Dominalem Caſſam Unghvarienſem, ut omnia hoc puncto ſpecificata Salaria, in quantum Proventus Epiſcopatus Magno-Varadienſis feriunt, concernentibus Canonicis a 12. proxime præteriti Menſis Julii erga eorundem percipientium Quietantias ad hujatem Generalem Caſſam Cameralem, & reditus antelati Epiſcopatus Magno-Varadienſis ſtiliſandas, Angarialiter exolvat. Ad 4tum autem committimus eidem Caſſæ Dominalis Perceptoratus Officio, ut inibi ſpecificatos 500, & reſpective 3000. flor. Ipſi Prætitulatæ Dominationi Veſtræ a 12. Julii a. c. erga ſuas, æque ad hujatem Generalem Caſſam Cameralem, & Proventus vacantis Epiſcopatus Magno-Varadienſis ſtiliſandas Quietantas, Angaricaliter rite dependat. Cujusmodi Benignam Reſolutionem Regiam, prout & ea, quæ illius ad effectum prævio modo diſponimus Prætitulatæ Dominationi Veſtræ pro ſui, eorumque, quos concernunt, notitia, & directione, ac levandorum levatione hiſce officioſe ſignifi-

 camus.

camus. Datum ex Conſilio Regio Cameræ Hungarico-Aulicæ Poſonii Die 13. Septembris 1776. celebrato Prætitulatæ Dominationis Veſtræ. Ad Officia paratiſsimi Paulus Feſtetics m. p. Ignatius Fröhlics m. p.

Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino Andreæ Bacsinſzky, Græci Ritus Catholicorum Epiſpiſcopo Munkacsienſi, Nobis obſervandiſsimo (L. S.)

Præſentem Copiam cum ſuo vero, & genuino Originali collatam, eidemque conformem eſſe teſtor. Unghvarini 19. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky, Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

CAPUT XXV.

Præexpoſita interimalis hæc, in Annuis duodecim Mille Rh. florenis pro Menſa Epiſcopali clementer exaſsignatis defixa Dotatio deſiit illico, Collatione perennali Tapolczenſis Abbatiæ ſubſecuta, in Fundum ſubſiſtentiæ Epiſcopalis per prælaudatum Præſulem impetrata. De qua Clementiſsima Reſolutione de dato 27. Septembris 1776. Poſonii emanatum exiſtit Intimatum ſequens:

In vicem 12. Mille fl. pro Menſa Epiſcopali benigne collata Abbatia Tapolczenſis, 27 ma Septembr. 1776.

Illuſtriſsime! &c.

Siquidem Sacratiſsima Cæſareo-Regia Apoſtolica Majeſtas erga humillimum Recurſum Prætitulatæ Dominationis Veſtræ, quo ſibi Abbatiam Tapolczenſem in vicem duodecim Mille flor. pro Menſa Epiſcopali Clementer reſolu-

torum

torum benigne conferri ſupplicuit, id vigore benigni Reſcripti ſui, ſub 14. labentis Menſis, & Anni emanati, horſumque interventi Clementer reſolvere dignata ſit; ut cum præfata Abbatia modernis Arendatoribus in decem Mille florenis alioquin ea cum conditione elocata ſit, ut quandocunque Suæ Majeſtati Sacratiſsimæ Clementer viſum fuerit Beneficium hoc cuipiam conferre, Iidem Poſſeſſorio ſuo decedere, & illam una cum Fundo inſtructo ſibi Cameraliter tradito reſignare teneantur, adeoque nulla occurreret difficultas, quin petito prælibatæ Dominationis Veſtræ hac in parte deferatur; pro ea, qua in Sacræ Unionis propagationem, Regia, ac Materna plane fertur pietate, utque Succeſſores etiam Prætitulatæ Dominationis Veſtræ pari Officio functuri, Fundo ſtabili, certisque Proventibus dotentur, ac provideantur, Eandem Abbatiam Tapolczenſem, a 1-ma Januarii proxime venturi Anni Sæpetitulatæ Dominationi Veſtræ reſignari Benigne velit, ea tamen habita reflexione, ut onera per modernos Arendatores, ultra præſtationem decem Mille flor. aſſumpta, æque in ſe aſſumere, & ad intertentionem unius Parochi, nec non Ludimagiſtri, & Sacriſtani concurrere, præterea vero omnia ea onera, quæ vi Fundationalium Litterarum dictæ Abbatiæ inhærent, præſtare teneatur; Et quia in natura haud alium Fundum inſtructum receptura eſſet, Eadem Prætitulata Dominatio Veſtra, quam qui ipſis etiam modernis Arendatoribus obtigit, idcirco pro ſtabili, ac perpetua Fundi inſtructi determinatione Eidem Dominationi Veſtræ, qua Impetranti e Proventibus Vacantium Beneficiorum Eccle-

ſialticorum duo Millia flor. in parato tali ſub conditione exolvantur, ut ex hujusmodi ſubſidio Oeconomiam ſuam inſtruere, ac dein ſuper ipſius Fundi inſtructi qualitate, & quantitate ſe ſpecifice ligitimare, ſicque comparatum Succeſſoribus ſuis relinquere teneatur. Reſignatione demum Ejusdem Tapolczenſis Abbatiæ ſubſecuta, reliqua onera hucdum Beneficia huic adjecta, & abinde per Cameram hanc Regiam Hungarico-Aulicam exoluta, ad Fundum Vacantis Magno-Varadienſis Epiſcopatus (e quo prælibatæ Dominationi Veſtræ titulo Menſæ Epiſcopatis ultra perceptos e Caſſa Parochorum 3300. flor. in complementum duodecim Mille florenorum Summæ 8700. flor. Annue Clementer reſolutæ ſunt) hac erogatione a 1-ma Januarii cum actu reſignationis Bonorum Abbatialium ceſſante, transferantur, atque adeo ab eadem prima Januarii Anni affuturi 1340. flor. Præpoſito Ordinis Sanctiſsimæ Crucis, prout, & 3840. flor. Superiori Arcenſium Monialium Budenſium, nec non duo Millia flor. Seminario Clericorum Unghvarienſi quotannis e Proventibus ſæpe memoratæ Abbatiæ dependi ſoliti e Proventibus vacantis Epiſcopatus Magno-Varadienſis in Ratis Angaricalibus exolvantur. Quæ præſpecificatæ Summæ ſiquidem tantummodo 7180. flor. exportarent, adeoque ex Summa ſæpe titulatæ Dominationi Veſtræ e Proventibus nunc dicti Epiſcopatus Magno-Varadienſis Annue dependi, ſolita, adhucdum ſupernatantia 1520. flor. enaſceretur. Eapropter in Reſtantia adhuc Parochialia, & Eccleſiarum in Mindſzent, & Görömböl ædificia (in quantum hæc cum ſumptibus eum in finem prævie e Proventibus Abbatiali-

bus

bus deſtinatis conſummari nequiviſſent) ut tandem ad ſtatum perfectum deducantur, velut etiam in expletionem Onerum, exceptis illis, quae ex Mente Fundatoris Originem trahunt, & per Impetrantem prælibatam Dominationem Veſtram præſtari debebunt, Altefata Majeſtas Sua Sacratiſsima Clementer deſtinaverit, qui ſumptus eousque continuandi ſunt, donec hujusmodi Oneribus alter commodus quispiam Fundus aſsignari valebit. Quemadmodum igitur in ſequelam Benignæ hujus Reſolutionis Regiæ apud modernos antelatæ Abbatiæ Tapolczenſis Arendatores ſub hodierno abhinc oportuno diſponuntur; Ita idipſum Prætitulatæ Dominationi Veſtræ penes Intimationem prævie Benigne Reſolutionis Regiæ pro notitia, & directione hisce ſignificandum eſſe duxit Regia hæc Camera Hnngarico-Aulica. Datum ex Conſilio Regiæ Cameræ Hungarico-Aulicæ Poſonii 27. Septembris 1776. celebrato. Prætitulatæ Dominationis Veſtræ ad Officia paratiſsimi Paulus Feſztetits m. p. Adamus Philipovits m. p. (L. S.)

Præſentem Copiam cum ſuo vero Originali collatam eidem conformem eſſe teſtor. Unghvarini 21. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

Sequitur Suæ Majeſtatis Regiæ ſuper Abbatia Tapolczenſi Collationale Inſtrumentum.

CA-

CAPUT XXVI.

Diploma ſeu Collationale Inſtrumentum Abbatiæ Tapolczenſis.

Vide Part. V. pag. 63.

NOS MARIA THERESIA Divina favente Clementia Romanorum Imperatrix Vidua; Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Boſniæ, Serviæ, Cumaniæ, & Bulgariæ Regina Apoſtolica; Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carnioniæ; Magna Princeps Tranſylvaniæ; Marchio Moraviæ; Dux Brabantiæ, Lymburgi, Lucemburgi; Geldriæ, Würtembergæ, Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Mediolani, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, Guaſtalæ, Ausviczii, & Zatori; Princeps Sueviæ; Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Slavoniæ, Kiburgi, Goritiæ, & Gradiſcæ; Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Superioris, & Inferioris Luſatiæ; Comes Namurci, Domina Marchiæ Sclavoniæ, & Mechliniæ; Vidua Dux Lotharingiæ, & Barri; Magna Dux Hetruriæ. Memoriæ commendamus tenore Præſentium ſignificantes, quibus expedit, Univerſis. Quod Nos penitius conſiderantes, quanto Animorum fervore Divi quondam Hungariæ Reges, Noſtri videlicet glorioſæ Memoriæ Prædeceſſores in promovendum Cultum Divinum, & Incrementa, Sacræ Matris Eccleſiæ inclinati ſemper fuerint, qui nempe jam inde a primis Annis, quibus antelatum Regnum Noſtrum Hungariæ DEO ter Optimo Maximo miſericordiſsime ordinante, Orthodoxam Fidem amplexum eſt, ſingulari in DEum pietate accenſi, Apoſtolico ſane Zelo innumeris fere, iisque piis, & ſalutaribus Eccleſiaſticis Fun-

da-

dationibus ad majorem Dei gloriam, & propagandam Orthodoxam Fidem inſtaurandis, dotandis, & ampliandis ampliſsima Bona, Opes, & Facultates munificentiſsime addixerunt; Hinc Nos quoque ejusdem Apoſtolici Regni Noſtri Hungariæ gubernacula Deo propitio tenentes, nihil unquam antiquius duximus, quam ut, quorum Coronis ſucceſsimus in Terris, in ardenti etiam Eorumdem erga Cœlites pietate, & flagranti erga Sacram Matrem Eccleſiam Zelo ſuccederemus, & quæquæ illi Sancte pro incrementis, & ornamentis Eccleſiæ inſtituerunt, Nos quoque Eorum veſtigiis inſiſtentes, illa non modo ſarta, tectaque tueremur, verum etiam pro posſibilitate Circumſtantiarum in quantum opus videremus, in melius quoque mutaremus, novisque augeremus favoribus; Ac proinde tum Eorundem Prædeceſſorum piis exemplis accenſæ, tum vero pro eo, quo erga promovendam & quibusquibus licet adminiculis conſtabiliendam Sacram Unionem nunquam non ducimur animo, & materno affectu condecenti Græci Ritus Catholicorum Epiſcopi Munkacsienſis Fidelis quippe Noſtri Nobis dilecti Reverendi Andreæ Bacsinſzky, Ejusdemque in Epiſcopatu hoc Succeſſorum ſubſiſtentiæ benigne providere cupientes, Eidem Græco-Catholico Epiſcopatui Munkacsienſi in vicem Duodecim Millium florenorum pro Menſa Epiſcopali antea per Nos benigne reſolutorum Abbatiam Sancti Petri de Tapolcza, in Comitatu Borsodienſi, & Diœceſi Agrienſi ſitam, actuque per obitum, & ex hac vita deceſſum Fidelis condam Noſtri Nobis ſincere Dilecti Reverendiſsimi, Spectabilisque, ac Magnifici Comitis Michaelis ab Athenis Archi-Epiſcopi

Goritienſis de Jure, & defacto vacantem, dehinc in Qualitate Dotis pro Epiſcopatu hoc Munkacsienſi Clementer aſsignatæ conſiderandam, ſimul cum cunctis Caſtris, Caſtellis, Oppidis, Villis, Poſſeſsionibus, Prædiis, & Eorundem appertinentiis, Terris ſcilicet arabilibus cultis, & incultis, Agris, Pratis, Paſcuis, Campis fænetis & fænilibus, Hortis pomariis, Sylvis, Nemoribus, Dumetis, Virgultis, Extirpaturis, Montibus, Collibus, Vallibus, Vineis, & eorum Promontoriis, Aquis, Fluviis, Piſcinis, Piſcaturis, Piſciumve Clauſuris, & aquarum decurſibus, Molendinis, & eorundem Locis, nec non Educillis, ac Macellis, generaliter vero quarumlibet utilitatum, obventionum, Redituum, & Pertinentiarum ſuarum integritatibus, quovis Nominis Vocabulo vocitatis, ſub ſuis veris metis, & antiquis Limitibus exiſten. & ad præattactam Abbatiam Sancti Petri de Tapolcza de Jure, & ab antiquo ſpectan., & pertinere debentibus, ubicunque ſub Sacra Regni Noſtri Hungariæ Corona exiſten.; & habitis, cæterisque Privilegiis, Juribus, & Jurisdictionibus de Lege Regni, & paſsim recepta conſuetudine Clero, qua Domino Terreſtri legitime competentibus Donationis, ac Piæ Fundationis titulo pleno Jure Dominii, Regio, & Perennali (ſalvo tamen Jure alieno, ſi quod præmentio, natæ Abbatiæ, & Bonis ad illam pertinentibus ineſſe legitime comprobatum fuerit) benigne conferendam duximus; Imo conferimus, donamus, & fundamus in perpetuum, & irrevocabiliter tenendam, poſsidendam habendam pariter, & uſuandam ita videlicet, ut eadem Abbatia cum Prima venturi Menſis Januarii, & Anni Mil-

leſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi Eidem Epiſcopo realiter, & cum omni plenitudine Dominii reſignetur; Reſignationeque hac facta conſuetum hactenus Cathedraticum ex tunc ſtatim ceſſare debeat; Præfatus porro Epiſcopus Munkacsienſis, & ſui in Eodem Epiſcopatu Succeſſores, omnia ea onera, quæ vi primevarum Fundationalium Literarum Bonis præmemoratæ Abbatiæ Sancti Petri de Tapolcza inhærent, in ſe pro perpetuo aſſumere, & præſtare teneantur. Et cum Nos in conteſtationem majoris Noſtræ erga Sacram Unionem Munificentiæ, & liberalitatis crebro factum Epiſcopum Munkacsienſem, ejusdemque in Epiſcopatu Succeſſores ab onere pendendæ Viginti per Centum annuæ Quottæ harum vigore benigne abſolventes, inſuper in ære parato Bis Mille Florenos Eidem Epiſcopo Munkacsienſi ab Altiſsimo Ærario Noſtro Cæſareo-Regio pro fundo inſtructo enumerari fecerimus; hinc tenebitur, prænuncupatus Epiſcopus Summam hanc Bonis Abbatialibus inveſtire, comparandumve exinde Fundum inſtructum Succesſoribus quoque ſuis citra refuſionis Onus relinquere. De reliquo Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Hungariæ Regibus omnia in erigendo proxime Capitulo Munkacsienſi Beneficia Eccleſiaſtica, & Canonicatus Jus conferendi, admiſſa dumtaxat ipſi Epiſcopo in Caſu ſingulæ Vacantiæ pro tali ſupplenda duorum idoneorum Subjectorum Electione, & Nobis demiſſa Repreſentatione citra tamen Poteſtatis Noſtræ in hoc, vel illo Subjecto denominando reſtrictionem, benigne reſervamus. Dum igitur ſalutarem hanc Fundationem animo deliberato, & de plenitudine Poteſtatis Noſtræ

Gg 2 Re-

Regiæ, qua ſumma in præfato Regno Noſtro Hungariæ Eccleſiarum DEI Patrona pro ſolita Noſtra in Deum pietate, & ad majorem Cultus Divini promotionem, Incrementumque, & propagationem Sacræ Unionis, Conſtanter directa Cura, Sollicitudine, & Vigilantia benigne inſtituimus, una nihil prorſus ambigimus, quin Noſtri quoque in regimine Succeſſores pientiſsimam hancce Fundationem per Nos in perpetuum factam non modo tueri, & perpetuis ſemper temporibus protegere; Verum etiam pro ratione Circumſtantiarum novis etiam gratiis, & favoribus augere adniſuri ſunt; Quapropter benigne præcipimus, & mandamus, quorum intereſt, vel in futurum intererit, Univerſis, quatenus præſentem ſalutarem Fundationem, & Ordinationem Noſtram in quibusvis evenire queuntibus Caſibus ad amuſsim obſervare noverint, neque eidem ſub incurſu indignationis Noſtræ Regiæ quaqua ratione contra venire præſumant. In quorum majus robur, perpetuamque firmitatem Haſce ſecreto majori Sigillo Noſtro, quo ut Regina Hungariæ utimur, impendenti communitas extradandas duximus, & concedendas Literas Fundationales, & reſpective Donationales. Datum per manus Fidelis Noſtri Nobis ſincere Dilecti Spectabilis, ac Magnifici Comitis Franciſci Eſzterházy de Galantha, perpetui in Frakno, Aurei Velleris, ac una Inſignis Ordinis Sancti Stephani Regis Apoſtolici magnæ Crucis Equitis, Camerarii, & Actualis Intimi Conſiliarii Noſtri, Comitatus Moſonienſis Supremi Comitis, Curiæ Noſtræ Regiæ per Noſtrum Hungariæ Regnum Magiſtri, & per antelatum Noſtrum Hungariæ Regnum, Au-

læ Noſtræ, prout, & dicti Ordinis Sancti Stephani Cancellarii, in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ. Die vigeſima ſeptima menſis Septembris, Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Regnorum Noſtrorum Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum Anno trigeſimo ſexto, Reverendiſsimis, Illuſtriſsimis, Reverendis item, ac Venerabilibus in Chriſto Patribus Dominis: Joſepho e Comitibus de Battyan, S. R. I. Principe Metropolitanæ Strigonienſis: Libero Barone Adamo Patachich de Zajezda, Electo Colocenſis, & Batsienſis Eccleſiarum Canonice Unitarum Archi-Epiſcopis; Comite Franciſco Antonio Engl de Wagrein, Csanadienſis. Comite Franciſco Zichy de Vaſonkö, Jaurinenſis; Georgio Klimo, Quinque Eccleſienſis; Comite Carolo Eſzterházy de Galantha, Agrienſis; Chryſtophoro e Comitibus Migazzy de Vaal, & Sonnenthurn, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinale, Principe S. R. I. Adminiſtratore Vacienſis; Joanne Guſztinyi, Nitrienſis; Joſepho Gallyuff, Zagrabienſis; Joanne Baptiſta Cabalini, Segnienſis, & Modruſienſis, ſeu Corbavienſis; Mathæo Franciſco Kerticza, Bosnenſis, ſeu Diakovarienſis, & Syrmienſis; Comite Ladislao Kolonich de Kollegrad, Tranſylvanienſis; Carolo Szalbek, Scepuſienſis; Comite Franciſco Berchtold, Neoſolienſis; Comite Antonio de Réva, Rosnavienſis; Antonio Zlatarics, Belgradienſis, & Samandrienſis; Joanne Szily, Timinienſis; Stephano Nicolao Jaklin, Electo Almiſienſis; Comite Sigismundo Keglevits de Buzin, Electo Makarienſis; Joſepho Bajzath, Electo Anſarienſis; Joanne Alappy, Electo Dulcznenſis; Eccleſiarum

Epiſcopis Eccleſias DEI feliciter gubernantibus. Sereniſsimo item Principe Domino Alberto, Regio Poloniarum, & Lithvaniæ Principe, Duce Saxoniæ, prælibati Regni Noſtri Hungariæ Locumtenente Noſtro Regio; nec non Spectabilibus, ac Magnificis: Comite Georgio Fekete de Galantha, Judice Curiæ Noſtræ Regiæ; Comite Franciſco de Nadasd, perpetuo Terræ Fogaras; Regnorum Noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano; Comite Adamo de Batthyan, Tavernicorum; Illuſtriſsimo S. R. I. Principe Nicolao Eſzterházy de Galantha, perpetuo Comite in Frakno, Nobilis Prætoriæ Hungaricæ Turmæ Noſtræ Capitaneo; Antelato Comite Franciſco Eſzterházy de repetita Galantha, Curiæ; Comite Joanne Nepomuceno Csáky de Kereſztſzegh, Agazonum; Comite Franciſco Döry de Jobbaháza, Pincernarum; Comite Joanne Nepomuceno Erdödy de Monyorokerék, Cubiculariorum; Comite Antonio Karolyi de Nagy-Károly, Dapiferorum Noſtrorum Regalium per Hungariam Magiſtris; ac Comite Joanne Pálffy ab Erdöd; Comite Poſonienſe; cæterisque quamplurimis ſæpefati Regni Noſtri Hungariæ Comitatus tenentibus, & Honores. MARIA THERESIA m. p. Comes Franciſcus Eſzterházy m. p. Joſephus Jablanczy m. p. Penes Præſentes Benigniſsimas Suæ Sacratiſsimæ Cæſareo-Regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis, Dominæ Dominæ Clementiſsimæ Collationales, ac reſpective Fundationales Illuſtriſsimus, ac Reverendiſsimus Dominus Andreas Bacsinſzky, Græci Ritus Catholicorum Epiſcopus Munkacsienſis ad Abbatiam Sancti Petri de Tapolcza per obitum, & ex hac vita deceſſum Excellentiſsimi

Illu-

Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi Domini Comitis Michaelis ab Athems, Archi-Epiſcopi Goritienſis de Jure, & defacto vacantem, ejusdemque Bona, ac Jura temporalia, ad eandem, de Jure, & ab antiquo ſpectantia, & pertinere debentia per Illuſtriſsimum Dominum L. B. Joſephum a Pföffershoven, Excelſæ Cameræ Regiæ Hungarico-Aulicæ Conſiliarium vigore B. idcirco ad Regiam hanc Cameram Hungarico-Aulicam ſub 27. menſis Septembris a, c. emanati Introductorii, ac Inſtallatorii Mandati Regii Cameraliter deputatum, in præſentia ad Actum ſpecialiter convocatarum tam Eccleſiaſticarum, quam Sæcularium Perſonarum, ita quidem ut Abbatia eadem antelato Græco Catholico Epiſcopatui Munkacsienſi in vicem 12. Millia flor. pro Menſa Epiſcopali antea benigne reſolutorum titulo perpetuæ Dotis deſerviat, reditus tamen Univerſos ex repetita Abbatia Tapolczenſi provenientes præfatus Dominus Epiſcopus nonniſi a 1-ma Venturi menſis Januarii, & Anni 777. percipiat, a pendenda nihilominus 20 p. Centum annua Quotta Idem Græco Catholicus Epiſcopatus Munkacsienſis in uberius Altiſsimæ erga Sacram Unionem Propenſionis Monumentum diſpenſetur, ac eximatur, ſub Conditionibus in reliquo in iisdem benignis Fundationalibus Litteris uberius expreſsis ſolenniter inſtalatus, & introductus eſt Poſonii die 23. Octobris 1776. Ex Conſilio Cameræ Regiæ Hungarico-Aulicæ Loco, Die, Menſe, & Anno, ut ſupra Antonius Brunſzvik m. p.

C A-

CAPUT XXVII.

§. I.

Ex his, quæ a me per decurſum hujus quartæ Partis inducta, relataque habentur, multa Corollaria in rem meam deduci poſſent quidem, præſertim antiquitatem Græci Ritus in Hungaria concernentia, quia tamen non pauca jam, in Allegatis Stephani de Angelis Advocati Romani, a me in hoc Opus meum per extenſum inferius inductis, continentur ſub numeris 3. 4. 5. 6. 7. 8. &c. Ideo ſaltem aliqua ex his prænotanda eſſe duxi. Et quidem

§. II. Primum: Quemadmodum Eccleſia Romana ad Hungarorum poſtliminio inſtauratum Orientalis Europæ Imperium nullam in eo diſtinctionem faciebat, Syrusne, an Græcus, aut Latinus eligi debeat Chriſti poſt Sanctum Petrum Vicarius, ita Sanctus Stephanus Hungarorum Rex, licet Uxorem Henrici cognomento Claudi Bavariæ Ducis Sororem Latinam Giſelam duxerit, Ritum tamen Græco Catholicum retinuerat, aliique Arpadani Sanguinis Reges, & Apoſtolicæ Legationis Jure in deligendis Eccleſiarum Prælatis, ac Monaſteriorum Præpoſitis ita uſi ſunt, quin usque ad Bellæ III. tempora nimium ſoliciti fuerint, Græcine, an Latini Ritus eſſent Epiſcopi, & Monaſteriorum, ac Paræciarum Præſides, dummodo in Unitate Fidei Catholicæ convenirent, Fideleſque ſibi ſubjectos juxta Ritus qualitatem procurarent. Vide Acta Synod. Szables. Conſtit.

Colom.

Colom. Regis, & Synod. National. ſub Laurentio Archi-Epiſcopo Strigon. ap. Péterf. P. I. p. 52. apud Clar. Bardoſi in ſuo Analectorum terræ Scep. Supplemento pag. 404. Nota, Bellam III. ſecunda Uxore Margarita Ludovici VII. cognomento Pii Galliæ Regis filia deſponſata Ritum mutasſe anno 1184.

§. III. Secundum: Primis duobus hodiernæ Hungariæ ſæculis Abbatias, ac Regales Præpoſituras potiſsimum Græci Ritus Catholicas fuiſſe, Diplomata, & rerum adjucta teſtantur. Ut enim ſileam de Fundatione de Valle Veſprimienſi pro Græcis Monialibus anno 1011. a Sancto Stephano facta (de qua Cf. Kat. Tom. I. pag. 168.) Sanctus Ladislaus Vetero-Budenſem Græci Ritus Præpoſituram a S. Stephano ædificari cœptam conſummavit. (Turócz P. II. C. 31.) Andreas I. Tychonienſe, ac Viſegradienſe Monaſteria conſtruxit, quorum illud Benedictinorum ex Latino-Græcis Monachis mixtum fuit, poſterius vero Monachos pure Græcos, ac diſerte Baſilianos (aliis enim adhuc in Hungaria eo tum non dum exiſtentibus Religioſis Ordinibus) Anno adhuc 1221. aluiſſe, probatur ex Literis Honorii PP. III. (ab Kat. Tom. V. pag. 348.) quibus Joanni, Archi-Epiſcopo Strigonienſi admittitur, ut Græcis Viſegradienſibus Monachis Latini ſi abſque gravi ſcandalo fieri potuerit, ſufficiantur. Novelli enim aliquot Ordines, ac diſerte Ciſtercienſes, Sacri Sepulchri Hieroſolymitani, Præmonſtratenſes, Dominicani, Franciſcani &c. ſe in Hungariam, Parteſque ſubinſinuabant, ſubſequis temporibus.

§. IV. Anno adhuc 1204. unum duntaxat pure Latinum in Hungaria Cœnobium, alia vero partim adhuc mixta, partim Græco-Catholica fuiſſe; docent ſequentes Literæ (ap. Kat. Tom. IV. pag. 735.) Innocentius III. — Chariſſimo in Chriſto Filio H. (Henrico vel Emerico) Illuſtri Regi Hungariæ Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Venientes ad Apoſtolicam Sedem dilecti Filii H. G. A. & B. Monachi Sancti Egidii de Ungaria Nobis lachrimabiliter intimarunt, quod eorum Abbate defuncto alium ſibi ſecundum antiquum, & approbatum morem ſui Monaſterii elegerunt, quod hactenus tam Abbates quam Monachi conſueverant habere Latini; ſed tu, filii chariſsime, — Regium ſibi noluiſti præbere conſenſum affirmans, quod in alium quam Hungarum (Græco, ut infra patebit, Ritui addictum) minime conſentires, Venerabilis autem Frater Noſter B. (Bernardus) Spalatenſis Archi-Epiſcopus, hoc attendens ad præſentiam Tuæ Serenitatis acceſsit, & Monaſterium ipſum velociter impetravit (erat enim Græco Ritui proinde addictus); — qui non multo poſt Monachos Ungaros pro ſua inſtituit voluntate, appellationi non deferens quam memorati Monaſterii Monachi ſuper tanto gravamine ad Sedem Apoſtolica emiſerunt. Quia vero nec novum eſt, nec abſurdum, ut in Regno tuo diverſarum Nationum (Hungarorum quippe, Germanorum, Ruthenorum, Valachorum &c.) Conventus (juxta Ritum Græco-Catholicum) uni Domino ſub regulari habitu famulentur, licet unum ſit ibi Latinorum Cœnobium; quum tamen ibidem ſint multa Græcorum; Serenitatem Regiam rogamus attente &

mone-

monemus, quatenus — non impedias, nec impediri permittas, quo minus præfati Monachi, ſecundum conſuetudinem hactenus obſervatam, aſſumant ſibi perſonam idoneam per electionem Canonicam in Abbatem. Datum Romæ XVIII. Kal. Octobr. Pontificatus Noſtri A. VII. (1204.)

§. V. Bela IV. Rex Hungariæ Latino Ritui dilatando erat adeo intentus, ut ſi Poſonienſes pacis Tabulæ inter hunc Belam, & Stephanum V. ejus Filium anno 1262. confectæ, aliaque hujusmodi Acta in lucem producerentur (Cf. Kat. Tom. VI. pag. 360—384.) liquido pateret Ritum præcipuam diſenſionum inter Patrem Occidentis, & Filium Orientis Hungariæ Reges vigentium cauſam fuiſſe, dum ſcilicet Bela omnem Hungariam Ritui Latino, & recentioribus Eccleſiæ Romanæ Inſtitutionibus conformari, Stephanus vero Græcum, quoque Unitum, ac Veteres Orientalis Eccleſiæ conſuetudines retineri oportere cenſuiſſent. Hinc, cum Stephanus Belæ mandatis ad ſuas quoque ditiones quoad mutationem Ritus extenſis reſpectu recipiendarum publicatarum Conſtitutionum, obſequi nollet, civile bellum exarſit Belli hujus fortunam Pultranus, Conſul Viennenſis (apud Kat. l. c. p. 470.) in hæc verba refert. Anno 1267. Bela Rex Hungariæ contra Filium ſuum Regem Stephanum, miſit exercitum, qui ſubito a Filio ſuo Rege Stephano vincitur, & magna Occiſa multitudine hominum, ex eodem exercitu potentes quosdam Comites captivat. Vide Cl. J. Bardoſsi pag. 307—309—310. in ſuo Anal. terræ Scepuſienſis Supplemento.

Inter Belam IV. & Stephanum V. propter Ritum Bellum civile exarſit.

Corolarium VI. Primis duobus Hungariæ Sæculis Ritum Græco-Catholicum excluſis Hoſpitibus Latinis Occidentalibus ferme generatim in Hungaria, & Partibus Eidem adnexis viguiſſe, Cl. Bardoſy Origines Eccleſiæ Hungaricæ perſtringens, pag. ſua 348. & ſubſequis in Opere Supplementum Analect. Terræ Scep. luculenter probat. Poſtmodum Latinum Ritum ſecuti ſive Hoſpites fuerint, ſive Indigenæ Latinis Appellabantur Hungari, Homologi autem Gentiles eorum cum Eccleſia quidem Romana Uniti ſed Græcum populari ſermone Ri- tum profeſsi paſsim Cumani, non Uniti autem Pagani, Tartari, Neucleri, ſeu novi Ungeri & Schismatici vocabantur. Idem eadem pagina.

Corolarium VII. Turóczianus Anonymus, quiscunque ille fuerit, Authographum Hungaricum ideo confunderat (Prælaudato Authore pag. 388. referente) ne veſtigium poſteris relinquat, aliquos Archi- & Epiſcopos, ipſosque adeo primæ Periodi Stirpis Arpadanæ Reges plerosque Græci Ritus Catholicos fuiſſe, quin propterea Hungari eſſe ceſſaverint. Plura vide in prælaudato Authoris Opere pagina 403. & 404.

CAPUT XXVIII.

§ I.

Operæ pretium, Diſſertationem Reverendi, ac Eximii Patris Innocentii Simonchicz de Floreno longo hic inſſerendam eſſe duxi;

DIS-

DISSERTATIO EPISTOLICA

De Florenó longo Ducis Koriatovics ad R. Patrem Joannicium Baſilovits, Ordinis S. Baſilii Magni in V. Monaſterio Munkacsienſi Proto-Hegumenum.

§. II. Opus tuum Eximium de Fundatore Monaſterii Munkacs, in quo nunc cum Fratribus DEO, & proximo Servis, tandem 16. Septembris 1800. Ovans accepi, & avidiſsime iterum, iterumque legi, ultro Cenſoris Cl. Milleri veteris amici mei Sententiæ ſubſcribens. Sacrum enim vetuſtate Ducis Koriatovits Diploma egregie vindicaſti, & inter ſinceras Merces repoſuiſti. Cum proinde ſuæ Authentiæ reddidiſti venerandum hoc ſcriptum, neceſſe eſt, ut illud rite intelligamus, atque ita uſui adplicemus, nam niſi utile ſit, quod facimus, vana eſt gloria. — Itaque ſic velim, de me exiſtimes Vir venerande; quod adverſari tibi ſtatuerim, ut proſim. Utinam, quod conor obtineas, & cum Fratribus dividas. Certum eſt, quod Dux Koriatovich Monaſterio S. Nicolai quotannis pendi voluerit Centum ſales, & Centum florenos longos. Sed illud minus certum eſt, quod tu pagina 11. hos florenos cum hodiernis Rhenenſibus æquales fuiſſe aſſeras. Sine amabo Vir Venerande! hanc tuam Sententiam a me examinari, & quamquam paupertatem voveris, ſine juſtitiam in dando, & accipiendo magiſtram operari. — Nolo te victum, ſed feliciorem ſalutare, ſi potius mea, quam tua ſententia probata fuerit. Alioquin S. Ambroſius dixit: Non vincimur, ſed inſtruimur, cum offerun-

tur nobis meliora. Non videris V. V. legiſſe Diſſertationem meam de Numismatica Hungariæ Diplomaticæ accomodata. Viennæ apud A. Blumauer editam 1794. ſic enim puto, quod adnotaſſes meam Opinionem ex pagina 163. ſuper hoc Argumento his innifam verbis: — „ hos Florenos longos. Cenſet eſſe vonas forintones, æquales cruciferis 51. Cl. Pray. Ego vero cum venia tanti viri inquam eſſe Auri florenos majores, de quibus jam ſermonem habui, nihil enim facilius commutatur quam „ longus „ cum „ magnus. „ Hac Diſſertatione ego demonſtravi, quod ab Anno 1252, quo Aurei cudi cœperunt, & floreni dicti ſunt, nominati ſint floreni usque Sæculum XVI. atque adeo per florenum ſemper venire intelligendum aut ipſum Aureum Numum, aut ejusdem pretium tota hac temporis inter capedine: Sententiam autem hanc legibus patriis, & Diplomatibus roborari. Quod majorem ſive longum florenum attinet, ſic de illo cenſendum eſt: V. V.! Circa finem Sæculi XIV. exorti ſunt floreni majores, & minores in Hungariæ quibusdam partibus. Et quia ex hac privata diviſione multæ fraudes exortæ ſunt; intererat Regum eas lege tollere, conſequenter florenos ad certum valorem reducere, hoc modo: ut floreni minores aboleantur, & ſolus florenus Aureus (major) in uſu retineatur valeatque centum denarios ejus temporis. — Apparet hoc meum aſſertum ex Decreto III. 1405. Sigismundi Imperatoris, quod Cl. Georgius Kovacsics in Veſtigiis Comitiorum prodidit. Cujus Articulum 7. fideliter adnoto. „ Computationem, ſeu numerationem florenorum in Regno Noſtro currentium hoc modo duxi-

mus

mus limitandam, quod omnibus numeris dictorum floreno-rum minoribus in nonnullis Regni Noſtri partibus adinventis prorſus abolitis, in quarumlibet rerum, & bonorum emptionibus, & venditionibus alter numerus ipſorum florenorum non dicatur, niſi florenus Aureus, veri, boni, & juſti ponderis. Vel alter florenus per Centum denarios novos computatus. Cum proinde Koriatovicsiana Fundatio emanaverit 1360. Anno neceſſe erat Florenos appellare longos, ut intelligantur illi, quos modo adduxi. Videtur forſitan diſtinguendus eſſe florenus Auri, a floreno 100. denariorum, ſed idem prorſus eſt valorem attendendo. Apparet hoc ex Sigismundi Imperatoris Decreto 17. 1435. Corpore Juris Hungarici clauſo, in quo diſcordiæ ſuper redemptione literarum hoc modo tolluntur Art. 10. quia vero in omnibus præmiſsis redemptionibus litterarum, & Byrſagiorum exactionibus de numero, & quantitate denariorum mentio facta ſit, gratia removendi dubii declaramus, ut denarii tales intelligantur, quorum ſinguli centum, unum florenum Auri valeant. Et ſi denarios minores pro aliquo tempore curſum habere contigerit, ad eandem rationem cum ampliori, & æquivalentiori numero compleantur. — Conſequenter ſicut unus Nummus Aureus aliter dicebatur florenus, ita etiam denarii majores centum ſimul ſumpti Aureus dicti ſunt, ergo floreni ſemper ſunt æquales Aureis. Et tanto magis longi. Induxit te V. V! opinor ad dictam Sententiam afferendam, hodiernorum florenorum Hungaricalium, & Rhenenſium conſideratio, quibus inter ſe comparatis cum majorem ſciveris eſſe Rhenenſem, longio-

rem

rem quoque te libere exiſtimare poſſe cenſebas; ſed enim illo tempore, neque Crucigeri, neque Viceſimarii, neque Mariani cudebantur, conſequenter neque Floreni Rhenenſes a Crucigeris 60, neque Hungaricalium a xr. 51. florenorum memoria exſtat. Si qua tamen mentio occurrit floreni Rhenenſis, certe hic Aureus fuit dictus Goldgulden. Sic etiam de Floreno Hungaricali judicandum eſt, nam Ducatus vocabatur 1527. Vide Diſſertationem meam pag. 161. Ducati autem ſunt æquales Aureis — ſed poſtquam Sæculo XV. Talleri cudi cœperunt, & poſt hos dimidii Talleri, hinc nati ſunt ſenſim hodierni Floreni Rhenenſes a xr. 60. & Orthones a xr. 30, ſed hæc tetigiſſe ſufficiat, ne ex Monetæ Argenteæ multiplici mutatione obſcuretur conſtans Monetæ Aureæ pondus, materia, conſequenter idem ab Origine Aurei floreni ad noſtra usque tempora pretium. Redeamus ergo ad Auream Monetam, & quæramus in ea florenum, ejusque Origines. — Conſtat inter omnes Numismaticos nullam Principes Europæos usque ad medium Sæculi XIII. feriundam curaſſe Auream Monetam, ſed Imperatorum Græcorum Nummis Aureis uſos fuiſſe, Nummi illi Aurei Byzantii dicti ſunt a loco cuſionis: ab ipſis autem Imperatoribus Conſtantinati, Romanati, Michaelati, Manuelati. His Reges Noſtros uſos fuiſſe produnt Diplomata. Certe Bela teſte Turóczio P. 2. pag. 45. Byzantios permiſit currere per Diſtrictum Regni ſui. Vocabantur etiam ſolidi. Materia & pondere deprehendit eſſe æquales Noſtris Kremniczienſibus Cl. Cornides, ergo tantumdem etiam valent.

Dum

Dum his Aureis Græcis uterentur Europæi Principes (cauſam vide in Diſſertatione mea pag. 127.) interea 1252. Florentiæ cuditur Moneta Aurea, cui una parte Joannes Bapt. Patronus Urbis, altera vero Lilium ornatum adpingitur, atque ab hoc flore florenus nuncupatur; & quia etiam denarii aliqui hac figura exprimebantur in Argento, nomen Floreni Auri ſumpſerunt. — Cumque pondere, & materia æquales eſſent Byzantinis, factum eſt, ut mutuam compellationem, nempe Byzantini Florenorum, & hi illorum in veteribus Diplomatibus ſuſtinere deberent. Cum proinde ſub Carolo I. Aurei Floreni æquales, & ſimiles Florentinis, cuſi ſint, neque Byzantini eliminati. Diplomatici intereſt tantidem Florenum, quanti Byzantinum æſtimare. — Quid tum? ergo longi illi Floreni poterant a Duce Koriatovich exolvi tam in Byzantinis, quam florenis. — Porro florenus hic a Venetis cuſus hanc inſcriptionem accepit: „ Sit Tibi „ Chriſte datus, quem tu regis iſte Ducatus. " Cum ergo hæc vox Ducat clare legatur, Aurei Nummi paſsim Ducati vocantur. Atque hi Ducati Hungaricales vocantur in eodem Diplomate Ferdin. I. 1527. Floreni Hungaricales. — Slavi, Poloni, Germani, Aureum vocant Dukat, Hungari Arany Forint; Nam Stephanus Bathori 1603. ſic habet in Teſtamento: „ Vardas Kati Hugom Aſzonynak hagyok Ezer Arany Forintot. " Hi omnes Aurei cujuscunque nominis, ſunt æquales pondere, & materia Kremniczienſibus, & Cæſareanis. Ergo etiam floreni longi. Ergo hi ſunt expetendi nomine Ducis Koriatovics, non autem Floreni Rhenenſes Q. E. D.

Scholion: V. V. Peto venia'n abs te, quod tibi longiore lectione moleſtus fuerim. — Quodſi ſolis Argumentis Tibi ſatisfactum fuerit, non item realem ſenſeris; eamque juſtam Opitulationem, contentus eſto me tibi, tuisque Fratribus bene voluiſſe. Vale, Vale! Maneo Tui Venerandi Nominis ſincerus Cultor P. Innocentius Simonchicz, e Scholis Piis Profeſſor Rhetorices. Szigethi in Marmatia 9. Octobris 1800.

Epiſtola Reſponſoria ad præmiſſam.

Vir Clariſsime Vale! Zeno Ziticus celebratiſsimam Heſiodi Sententiam ſolebat invertere. Cum enim ille primas tribueret ei, qui perſe ſapiat, ſecundas, qui recte admonenti optemperaret. Zeno ordine inverſo ſic nunciabat:

„ Optimus ille quidem, qui paret recte monenti, ſed
„ probus ille quoque eſt, qui noverit omnia per ſe. " Hoc igitur eſt Vir Clariſsime! quod non levem mihi faceſsit, anxietatem; Eximium videlicet tuum Opus de Numismatica ut ſcribis, Hungariæ Diplomaticæ accomodata, de quo neſciebam, antequam ultimam Operi meo admoverem manum, familiare mihi haud exſtitiſſe. Verum enim vero teſte Virgilio 6. Ænead. Facilis deſcenſus Averni,

„ Sed revocare gradum, ſuperasque evadere ad Auras,
„ Hoc opus hic labor, pauci quos æquus amavit
„ Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus
„ Diis geniti potuere. — — Æternum me tibi devinxiſti Vir Clariſsime! quia ſincerus Ipſe ſinceras meas merces ſubſcripſiſti, tum quia me metipſo feliciorem, ſtante etiam pau-

per-

pertatis Regula, Opitulatrice in dando, & accipiendo, Juſtitia Tua potius quam mea, ſententia, eſſe optas; dum longos ſlorenos per Te in Critices bilance probatos, currentibus Ducatis ad amuſsim reſpondere, egregie in Tuo Opere remonſtraſti eosque me cum fratribus dividendos, ut par eſt credere Munificum Fundatorem voluiſſe, ultro citroque cupias, optesque, adeo ut & vinci, & inſtrui abs Te, mihi ſit volupe, juxta illud Poetæ:

— Omne tulit Punctum, qui miſcuit utile dulci.

Quod autem me moverit quove hauſerim fundamento, ut longos Florenos pro Rhenenſibus acciperem Vide Operis mei Part. II. cap. 2. §. I. pag. 13. & convinceris, me non abs re hos, ut tales operi meo inſeruiſſe; imo ipſe effectus docuit, dum Epiſcopus Joſephus de Camellis, in ſuo Diario, loco Centum longorum florenorum Centum Rhenenſes florenos ex Aula Munkascienſi levat, hos ut tales intellectos in ſolvendo, etſi valor eorum, ut Tua optime fert ſententia Ducatis Kremniczienſibus æquivaluerit. Cetera avidus legendi Tui Operis, mitto meum, ut ego Tui, Tu mei ſimus æternum memores. Vale Venerandi Tui nominis ſincerus Cultor Joannicius Baſilovics Ord. S. Baſilii M. in monte Csernek Proto-Hegumenus 5. Nov. Anno 1800.

Clariſsimi Domini Ignatii Gotzigh, Hiſtoriæ Univerſalis, Caſſoviæ Profeſſoris P. O. Regii, & Libr. Reviſoris.

Criſis ſuper præcedenti Tripartito Opere Anno 1799. edito.

Vir Clariſsime! Judicium meum de tuo Opere eſto: Compilationem Tuam, operoſam & induſtrioſam eſſe, eaque Te in ardiis, & aliis antiquitatibus pervolvendis verſatum monſtrari; in compilatione illa Tripartita, Ordinem, pro objecto facilius perſpiciendo, & delectum inveniri. Auſim meam reflexionem contra Stylum adiicere, illum non Aureæ Latinitatis eſſe. Ceterum pro tot in lucem proditis Documentis, Tibi Hiſtoriarum Cultores gratias referent. Dant Materialia bona pro ſolidioribus ædificiis, quemadmodum dabant Smidt, & Katona &c. Faxit Deus, ut exemplo tuo quoque in Natione Ruthenica, (præſertim regnante moderno Præſule) tam bene coli cœpta, plures ad ſimilia accendantur. Cognitiones Hiſtoriæ, nutrimenta præbent Philoſophiæ, Philoſophia duce, accuratior naſcitur in Theologicis Diſciplinis idearum delectus, & diſpoſitio. Paſtores, quos tam felix rerum converſio generabit, & fideles, qui per illos ad culturæ melioris gradum ſublimari poterunt, cœptorum manibus Monumentum in cordibus ſuis erigent, & ſincera gratitudinis ſuſpiria litabunt. Opus Tuum pro memoria perenni Bibliothecæ Academiæ Regiæ Caſſovienſis illocavi. Do viciſsim ex Dictione mea exemplaria tria. — Neque illa ſe a latinitate puriori comendat, — Rei potius (ut Tu) quam verbis ſtudui. Vale, & me tibi devotum pari affectu proſequere. Ignatius Gotzigh, Regius Librorum Reviſor. Reverendo ac Clariſsimo Patri Joannicio Baſilovics, Ord. Sancti Baſilii M. Proto-Hegumeno.

Finis Partis Quartœ.

APPENDIX

Ad Caput XXIV. Partis quartæ Pag. 222.

ALLOCUTIO

Reveredifſsimi Domini Alexii condam Ilkovits ad Excellentiſsimum modernum Præſulem Munkácsienſem

D. ANDREAM BACSINSZKY

qua jam conſecratum

poſt felicem Vienna reditum Die 10. Julii Anno 1773. in Eccleſia Cathedrali publice dicta.

Gratias agimus homagiales Sacratiſsimæ, ac Clementiſsimæ Dominæ Noſtræ Reginæ Apoſtolicæ MARIAE THERESIAE, Auguſtiſsimoque Romanorum Imperatori Corregi Hungariæ JOSEPHO SECUNDO, quod ſumptis in Benignam Reflexionem Meritis Tuis Te Præſulem Nobis, Prælatumque Almæ huic Diœceſi Munkacsienſi nominaverit; Gratias referimus immortales Sanctiſsimo Domino Noſtro Pontifici Clementi XIV. quod de plenitudine Poteſtatis ſuæ paribus ex motivis ratam, confirmatamque fecerit hanc ipſam Tui in Epiſcopum Nominationem; Gra-

Allocutio Dni Alexii Ilkovits ad D. Præſulem Andream Bacsinſzky.

Kk tias

tias etiam Tibi Illuſtriſsime Præſul reddimus ampliſsimas, quod bonum hoc Epiſcopatus Opus; aut Onus non equidem (prout omnis novit) vehementer deſideraveris, ſed adminus in illis tam arctis, & arduis circumſtantiis Noſtris, dum nempe in Te unico Spes pene tota Salutis remanſerat, ultronee delatum Tibi, collatumque non recuſaveris, quin potius Naviculam hanc Petri (Diœceſim noſtram intelligo) ſæviſsimo cæteroquin Ventorum turbine omni ex parte ſemper agitatam, & in mediis fluctibus, ac ſirtibus Præclariſsimo Nauclero illo, quem nobis ante Annum invida Fata eripuere, deſtitutam, regendam, immo erigendam *zeloze* magis, quam ſecure apprehenderis eamque ipſa, quam hodie celebramus ejusdem Divi Petri Feſtivitate non minus prodigioſe, quam glorioſe conſcenderis. Denique Gratias rependimus, & præprimis Omnipotenti, ac Miſericordiſsimo DEO, tum quod Te tot, tantisque Meritis decoraverit, ut unus eſſes „ Dilectus, Candidus, „ Electus ex Millibus, cujus Caput Aurum optimum, „ oculi ſicut Columbæ ſuper rivulos aquarum, genæ ſicut „ ariolæ aromatum conſitæ apigmentariis, eburneus, di„ ſtinctus Saphiris, verbo ut eſſet præ cæteris ſpecies Tua „ ſicut Libani, aut Cedri. “ Tum & ideo quod idem ſupernus providentiæ oculus has ipſas tam ſingulares animi Tui Dotes, & egregia Apoſtolici Status facinora hic quoque impremiata non reliquerit, ſed ſua, qua Regum corda movet, Gratia Auguſtiſsimam Dominam Noſtram eo deſtinaverit, ut Tuæ liberalitati, Tuæ Magnificentiæ, laboribus Tuis, & intenſo, ſinceroque Boni Publici Studio Col-

Cantic. Canticorum, 5.

la-

latione tantæ *Dignitatis* reſponderet. Benedictus Dominus, qui errexit Te Illuſtriſsime Præſul in Titulum, & Gloriam ſuæ laudis „ Vocans Te tanquam Aaronem ad honorem Ad Hebr. 5.
„ plantans Te quaſi Olivam fructiferam in domo Domini
„ ad dandam Scientiam ſalutis Plebi ejus. Benedictus Jerem. c. 30.
„ Dominus qui abſterſit lachrymas ab oculis noſtris, &
„ annuum Eccleſiæ ſuæ pæne jam mœrore contabeſcentis
„ luctum in conſolationem, longamque exſpectationis ſe-
„ riem commutavit. Hinc eſt, quod hodie ſicut dixit Iſaias:
„ Eccleſia Mater Sancta Feſtiva, tota gaudens, & compta
„ proceſsit, induit ſe tunica jucunditatis ſuæ, & ſicut
„ Sponſa impoſuit ſibi Mitram, ac vario ſe compoſuit, &
„ decoravit Ornatu. „ Quia nempe juxta pollicitationem
„ David" hodie pro Patre natus eſt ei filius, qui eam Pſalm. 44.
„ non pondere inclinet, non auctoritate deterreat, non Petrus Chryſolog. Orat. 101.
„ comminatione ſollicitet, non aſperitate conturbet, ſed
„ fideli ſuſtentet obſequio, cura per vigili faciat, perſe-
„ cutam ſollicito labore adjuvet, neceſſaria procuret, Fa-
„ miliam blanda inſtitutione componat, Hoſpitibus occur-
„ rat, Parentibus ſerviat, Regibus obtemperet, Poteſtati-
„ bus collaboret, det Senibus reverentiam, Pueris gra-
„ tiam, Fratribus amorem, parvulis impendat affectum,
„ liberam per Chriſtum cunctis impendat ſervitutem. Da-
„ vid dixit: " Audi Filia, & vide. Nos dicamus: Audi Pſalm. 44.
„ Sponſa, & vide, vide inquam Dilectum tuum, quem
„ dudum deperibas, quem tot votis exſpectabas, tot ſu-
„ ſpiriis anhelabas; vide Sponſum firmo jam tibi junctum
„ vinculo, & ea perpetuæ virginitatis ligatum copula,

 quæ

Petrus Chriſologus ibidem „ quæ ſexus neſcia, conceptus conſcia gnara partus, Con-
„ junctionis ignara, pudore integra, integritate clauſa,
„ caſta, pignoribus, fecunditate diffuſa ſpirituales generat
„ filios. " Vide Sponſum, & amplectere, quem toties
Canon. c. 1. abſentem querulo alloquebaris; „ Indica mihi, quem di-
„ ligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?
Canon. c. 3. „ Ne vagari incipiam poſt greges Sodalium tuorum. Vide
„ Sponſum & oſculare oſculo oris Tui, quem toties in
„ lectulo Tuo per noctes quæſiviſti, & non inveniſti, vide
„ Sponſum, tene " propter quem toties adjuraſti Filias
Canon. c. 5. Jerusalem, „ Si inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis
„ ei, quia amore langueo. "

Canon. 5. Ecce ille idem Sponſus " qui amore ſui usque-
Canon. 1. dum vulneravit Cor Tuum, jam nunc ut Myrhæ faſcicu-
lus inter ubera Tua commoratur, jam læva ejus ſub ca-
8. pite Tuo eſt, dextra ejus amplexatur Te. Quid nunc ad plenitudinem gaudiorum Tuorum, o Sponſa! amplius addi poteſt, dum illum in portu ſecuriſsimo id eſt in Throno Pontificali Corona ornatum, Pedo ſuffultum, præcinctum faſciis ſedere videas, pro quo ſolo ludibria fortunæ ancipitis, & fortuitos verebaris eventus, pro quo ſolo inter ſpem, & metu manxia ſemper fluctuabas, pro quo ſolo Te dormiente vigilabat Cor Tuum, inveniſti jam, quem diligit anima Tua, tene eum, nec dimitte, quin immo invoca Plebem, & inclama: „ Egredimini, & videte Filiæ Sion Salamonem in Diademate quo coronavit illum Mater ſua Clementiſsima nempe Domina MARIA THERESIA in die De-

Deſponſationis, ſeu Conſecrationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Egredimini, & videte Auguſtum totius Sacri Pontificalis apparatus in uno Præſule Donum, atque in Auguſto hocce Munere Clementiſsimam Sacratiſsimæ Apoſtolicæ Majeſtatis Munificentiam, plus quam Maternam erga Univerſam Diœceſis hujus Ruthenam Plebem Propenſionem. Vos ipſæ Filiæ Sion penſate, ſtupeſcite, veneremini. Tu vero Dilectiſsime Cathedralis hujus Eccleſiæ Sponſe, poſtquam introduxit Te feliciter Rex in Cellaria Canon. 2.
Sua, & in Cellam vinariam, ordinavitque in Te charitatem, poſteaquam peſſulum oſtii ſui aperuit Tibi Dilecta tua, noli conſiderare, quod fuſca ſit & exſpoliata tunica Canon. 5.
ſua, quia decoloravit eam Sol, & Filii Matris ejus pugna- Canon. 1.
verunt contra. Sed utut nigram forma, tamen ita amplectere, ita fove, ut gloriari de Te valeat." Dilectus meus mihi, & ego illi ſub umbra illius, quem deſidera- Canon. 2.
veram, Sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.

Nos porro Illuſtriſsime Præſul clientes, ac Filios Tuos ita ſuſcipe, ut quaſi Pelicanus quem hieroglyphice Inſigni Tuo inſculptum vidimus: „ Occidas, & vivifices, percu„ tias, & ſanes, ſive ut nos tanquam pullos adverſus ful- Deuteron. 32.
„ mina, „ quoniam cadent a latere Tuo Mille, & decem „ Millia a dextris Tuis, " ad Te autem non appropinquabunt, tutos, ac incolumes ſub valemine alarum Tuarum ſerves, & protegas.

Threnus

Quem nomine veteris Cathedralis Eccleſiæ Munkacsini ſitæ ſuper Sede Præſulea Munkacsino Unghvarinum translata idem Clariſsimus Vir Canonicus Alexius Ilkovits condam cecinit, ſicque lamentantis, gemebundeque ſenſa lugubria expreſsit.

Threnus Ilkovitsianus nomine Cathed. Eccleſiæ Munkacsienſis ſuper Sede Præſulea Munkacsino Unghvarinum translata lamentantis.

HOCNE etenim merui nunquam Tibi perfida Sponſa?
Hæc ſunt obſequiis Præmia digna meis?
Dic mihi quid feci? niſi quod Te ſemper amarim?
Si ſcelus hoc eſt: ſim, ſim ſcelerata Tibi.
Nunc quoque, ſis quamvis noſtri contemptor Amoris,
Si quid agam, quæris? Te niſi ſemper amo.
Ac utinam! dudum non ſic vehementer amaſſem,
Candidior multo nunc mihi forma foret.
Corrupere meum lachrymæ, ac ſuſpiria vultum,
Dum ſæpe abſentem lugeo, plango, fleo.
Hæc ego cum faciam, haud poſſum cognoſcere ſane,
In me quod poterat diſplicuiſſe Tibi?
Jam tot Præſulibus fueram conjuncta Maritis;
Quisque tamen ſola morte revulſus erat.
Tu, quem nec morte avelli ame poſſe putabam;
Ah dolor! a viva Conjuge vivus abis?
Quis Deus oppoſuit noſtris ſua Numina votis?
Ne Tua permaneam, quod mihi crimen obeſt?

Sed

Sed neque Sponſa nova ut fertur formoſior eſt me,
Quin potius vultu turpior ipſa meo.
Ecquis enim, quod ſit me aliquanto pulchrior illa,
Quam Socii Jeſu deſeruere! putet?
Turpe eſt deſertam, ac alienam adſummere Sponſam,
Sicut turpe etiam deſeruiſſe ſuam.
Hæc duo cum facias certo cenſebere quovis
Judice, peccati duplicis eſſe reus.
Ut ne igitur pecces, dilecte revertere Sponſe!
Et jam tam longus nectere parce moras.
Aut fac, ut redeas ad nos, ah vel minus iſtud
Efficias, ne ſic urar amore Tui.
Sin minus id facies in pœnam hoc imprecor unum;
A noſtro ſemper Nomine Nomen habe &c.

Errata Partis IV.

Pagina:	*Linea:*	*Errata:*	*Corrige:*
4	2	quidem	quidam
6	10	de cognitione	de cognatione
18	7	Porphirageniti	Porphirogeniti
21	4	Olega	Olegæ
—	11	poſtquum	poſtquam
31	1	adminiſtrare	adminiſtrari
39	13	propterea	præterea
41	19	contucatur	contueatur
45	4	Eccleſia	Eccleſiæ
47	10	Methodii	Methodio
49	2	negatium	negotium
51	1	pre	pro
57	8	vilidiſsimas	validiſsimas
62	10	Archi-Diaconus	Archi-Diaconis
66	11	inſtar	inſtat
68	15	Sanctiſsimæ Pater	Sanctiſsime Pater

Pagina:	*Linea:*	*Errata:*	*Corrige:*
71	18	Confirmate	Confirmato
75	16	Agrienſi	Agrienſis
77	13	conſeret	cenſeret
—	26	Viæ	Veſtræ
78	12	arbitrabor	arbitrabar
79	17	Græci	Græcum
80	6	inquam	unquam
82	5	ſignantur	ſignanter
83	6	exorata	exarata
84	1	Ténvesy	Fényeſy
—	13	munus	minus
89	2	Agrienſis	Agnenſis
91	10	aſſerint	aſſeruit
—	13	ſotam	fotam
29	9	Eneijelicas	Enciclicas
93	11	affectu	effectu
101	3	Agria	Agriæ
106	4	Populi	Populo
107	9	ad Eccleſiæ	ab Eccleſia
—	26	labore	habere
108	12	aliquos	aliquot
109	12	Divinæ	Divina
—	14	obſervantiæ	obſervantia
111	8	inductum	inductam
114	8	perducto	perducta
—	11	promerite	promeriti
117	9	inviolando	involando
128	10	excreſceret	excreſcerent
129	27	Presbyteres	Presbyteros
130	26	Veſtra	Veſtræ
135	14	duo hæ	duo hæc
136	12	negabat	urgebat
153	16	ſex Alumnus	ſex Alumnos
162	4	Agrienſem	Agrienſe
179	26	Tubileis	Jubileis
195	4	munes	munus
199	25	datæ	Dote
207	27	ad præſcriptam	ad præſcriptum
218	3	quod circa	quo circa
221	1	accepta	accepto
252	3	in ardiis	in arduis

BREVIS NOTITIA

FUNDATIONIS

THEODORI KORIATHOVITS,

OLIM

DUCIS DE MUNKACS, &c.

EXHIBENS

Statum Græco-Catholicæ Diœceſis Munkacsienſis Hierarchicum, juxta ſeriem

EPISCOPORUM

cum præcipuis eorundem, aliorumque Illuſtrium Virorum Geſtis, e variis Bullis Pontificiis, Diplomatibus, Decretisque Regiis, ac aliis Documentis authenticis potiſsimum concinnatum.

PARS QUINTA

TOMUS II.

AUTHORE

R. P. JOANNICIO BASILOVITS,

Ordinis Sancti BASILII Magni,

In Venerab. Monaſterio de Monte Csernek ad S. Nicolaum prope Oppidum Munkacs

PROTO-HEGUMENO.

CASSOVIÆ,

Typis JOANNIS JOSEPHI ELLINGER

1805.

DE
STATU HIERARCHICO
DIOECESIS MUNKACSIENSIS.

PARS V.

CAPUT I.
De Inſtitutione Canonicorum, & Erectione Capituli Munkacsienſis.

§ I.

Erecto, & ad inſtar Latinorum per Bullas Pontificias Canoniſato Epiſcopatu Munkacsienſi, neceſſe quoque fuit conſtitui Canonicos, & erigi Capitulum: quandoquidem tam in Decreto Erectionis, quam in Bullis Canoniſationis Epiſcopatus, Capituli, & Canonicorum mentio fiat, ac in-

ſuper inter duorum jam, defuncti quippe Joannis Bradács, & moderni Epiſcoporum Proviſionis Bullas ſeorſiva Bulla ad Capitulum Munkacsienſe haberetur, directa. Id enim poſcebat unice Cultus Divini augmentum, bonusque Ordo a Sacris Canonibus præſcriptus, & in Hierarchia Eccleſiaſtica etiam per Orientem olim ſancte obſervatus. Cathedralem quamlibet Eccleſiam in Græco æque, ac Latino Ritu ab Apoſtolorum temporibus ſuos habuiſſe Miniſtros, ſeu Clericos ſervientes, ille ſolus negaverit, qui vivum caput ſine membris, & Epiſcopum operantem ſine Miniſtris ſibi finxerit, ac conſtantem Hierarchiam novum inventum ſomniaverit.

§ II. Et quamvis in utroque ſpirituali nempe & ſæculari ſtatu Nomenclaturas dignitatum, & Officiorum, manentibus iisdem ſervitiis, & obligationibus arbitrariæ mutationi obnoxias eſſe, tamen certum eſt, Cathedralis Eccleſiæ Miniſtros appellatos fuiſſe etiam Canonicos, idque ex eo, quia nomina ipſorum inſcribebantur Matriculæ, ſive Cathalogo Eccleſiæ, ad quam ordinabantur, in qua miniſtrabant, & a qua ex diſtributionibus alebantur, quæ Matricula Græcis dicitur Canon, conſecutive inſcripti Canoni Eccleſiæ v. g. A. vocabantur ejusdem Canonici, ita B. Eccleſiæ &c. Patet hoc ex Canone XV. Concilii Laodicenſis ibi: „ quod „ non oportet præter Canonicos Cantores, qui ambonem „ aſcendunt, & ex Codice canunt, aliquos alios canere in „ Eccleſia. “ In quem locum Zonaras ita: „ In Eccleſiis „ non quoscunque, ſed Cantores tantum Canonicos, in Cle-

„ rum

„ rum nempe adſcriptos, qui in una quaque Eccleſia Ordi„ nati e diphtera pſallere docti ſunt, pſallendi munus obi„ re oportere decernunt Patres. “ Item ex Can. 6. S. Baſilii ad Amphilochium ibi: Canonicorum fornicationes pro Matrimonio non reputantur, ſed eorum conjunctio omnino divellatur: „ In quem locum Balſamon: Canonicos eos di„ cit, qui in Canone numerantur “ Et Zonoras; Canonicos eos, qui in Canone recenſentur, nominat. Item ex Can. 16. Conc. Nicæi I. ibi: quicunque in Canone recenſentur. — Denique ex Can. 10. Conc. Chalcedon. ibi: „ non licere „ Clerico in duarum Civitatum Eccleſiis eodem tempore in „ Cathalogum, ſeu Canonem referri.“ Et ſic Clerici in Canone recenſiti tam apud Græcos, quam Latinos Canonici ſæpe paſsim audiunt. Verba ſunt Givilielmi Beveregy in Annotationibus ad C. 6. Conc. Conſtant. primi. Ex quibus omnibus clare cognoſcitur denominationem Canonicorum ex ipſa Græcæ vocis Etymologia Clero Eccleſiarum Cathedralium Græci Ritus non tantum convenire, ſed tam quam propriam, & Characteriſticam deberi etiam.

§ III. Verum cum hæc appellatio cummunis fuerit omnibus Canoni Eccleſiæ inſcriptis, neque ullam Dignitatem ex Inſtituto ſuo denotaverit, appellabantur quoque præcipue Presbyteri, & Diaconi, Presbyterium vel ſimpliciter Clerus Eccleſiæ, aut ejusdem Senatus, quorum muneris fuit cum Epiſcopo tanquam Capite inſimul conſultare, ac negotia Diœceſis pertractare quemadmodum, & de facto conſultant, & pertractant Capitulares, nam Ly. Capitulum

nonniſi circa tempora Caroli Magni in Eccleſia etiam Occidentali audiri cœpit, res tamen ipſa ſemper viguit, ut erudite demonſtrat Ludovicus Thomaſinus de vetere, & nova Eccleſia Diſciplina Part. I. Lib. 3. Cap. 7. & ſubſequis, ubi docet: In Concilio inquit Oecumenico Epheſino plures exſtant Cyrilli Alexandrini Epiſcopi Epiſtolæ ſcriptæ ad Presbyteros & Diaconos, ideſt ad Clerum, ſive Capitulum Civitatis Alexandrinæ: Clarum itaque eſt in Eccleſiis Cathedralibus Orientis ſuos Senatus, ſive ut Thomaſinus ait Capitula habuiſſe Epiſcopos, ac una in iisdem Dignitates, & Officia Perſonalia fuiſſe, ut patet ex Juſtiniani Heracly, aliorumque Imperatorum Conſtitutionibus. Conſule deſuper Iſacium Habert, Leonem Alatium, ac denique Jacobum Goar in Rituali Græcorum ubi a pagina 222. ad paginam 242. Editionis Venet. Anni 1730. omnes Dignitates & ſingula Perſonalia Officia diſtincte, clare, ac erudite recenſet. Patet itaque non minus in Eccleſiis Cathedralibus Græcis, quam Latinis Dignitates, & Officia conſtanter exſtitiſſe, imo & Inſignia quædam Honorum, & Dignitatum Græcarum fuiſſe, ut ait Simeon Theſſalonicenſis Epiſcopus Libr. de Sacramentis apud laudatum Goar pagina 234. relatus, ibi: Pileos inquit crucibus inſignitos in Capitibus gerunt, & Judicum perſonas exercent, ubi addit Goar, crucibus varii coloris, pro more itaque eotum Orientalium Canonici in Dignitatibus conſtituti, in pileis quas nunc & illi, ut Archi-Mandritæ, & Latini e collo pendentes cruces geſtabant, & quidem varii coloris pro diſtinctivo Dignitatum, & Honorum ſigno.

§ IV.

§ IV. Neque dubium eſſe poterit de exiſtentia Canonicorum in Cathedralibus Ruthenis Eccleſiis, qui Galliciam, Lodomeriam, Volchiniam, & alias ſucceſsive Provincias incolentes, ad Fidem Chriſtianam cum fine ſæculi decimi a Græcis erant converſi, & primos Epiſcopos ab illis habuerunt, ſignanter a Nicolao Chrisoberge Patriarcha Conſtantinopolitano Catholico, quia in Communione Eccleſiæ Romanæ perſeverante; talem igitur, ſeu Wladimirus primus Dux Chriſtianus in fundandis, ſeu Epiſcopi in efformandis Epiſcopatibus tenebant normam, qualem in Conſtantinopolitano Patriarchatu ab antiquo vigere non ignorabant. Claris, iisque authenticis Documentis id ipſum demonſtrari poteſt, vel de ſola Cathedrali Eccleſia Halicienſi, cui ejusque Capitularibus Leo Dux, Filius Regis Danielis certa Prædia in Anno 1301. contulit, quam Collationem ſubſeque Sereniſsimi Poloniæ Reges, non tantum confirmarunt, verum etiam novis gratiis adauxerunt. Prouti & alias Cathedrales Eccleſias, ut Leopolienſem, Wlodomirienſem, Præmislenſem, & reliquas Auguſtis favoribus proſequebantur. Ubique ac fere in omnibus Diplomatibus Clerum prædictarum Eccleſiarum Cathedralium Canonicorum, ac in communi Capituli Nominibus compellantes, quibus in Jure communi, atque Regiis Diplomatibus radicatis Fundamentis innixi moderni Epiſcopi Ruthenorum alii conſervant, alii vero collapſa Capitula ad gloriam DEI reſuſcitant.

§ V. Quod autem Munkacsienſem Epiſcopatum concernit, utut iſthic antiquiſsimus, ob defectum tamen Fundationis,

ac

ac per duo ferme ſæcula per Principes Tranſylvaniæ excitatas, ac ibidem ferventes Revolutiones, ad deſideratam Canonicam normam eluctari haud valuit; cujus Capitulares, ſeu Archi-Diaconi in partibus exiſtentes præ aureis, onerabantur catenis ferreis, prout & ipſi Epiſcopi ſignanter Baſilius Taraſzovics, qui ob reprofeſsionem Unionis Anno 1640. ab Ara violenter abſtractus, ac in Arcis Munkacsienſis Carceres conjectus, triennio fere ibidem contabeſcebat. De quo vide plura parte prima Operis mei, pagina 66.

§ VI. Et hunc Epiſcopatum, licet tardius reſpicere dignatus eſt DEus, ſpecialiter per glorioſæ memoriæ Imperatores, & Hungariæ Reges Leopoldum I. & Carolum VI. conſummative autem per Auguſtam Imperatricem, ac Reginam Apoſtolicam MARIAM THERESIAM, cujus ardentiſsimo in promovenda Sacra Unione Zelo, idem Epiſcopatus Munkacsienſis ex Vicariatu Apoſtolico, in formalem Diœceſim evectus eſt.

§ VII. Epiſcopatus illius ſine Canonicis, & Capitulo, ut præmiſſum eſt, Erectio, & Canoniſatio fuiſſet omnino manca, neque Auguſta Fundatrix piiſsimi Intenti Sui finem, qui eſt Major, Gloria DEI ſine Canonicis, quorum eſt in Eccleſia Cathedrali quotidie DEO famulari conſecuta fuisſet, ideo Præſul Excellentiſsimus Andreas Bacsinſzky, pro Inſtitutione Canonicorum, Capitulique Erectione non ceſſabat apud Auguſtam Dominam ſuas intenſiſsimas fundere pre-

preces, id vel ex ſola Inſtantia quam hic ſubjicio luculentiſsime patet, quæ ita ſonat:

Sacratiſsima! &c. Apoſtolicum Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ Fundatricis glorioſi Nominis erga Epiſcopatum mihi Benigne ereditum, Munkacsienſem clementer exhibitum Zelum non aliud ſane, quam gloriam DEI, & Incrementum Sacræ Unionis pro fine habere probe novi, cujusmodi piiſsimæ Intentionis Effectuatio, atque reale Implementum, ſiquidem ſuapte neceſſariam individuorum, quæ tam in Eccleſia Cathedrali ſtabili cum obligatione Divina peragant Officia, quam & Diœceſis in partibus bono Ordini reſpective invigilent, adſcriptionem exigeret; ſeptem autem Clementiſsime reſoluti Archi-Diaconi utpote Conſiſtorialium dumtaxat Honore, & Onere condecorati ex Inſtituto ſuo non Eccleſiæ, ſed Epiſcopo forent ad obſequia neque obligationem haberent in certo, & determinato loco Officium Divinum abſolvendi, verum negotia Diœceſis cum eodem Epiſcopo pertractandi, quin ſive a vivente Epiſcopo Canonice regi, ſive Sede vacante Vicarium eligere, inque illum adminiſtrandæ Diœceſeos Jurisdictionem transferre haud valerent; cum qua tales præter Epiſcopi in Conſultationibus arbitrium nullis diſtinctis Canonibus obſtringerentur, imo extranei, & Religioſi citra ullam erga Eccleſiam Cathedralem obligationem aut Diſtrictuum inſpectionem adhiberi poſsint, & aſſoleant; Hinc Majeſtati Veſtræ Sacratiſsimæ de genu humillime ſupplicare non tam præſumo, quam neceſsitor; quatenus ad inſtar Eccleſiarum in Latino Ritu Cathedralium, ad quarum videlicet formalitatem Epiſcopa-

tus quoque Munkacsienſis erectus, & Canonizatus habetur; Eccleſiæ etiam, Cathedrali Munkacsienſi per præexiſtentium jam ſeptem Archi-Diaconorum redactionem, & ſublimationem in corpus Capituli, atque Communitatem Canonicam Summa Cæſareo Regia, & Apoſtolica Sua Authoritate Clementiſsime providere dignaretur. Vereor etenim Majeſtas Sacratiſsima! ne ſeu ſuperſtes adhuc in introducendo recto Ordine inſuperabilem patiar difficultatem, ſive poſt obitum Jurisdictionem, quæ de Canone ad Capitulum devolvitur vagam relinquam, quorum utrique, prout & aliis facile emergibilibus ſequelis per Capituli Canonicam Erectionem Eidemque præter communes Canones, præſcribenda ſtatuta, maxime in celebrandis pro Majeſtate Veſtra Sacratiſsima, proque Auguſtiſsima Domo ſecundum Clementiſsime determinandum numerum Incruentis Miſſæ Sacrificiis in perpetuum obviari poterit. Neque per hoc Clementiſsima Domina! aut Altiſsimo Ærario diſtinctum aliquod aggravium quæro, cum iidem ſeptem Archi-Diaconi etiam tantum qua Conſiſtoriales 300. flor. quos ex Benigna Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ Reſolutione annuatim ſinguli percipiunt, auctionem ab Auguſta Munificentia una mecum ſperent; ſed neque vanam aliquam gloriam, minus vero alicujus præjudicium vel a procul intendo, utpote: qui unice piiſsimas Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ Intentiones, & quidem in augenda gloria DEI, per quotidiana in Eccleſia Cathedrali Miniſteria in promovenda vero Sacra Unione per propinguiorem ad boni Ordinis in Latino Ritu inſtituta acceſſum effectuare adnitor; non denique novitatem aliquam, aut

rem

rem hucdum in Diœceſi mea inauditam humillime exoro; ſiquidem inde a publicatis Canoniſationis Bullis, denominataque Eccleſia Munkacsienſi pro Cathedrali, non ſolum mei Ritus Clerus, & Populus, verum etiam Romano-Catholici, imo ipſi Proteſtantes repetitos ſeptem Archi-Diaconos tam ſcripto, quam verbo paſsim Canonicos appellare acceperint, recte, & fundate ſubponentes ſolenniter Canoniſatum Epiſcopum Ejusdemque Cathedralem Eccleſiam Canonicos habere debere, de vocabulo vero Conſiſtorialis tamquam apud Ruthenos, Hungaros, & Valachos inuſitato. Canonici autem ex Agrienſium, Magno-Varadienſium, Scepuſienſium, & Leleſzienſium vicinitate notiſsimo, nihil ſuſpicantes. Accedit, & illud, quod quandoquidem tam in Decreto Erectionis, quam, & Bullis Canoniſationis expreſſa mentio Canonicorum haberetur, & quod amplius: Inter Bullas proviſionis Prædeceſſoris mei Joannis Epiſcopi (prout & inter meas) ſeorſiva Bulla ad Capitulum Munkacsienſe directa exiſteret, atque Eccleſia Munkacsienſis cum omnibus competentibus Juribus æque per diſtinctum Inſtrumentum pro Cathedrali deſignata, & denominata foret; hinc prærepetiti ſeptem Archi-Diaconi poſt interventam Joannis Epiſcopi mortem, virtute, ac ad Tenorem earundem Bullarum munere, & Officio, aliis Capitulis Sede vacante competenti functi, ad præſcriptum Concilii Tridentini intra Octiduum Vicarium generalem elegerunt, inque eum totam ad regendum neceſſariam Jurisdictionem transtulerunt; qui Vicarius tam facultates diſpenſandi, quæ Sede vacante ab iis Vicariis Capitularibus concedi ſolent,

absque Differentia Roma optinuit, quam etiam cum reſpectivis Dicaſteriis neceſſarias correſpondentias fovit; imo idem ego ita electus Vicarius, ac ſubſeque pro Epiſcopo Clementiſsime nominatus in Benignis Collationalibus meis die 5. menſis Auguſti anno 1772. via Cancellariæ Hungarico-Aulicæ emanatis pro Vicario generali Capitulari Sede vacante recognitus fui. Non igitur rem novam, quin potius voce populi jam in uſum deductam ſequaciter citra omne novitatis ſcandalum confirmandam, & ſtabiliendam coram Auguſto Throno proſtratus imploro, ac una (cum inter honore pares neque juſtitiam diſtributivam, neque debitum Ordinem obſervari poſſe clarum ſit) eo etiam intenſiſsimas meas preces humillime extendo, quatenus ad præſcriptum Sacrorum Canonum, atque ipſius olim Catholicæ Eccleſiæ Græcæ conſuetudinem dignitates quoque Canonicas cum competentibus, & uſitatis inſignibus ex eadem Summa Cæſareo-Regia poteſtate conſtituere, deque qualiter in futurum conſtituendis decernere Clementiſsime dignabitur. Neque iterum Sacratiſsima Majeſtas! aliquid in Græco Ritu novi, aut mundi dumtaxat vanitatem redolens per hoc intendo, nam & Dignitates ſeu Munia Præpoſiti Cantoris, Cuſtodis, Decani, & aliorum in Eccleſia Græca Canonice adhuc ordinata viguiſſe, quamplurimi Latini Authores, ac ipſorum Imperatorum Conſtitutiones extra dubium ponunt & Inſignia, ſeu cruces geſtaſſe, imo hodiedum geſtare exempla docent, etenim & Præpoſitus Leopolienſis in Gallicia, & Fogaraſsienſis in Tranſylvania (ut de Proto-Popis, & Archi-Mandritis, vel ipſorum disunitorum taceam)

ceam) eadem Inſignia ſive cruces, & anulos geſtant. Ne itaque Clerus Munkacsienſis, qui & per ſeveriora ſtudia ſeſe excolere nititur, & in Cura animarum per Parochias reſpective miſerrima |Zeloze operatur & inſuper rariſsimo in Græco Ritu exemplo vitam cælibem magna jam in parte ducit, ad deteriorem conditionem rejiciatur, neve ſeu ſtimulo laboris, ſive præmio meritorum, conſecutive motivo innocentis Æmulationis deſtituatur, dignetur Majeſtas Veſtra Sacratiſsima quoad demiſſe præexpoſita preces meas humillimas Benigne admittere, atque per Capituli Summe neceſſariam ſive Erectionem, ſive Confirmationem, haud mancæ Epiſcopatus Canoniſationi terfauſtam Coronidem Clementiſsime inponere. Penes cujusmodi ſubditalis Devotionis meæ humillimum Petitum in perenni fidelitate vivo, & emorior. Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ humillimus perpetuoque fidelis Subditus Andreas Bacsinſzky Epiſcopus Munkacsienſis.

CAPUT II.

§ I.

Petito huic Benigne delatura Auguſta Domina petiit ſibi individua idonea, ac bene merita numero ſeptem pro Canonicis præſentari; Benigno huic Mandato paret promptiſsime atque ad implementum Clementiſsimæ Reſolutionis præſentationem ſeptem Canonicorum ad Neo-Erectum Capitulum Munkacsienſe ſuis titulis, & officiis, diſtinguendorum Benigne præcipientis, ſequentes tamquam Viros bene

meritos, ac perprius jam reſolutorum Conſiſtorialium, & Archi-Diaconorum Officiis functos Epiſcopus de genu præſentat, proque Eorum Altiſsima Confirmatione humillime ſupplicat.

§ II. Præpoſitus ſeu Archi-Presbyter Andreas Zsetkey, olim Seminarii Sancti Adalberti Tyrnaviæ Alumnus, dein Vicarii Forranei in Marmatia Capellanus, exinde Cameralis Poſſeſsionis Körös-Mezö inter Alpes Marmaticas ſituatæ, verbo opere, & charitate adeo potens Parochus, ut poſt quinquennium nonniſi invitis, ac pene inſciis ſuis Auditoribus Szighetinum pro Parocho, ac una per Marmatiam Vicario Forraneo transferri potuerit, in quo Vicariali Officio, inque Tabulæ Judiciariæ Comitatus Maramoroſsienſis Aſſeſſoratu undecim Annos laudabiliter perfunctus, nunc Munkacsini qua Archi-Diaconus Cathedralis, primusque Sacræ Sedis Conſiſtorialis, nec non Vicarius, ac Cauſarum Auditor Generalis, Tabulæ item Judiciariæ Comitatus Beregienſis Aſſeſſor, grandia in Vinea Domini Merita novis laborum acceſsionibus accumulat, linguarum præter Ruthenicam, & Latinam Hungaricæ etiam & Valachicæ gnarus. Lector, ſeu Archi-Diaconus Cathedralis Joannes Sztankoviſzky, qui poſteaquam in Seminario Telekeſsiano Agriæ qua Alumnus Theologiæ curſum præcellenter terminaſſet, primo Sarós-Patakini ea cum circumſpectione Parochum egit, ut tam materialem, quam formalem Parochiæ ſtatum permanenter regulaverit, atque apud ipſos etiam Acatholicos, qui ibidem, & copioſiſsimi ſunt, & publica ſtudia

ha-

habent, ob publicas, & eruditas ad Populum dictiones, ac privatos diſcurſus in æſtimatione fuerit. Subſeque vero Unghvarinum pro Parocho translatus, eodem moderamine munus ſuum exequitur, ac ſimul Archi-Diaconi Comitatus Unghvarienſis, nec non Conſiſtorialis Epiſcopalis Officium explet, Linguæ præter Ruthenicam, & Latinam, Hungaricæ gnarus.

Cantor ſeu Primicerius Joannes Paſztelyi, in Seminario Telekeſsiano Agriæ quondam Alumnus, impoſita ſtudio Theologico per defenſionem univerſæ, plauſibili Coronide, mox ad ſupplendas Profeſſoris in Scholis Munkacsienſibus vices adhibitus, dein ad Kereknye in Comitatu Unghvarienſi pro Parocho datus, ſucceſsive vero ad Oppidum Huſzt in Marmatiam translatus Parochi ſimul, & Archi-Diaconi munere fructuoſe perfungebatur, nunc Munkacsini, qua Conſiſtorialis Epiſcopalis, & Archi-Diaconus Zemplinienſis in Contubernio, Vicarii generalis publico prodeeſſe pergit Linguasque præter Latinam, Ruthenicam, Hungaricam, & mediocriter Germanicam callet.

Cuſtos, ſeu Eccleſiarcha Gregorius Borovſzky, Linguarum præter Latinam Ruthenicæ, & Hungaricæ gnarus, qui terminatis Tyrnaviæ, qua Alumnus Seminarii generalis ſtudiis Theologicis, pro tradenda Juniori Clero, & copioſæ Juventuti Dogmatico-Morali Theologia Munkacsini applicatus, Profeſſoris, una & Diſtrictuum Cathedralium Munus exequebatur prout, & in adminiſtratione Munkacsienſis, &

ex-

expoſt Oroſz-Végheénſis Parochiarum diſcretum ſuum Zelum omnibus palam fecit, modo qua Archi-Diaconus Ugocsienſis, & Conſiſtorialis Epiſcopalis, Cathedralis Eccleſiæ Unghvarienſis Bibliotecæ, ac Reſignatorum ædificiorum curam gerit.

Cancellarius Alexius Ilkovics Linguas Ruthenicam, Latinam, & mediocriter Germanicam callens, Seminarii generalis Tyrnaviæ Alumnus, qui curſum Theologicum ea Eminenti cum diſtinctione, ac ſui ſpeciali commendatione terminavit, ut ad latus Epiſcopi cum Charactere Secretarii Epiſcopalis, & Conſiſtorialis aſſummi, & applicari idoneus habitus fuerit, qua in functione vices quoque Archi-Diaconi Cathedralis ſupportabat, ac tandem Conſiſtorialis Epiſcopalis, & Archi-Diaconus Comitatus Bereghienſis factus, Munus non minus Zeloſi, quam diſcreti Moderatoris obit.

Joannes Boksay olim Seminarii Telekeſsiani Agriæ Alumnus, unde poſteaquam Univerſam Theologiam cum applauſu defendiſſet, primo ad Sáros-Patak pro Cura Animarum illocatus, ſubſeque vero ad Oppidum Szerents pro Parocho & Archi-Diacono Cserhatienſi tranſlatus tandem ex reſpectu plurium Annorum fatigiorum Conſiſtorialis Epiſcopalis, & Archi-Diaconus Comitatus Szabolcsenſis ac una Parochus Munkacsienſis factus, Munus ſuum explet Ruthenicæ, præter Latinam, & Hungaricæ Linguarum perfectam notitiam habet.

De-

Demetrius Ivaſzko, Natione Valachus, atque Seminarii Thelekeſsianæ Agriæ perprius Alumnus, ſubſeque vero ad informandum Juniorem Clerum Valachicum, primo Szathmár-Némethini, Turcini deinde applicatus, demum Conſiſtorialis Epiſcopalis, Archi-Diaconus item Comitatus Szathmárienſis; ſimulque Parochus Turczenſis conſtitutus, his obligationibus diſtincta cum induſtria, & laudabili Zelo ſatisfacere non negligit, inſuper linguas Valachicam, & Hungaricam callet.

CAPUT III.

§ I.

Qua Præſentatione, Informationeque, per Epiſcopum præſtita, mox favorabilis de Erectione Capituli ſubſecuta eſt ejusmodi Reſolutio. Sub Numero 5308. Sacræ, Cæſareæ & Regio-Apoſtolicæ Majeſtatis Inclytæ Cancellariæ Regiæ Hungarico Aulicæ Nomine, Domino Andreæ Bacsinſzky Græci-Ritus Catholicorum Epiſcopo Mnnkacsienſi hisce intimandum: Altefatam Suam Majeſtatem Sacratiſsimam Individua, quæ Capitulum Munkacsienſe conſtituent, per Eundem Dominum Epiſcopum propoſita, notanter: Pro Archi-Presbytero, ſeu Decano Andream Zsetkey; pro Præpoſito (minori) Joannem Sztankovſzky, pro Archi-Diacono Joannem Páſztelyi, pro Eccleſiarcha ſeu Cuſtode Gregorium Borovſzky, pro Scholaſtico Alexium Ilkovits, pro Primicerio, ſeu Canthore Joannem Boksáy, pro Cartophylace ſeu Cancellario Demetrium Ivaskco cum

Intimatum ſuper Benigna Reſolutione ſeptem Canonicorum cum ſuis Officiis ſpecificattot.

præſcitis eatenus Clementer emenſis Salariis Benigne reſolviſſe una annuiſſe, ut in locum unius pro Marmatia, Comitatu item Szathmarienſi, & Diſtrictibus Valachicis cum 800. flor. conſtituendi Epiſcopalis Vicarii, hocce Munere duo Michael quippe Taraſzovics, Parochus Szigethienſis, & Alexius Bonyi Parochus Szathmarienſis cum partitione prædictorum 800. flor., ſeu ſeorſivis 400. florenis fungantur, ea tamen Conditione, ne pro his duobus vices Vicarii expleturis ex Ærario Regio quid amplius aliquando ſollicitetur; verum Eis in omnem caſum ipſe Dominus Epiſcopus ex proprio providere teneatur. Quæ Benigna Reſolutio Cæſareo-Regia Eidem Domino Epiſcopo pro requiſita ſui notitia, & directione, ac reſpective finem etiam in eum, ut antelati Neo-Reſoluti Capitulares, quoad levanda Decreta ſeſe dirigere, inſinuareque ſciant, per præſentes intimatur. Ex Conſilio Cancellariæ Regiæ Hungarico-Aulicæ Die 25. Octobris 1776. celebrato. Joſephus Gaſzner m. p.

Reſolvunt. pro Vicariis Szigethienſi, & Szathmar. loci Parochi.

Præſentem Copiam cum ſuo vero, & genuino Originali collatam, eidemque per omnia conformem eſſe teſtor. Unghvar 17. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Arhivarius.

§ II. Reſolutis præexpoſito modo ſeptem Canonicis Epiſcopus iterum pro auctione ſubſiſtentiæ Eorundem ſaltem interimali apud Regiam Majeſtatem ſupplicat quoad usque ſtabili ac congruo ſubſiſtentiæ Fundo clementer proviſi fuerint.

C A-

CAPUT IV.

§ I.

En Tenor Inſtantiæ! Humillimum pro Memoria! Ante Sacros Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ in ſubditali Devotione provolvor pedes, erubeſco, ac ſane non præſumerem, niſi ex ſtricta obligatione mea deberem miſerum ſtatum ſeptem Capitularium meorum in omni humilitate detegere. Expoſui Clementiſsima Domina! in prioribus humillimis Inſtantiis meis, quod prædicta ſeptem Individua Capituli per 300. florenos ex Munificentia Cæſareo-Regia titulo ſubſiſtentiæ proviſa eſſent, qua exiqua Quotta impoſſibile eſt illis per totum Annum ſubſiſtere, qui continuis Diœceſis laboribus occupantur, nec aliunde vel minimum adjutorium habent, illorum neceſsitati ego ex meo licet exiguo lubens ſuccurrebam, ac ſic huc usque humillimum Recurſum ad Thronum Regium quaſi præpedire ſtudui. Quia vero longiori tempore a ſtatione mea abeſſem gravioribus expoſitus ſumptibus nec ipſe convenienter ſtatui meo ſubſiſtere quirem, tanto minus prædictis Capitularibus opem ferre valerem, qui non tantum victum, alias apud me habito privati, verum etiam majoribus expenſis, ob mei abſentiam, expoſiti forent ob frequentem concurſum tam Cleri, quam aliorum hoſpitum, ac ideo rationabili ex cauſa ad me pro exorando interi, mali ſubſidio debitum ſumpſerunt recurſum. Clementiſsima Domina! Juſta Lamenta Capitu-

pitularium conſcientioſe recognoſcere debeo, & hic præſentaneam ſubverſari neceſsitatem quotidianæ ſubſiſtentiæ. Ideo flexo poplite humillime ſupplico, quatenus pro Materna Sua pietate illis Clementer ſuccurrere dignaretur ſaltem interimali aliquo ſubſidio ex Caſſa Parochorum, donec ſtabili, & congruo Fundo ſubſiſtentiæ de Munificentia Cæſareo-Regia proviſi fuerint, pro qua ſumma Gratia, & Clementia Regio-Apoſtolica emorior humillimus perpetuoque fidelis ſubditus, & Capellanus Andreas Bacsinſzky Epiſcopus Munkacsienſis.

§ II. Ad præmiſſam prælaudati Epiſcopi Inſtantiam Sua Majeſtas pro ſingulo Capitulari Individuo congruam ſubſiſtentiam Clementer reſolvere, Fundumque exaſsignare dignata eſt, cujus Benignæ Reſolutionis iſthoc habetur Documentum ſub Numero 5763.

Illuſtris, plurimum Reverende, Amice, Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Domine Epiſcope, Nobis Obſervandiſsime!

Reali Epiſcopatus Munkacsienſis Græci Ritus Catholici Dotatione jam antea intimata exiſtente; porro relate ad vaſtum huncce Epiſcopatum Benigna Mens Cæſareo-Regia eo directa fuit, ut pro Marmatia, Comitatu item Szathmarienſi, & Diſtrictibus Valachicis Epiſcopalis Vicarius cum 800. florenorum annuo Stipendio conſtituatur, erga Prætitulatæ nihilominus Dominationis Veſtræ projectum Clementer reſolvit Sacratiſsima Sua Majeſtas: Ut Vices Vicarii Epiſcopalis pro mentionatis Comitatibus, & Diſtrictibus

Paro-

Parochi Uniti Szighetienſis Michael Taraſſovits, & Szathmarienſis Alexius Bonyi partito inter ipſos 800. florenorum Stipendio ſuppleant; ita tamen, ne pro ampliori Stipendio aliquando recurre auſint, ſed Prætitulata Dominatio Veſtra ipſis providere teneatur, quos ſeorſivos 400. florenos prædicti Parochi a die aditi Muneris e Proventibus Vacantis Epiſcopatus Magno-Varadienſis participandos habebunt. Præterea penes Conſtitutum ad Latus Prætitulatæ Dominationis Veſtræ Capitulum congruam ſubſiſtentiam ſeptem Perſonarum Capitularium, & notanter Archi-Presbyteri, ſeu Decani in Annuis 1000. florenis. Præpoſiti in 900. florenis, Archi-Diaconi in 800. florenis, Eccleſiarchæ, ſeu Cuſtodis pariter in 800. florenis Scholaſtici in 700. florenis, Primicerii, ſeu Cantoris itidem in 700. florenis, denique Cartophilacis, ſeu Cancellarii in 600. florenis deſigere Clementer viſum fuit Altefatæ Suæ Majeſtati Sacratiſsimæ, ita quidem, ut ſingilativos 300. florenos, quos hactenus ſeptem Conſiſtoriales e Caſſa Parochorum percipiebant, ſeptem hi Capitulares quoque ex eodem Fundo, reſiduum vero ad Complementum emenſi proquolibet Stipendii e dictis vacantis Epiſcopatus Proventibus erga ſuas Quietantias in Angaricalibus ratis a 12. Julii A. C. levent; dein Eidem Prætitulatæ Dominationi Veſtræ pro intertentione Notarii, & Fiſcalis, nec non expenſis Scripturiſticis Annuos 500. florenos, pro Seminario Clericorum autem præter 2000. florenos hactenus ex Abbatia Tapolczenſi pro Menſa Epiſcopali deſtinata, alios adhuc 1000. florenos, adeoque inſimul 3000. florenos ex repetiti Epiſcopatus vacantis Pro-

ventibus æque a 12. Julii computando aſsignat Apoſtolica Sua Majeſtas; & quia Stipendia quoque 4. Profeſſorum, & quidem ordine primi in Annuis 500. florenis; aliorum trium vero in Annuis 400. florenis Clementer definiviſſet; ita 4. hi Profeſſores id, quod hactenus e Caſſa Parochorum in 300, & reſpective 150. florenis perceperunt, deinceps etiam ibidem, reſiduum vero ad complementum prædefiniti cujuslibet Stipendii e Proventibus Epiſcopatus Varadienſis a 12. Julii erga ſuas Quietantias levandum habebunt. In præmiſsis itaque conſiſtentem Benignam Reſolutionem Cæſareo-Regiam Capitulo M. Varadienſi pro effectuandorum effectuatione, ac reſpective Ordinanda prævia ratione diſpoſita ſolvendorum ſolutione ſub hodierno ab hinc intimatam Prætitulatæ quoque Dominationi Veſtræ pro Sui, eorumque, quorum intereſt, notitia, & directione perſcribendam duxit Conſilium hoc Locumtenentiale Regium. Datum ex Conſilio Regio Locumtenentiali Hungarico Poſonii die 5. Decembris Anno Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto celebrato. Prætitulatæ Dominationis Veſtræ Ad Officia paratus, & paratiſsimi: Albertus m. p. Franciſcus Skerlecz m. p. Michael Preſzeker m. p.

Illuſtri plurimum Reverendo, Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino Andreæ Bacsinſzky Græci Ritus Catholicorum Epiſcopo Munkacsienſi, Amico Nobis obſervandiſſimo. (L. S.) Præſentem Copiam cum ſuo vero Originali collatam, Eidemque conformem eſſe teſtor. Unghvarini 19. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

CAPUT V.

§. I.

De Introductione, ſeu Inſtallatione Venerabilis Capituli Munkacsienſis.

Inſtallatio Venerabilis Capituli Munkacs.

Solemnitas hæc Inſtallationis Præattacti Capituli hoc modo peracta eſt. Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Pii hujus nominis VI. Pontificis Maximi Anno Tertio, Auguſtæ MARIÆ THERESIÆ Imperatricis, ac Reginæ Apoſtolicæ, Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum Anno Trigeſimo ſeptimo; Auguſtiſsimi Romanorum Imperatoris Joſephi Secundi Imperii Anno duodecimo; Excellentiſsimi, Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi Domini Andreæ Bacsinſzky Epiſcopi Munkacsienſis Epiſcopatus ineunte Anno ſexto, die vigeſima quinta, ſtylo vero veteri die decima quarta Auguſti, incidente in diem Lunæ; in Vigiliam nempe Obdormitionis, ſeu Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis; cui Cathedralis Eccleſia Munkacsienſis dedicata habetur, a primis, iisque de Ritu Parvis Veſperis incœpit tot magnorum Piiſsimæ recordationis Anteceſſorum Epiſcoporum Munkacsienſium Ardentibus votis expetita, ſed usque in præſens, ad Feliciter nempe nunc Gubernantem Altetitulatum Excellentiſsimum, Illuſtriſsimum, ac Reverendiſsimum Dominum Andream, hujus Nominis Primum Epiſcopum Munkacsienſem intra ſolos Piiſsimi deſiderii Cancellas detenta, & Divina Ordinatione reſerata Venerabilis Capituli Munkacsienſis jam Anno ſuperiore 1776. per

Præ-

Prælibatum Præſulem in Perſona apud Thronum Regium Viennæ commorantem nunquam emoribilibus in perpetua Gratitudine Fatigiis procurata, ibidemque in Cancellaria Hungarico-Aulica ejusdem Anni 12. Junii publicata, ſed usque huc in omnium expectatione ſuſpenſa Ejusdem Venerabilis Capituli Munkacsienſis ſolennis Introductio, Publicatio, atque Inſtallatio, cujus, qualiter celebrati, ut Perenne Monumentum non modo mentibus, ſed & Litteris inpreſſum fideliter perduret; hic ſubſtrata circumſtantialis tunc Geſtorum adumbratio adjuvabit. Poſtquam nempe ad Præfixum præinſinuati Feſti Obdormitionis Beatæ Mariæ Virginis diem præter Neo-Introducendos, atque Inſtallandos Dominos Capitulares Copioſiſsimus, partim cum Foraneis Maramoroſienſi & Szathmarienſi Vicariis, partim cum ſuis Diſtrictualibus Pro-Archi-Diaconis honorabilis curatus Clerus ex Remotiſsimis, qua late patet, Amplæ Diœceſis Finibus, ex Ipſo adeo Neo-Incorporato Almæ Diœceſi Munkacsienſi I. Comitatu Tornenſi, ſignanter ex Poſſeſsionibus Horvathy, & Falucska huc præmature confluxiſſent, atque pridie Feſti pro primis Veſperis mox a Prandiis undequaque ſtudioſe conveniſſent, & præſtolabundi excubaſſent; tandem hora tertia pomeridiana dato primo majoris Campanæ Pulſu, Univerſa tam Senioris, quam & Junioris Cleri Multitudo verſus Septentrionalem Reſidentiæ Epiſcopalis Portam effundi, & congregari, nec non a præattacta Reſidentiæ Porta Cathedralem Eccleſiam verſus puplici denſiſsimo ordine Præſuleam Semitam ab utrinque ſæpire, atque ita veluti in Aciem diſpoſiti optatiſsimum ſuum Præſulem, animo & corpore in Reſidentiam

Circumſtantialis deſcribitus Geſtorum adumbratio ſub Inſtallationis Actu.

con-

converſis præſtolari cernebantur; Donec nempe primo Quadrante pro hora quarta dato Campanarum Pulſatoribus Præſulei Deſcenſus ſigno inter Compulſandum, præcedente lento paſſu in ſilentio Univerſa præinſinuati Cleri Multitudine, Excellentiſsimus Dominus Præſul, absque ullo alio Epiſcopali apparatu ſola Manthia Epiſcopali Cerulea indutus, ſequentibus a tergo Reverendiſsimis Dominis Capitularibus, nempe Reverendiſsimo Domino Andrea Zsettkey (qui ſolus prout hactenus: ita & nunc cum expoſitura Violacea Pallium habebat) cum Domino Reverendiſsimo Joanne Sztankovſzky, Domino Reverendiſsimo Joanne Paſztelyi, cum Reverendiſsimo Domino Gregorio Borovſzky, Domino Reverendiſsimo Alexio Ilkovits, cum Reverendiſsimis Dominis Joanne Boksay, & Demetrio Ivásko, Eccleſiam Cathedralem ingrederetur. Ubi illico aſſumpta, & præparata in ambone menſula Epiſcopali, idem prælibatus Præſul Primas Conventuales Veſperas abuſitata, Benedictus DEUS Noſter &c. Formula inchoavit continuatas de reliquo per Dominos Capitulares, bifariam alioquin in duos Choros diviſos: quibus terminatis inter utriusque acclamationem: Multos annos, eo quo prius, ordine ad Reſidentiam usque reditum eſt.

§ II. Die autem ſequenti ipſa ſolenni, ad quam alios Dedicatio Eccleſiæ, alios Publica futuræ hac die Inſtallationis V. Capituli Munkacsienſis Fama, alios denique, & plurimos Occaſio interventarum Annualium Nundinarum, aut ſi mavis, omnia hæc tria Inſolitam utriusque Ritus

Populi Multitudinem convocaverat, abſolutis per Reverendiſsimum Dominum Joannem Paſztelyi Nocturno, & Matutino: Poſteaquam omnia ad Lyturgiam Epiſcopalem ſolemnem, pro more adaptari, ac præparari ſolita requiſita jam ex toto hora 8. inſtructa haberentur, atque Suæ Præſuleæ Excellentiæ annunciarentur, ex tunc illico, ut primum ad gratioſum Mandatum major Campana primum pro Sacra Lyturgia pulſum inſonuit, mox Univerſus, qui aderat, Clerus hinc ex Reſidentia, inde ex Cathedrali Eccleſia, aut ne fors ex remotioribus ſtativis ſuis ad heſternam ſtationem ſuam properare, Populus autem utriusque Ritus ſeu in occurſum, ſive ad delectandos occulos, Noſter quidem ex Eccleſia, aut ex Domibus ſuis, Latinus vero ex Compitis, Tabernis, & Nundinis copioſiſsimo numero concurrere conſpiciebantur. Nec mora: non multo poſt enim Excellentiſsimus Dominus Præſul Rubro-Violacea, Camelaucio Manthia, & Paſtorali ornatus, eo quo pridie, Ordine Reverendiſsimis Dominis Neo-Inſtallandis Capitularibus ſtipatus, præcedentibus a Porta Reſidentiæ Ceroferariis ab obviis cum Incenſatione, & aqua Luſtrali, reliquis adſtantibus in Limine Eccleſiæ exceptus, inter concinendum: S i t N o m e n D o m i n i B e n e d i c t u m &c. ad ambonem usque eſt deductus; Hinc vero, poſteaquam conſuetas Lyturgiales ambonales Preces cum Prætitulatis Dominis Capitularibus, & adſtantibus perſolviſſet, ad Conſtructum in medio Eccleſiæ Epiſcopalem Thronum eſt regreſſus, ſuper quo conſidens, reſumpto aliquantisper ſpiritu, Eosdem ſæpefatos Capitulares, in duos veluti ramos a lateribus Throni Epi-

ſcopa-

ſcopalis verſus ambonem protenſos, & conſiſtentes ſic eſt affatus.

CAPUT VI.

§ I.

Allocutio.

Excellentiſsimi, Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi Domini Andreæ Bacsinſzky Epiſcopi Munkacsienſis ad Neo-Inſtallandum V. Capitulum Munkacsienſe.

Si forte ſua eſſe contentum, idem eſt, ac Felicem eſſe, Felix ſum, imo Feliciſsimus. Sors namque mea, ſed Divina jacta Manu, cecidit tam proſpere, ut illa non contentari, avartiæ, Faventiorem anhelare, intemperantiæ foret argumentum, Etenim:

Baculum Illum ſenectutis, quem magni Græegis, magni Paſtores tota retro ſerie Prædeceſſores mei Epiſcopi deſiderabant potius quam ſperabant, Ipſe nactus ſum, ſuperque eo jam jam fatiſcentes vires meas ſuſternatus reclino, nempe:

In ſextum jam Paſtoralis ſollicitudinis meæ annum ſiulto labore conſummebar, ſolus ſedens non raro Populo præſtolante de mane usque ad veſperam, cum Ecce!

Non Jethro Sacerdos Madian, ſed magna Maximorum Cæſarum Filia, Mater MARIA THERESIA Auguſta Imperatrix, ac Regina Apoſtolica non nudo Conſilio, verum Præſenti Auxilio me labeſcentem ſuffulcit.

Vos intelligo Gaudium meum, Novella Plantatio, Primitiæ Honorum, atque Sponſæ meæ, quæ nuper nonniſi de Thalamo ſuo ſurrexit, ex millibus electi Paranymphi, Fratres Chariſsimi, Venerabile Capitulum! Vos inquam, eſtis non Baculus ille Titubantis Tobiæ, ſed ſeptem Firmiſsimæ Columnæ, ſuper quibus Ducentorum, & amplius millium Myſticam Domum Regis cœleſtis æterna ſapientia, & Regis Terreſtris materna Clementia ædificare voluerunt. Quod, ut & vobis, & toti conſtet Publico Auguſta Dextera ſignata Diplomata reverenter audite. „ —

§ II. Quibus ita dictis, illico Dominus Joannes Kutka, Secretarius Epiſcopalis, & pro hoc actu Deputatus Notarius ad gratioſum Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Mandatum, ea, qua par eſt, cum promptitudine, & devotione acceſsi, (Verba ſunt Secretarii) & ſingula a Primo ſeorſive Diplomata, in manibus Domini Szathmarienſis Vicarii, toto Eccleſiaſtico Sacro veſtitu inter Adſtantes Honorarios induti, depoſita ex Præſulea, quam prius oſculo veneratus ſum, Dextera percepi, atque ex ambone clara, & diſtincta Voce Publicari, publicata vero rurſus in Præſuleas manus reſignavi, pro quibus Ordine, quo publicabantur Domini Capitulares ſucceſsive ad Excellentiſsimum Dominum Præſulem procedebant. Peracta autem Publicatione, & reſpective diſtributione Excellentiſsimus Dominus Præſul ex ſtallo ſuo aſſurrexit, atque aſſumpta rubri coloris Mytra, & Paſtorali hanc, quæ ſequitur Formulam Inſtallationis deprompſit.

§ III.

§ III. Ad Majorem Dei, Ter Optimi Maximi Gloriam, Beatiſsimæ ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ, cujus glorioſæ Aſſumptionis, cui Eccleſia hæc per Beatæ memoriæ Pontificem Optimum Maximum Clementem XIV. in Cathedralem erecta dedicata habetur, hodierna die ſolennitatem gaudioſe celebramus, Honorem, Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ exaltationem, nec non Almæ Diœceſis hujus noſtræ Munkacsienſis Spirituale emolumentum, & ornamentum, Vos, Veſtrumque ſingulos in Realem actualemque dignitatum honorem, officiorum, & Canonici Stalli competentiam Ordine, quo lecti, & publicati eſtis, nunc, cum Plenitudine Juris in Choro, vocis in Capitulo, atque ſeorſivæ quottæ in Canonica Proprietate introducimus, & Inſtallamus, & hoc: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c.

Ex tunc vero depoſitis Mytra, & Paſtorali, tam Ipſe Excellentiſsimus Dominus Præſul ſuper ſtallo ſuo ſedit, quam & Neo-Inſtallatos exhibito dextera ſua annutu ſuper præparatis ſeptem ſedilibus conſidere juſsit, atque interruptum prius ſermonem, ita continuavit:

§ IV. Dixeram vos, Chariſsimi Fratres, Novellam Plantationem, & Primitias Honorum, id tamen & Ipſe intelligo, & a vobis intelligi volo unice, & reſtricte ad Almam hanc Diœceſim noſtram Munkacsienſem, utut tria jam prope Sæcula antiquitate ſua exæquantem. Si enim non minus Docti, quam olim Sancti Orientis Thronos, & Cathedras ſuis Spiritualibus Magiſtratibus, quibus media ætas Capitu-

lorum Nomen indidit, caruiſſe ſupponerem, Veneranda Veterum monumenta me ne vidiſſe quidem proderem. Et ut de Honorifica Canonici Nomenclatione ex ſenſu Priſcorum ſentiamus, in eo ſita eſt: quod videlicet omnes Illi, qui ad cujuspiam Catholicæ, vel Magnæ (nunc Cathedralem dicimus) Eccleſiæ ſervitia adoptabantur, & ordinabantur Ejusdem Canoni, ſeu Matriculæ inſcribebantur. Unde: non extranei, non vagi, ſed Canonici Ejusdem Eccleſiæ Clerici compellabantur, ut ex Concilii Laod. Canon. 15. Niceni 16. Chalcedon. 10. pluribusque aliis clarum fit.

§ V. Ne autem a Canone derivatum commune omnibus Nomen, communem etiam Honoris, & Poteſtatis prærogativam ſecum traheret, factum eſt, ut Sacratiorem illum Epiſcoporum Magiſtratum ſoli Presbyteri, eorumque Miniſtri, Diaconi conſtituerent, ſicque corpus Myſticum cum Antiſtite ſuo qua Capite efformarent, in hoc ſenſu hortatur Magneſianos Apoſtolis Coætaneus S. Ignatius Martyr, ut videlicet „ in Dei concordia omnia agant, Epiſcopo præſidente „ Dei loco Presbyteris, loco Senatus Apoſtolici, Diaconis „ vero tanquam quibus commiſſum eſt, Jeſu Chriſti Mini- „ ſterium. " Nam ut idem S. ad Tratianos ſcribit: „ quid „ aliud eſt Epiſcopus, quam Is qui omni Principatu, & Po- „ teſtate Superior eſt, & quoad homini licet pro Viribus „ Immitator Chriſti Dei? Quid vero Sacerdotium aliud eſt, „ quam Sacer cætus, Conſiliarii, & Aſſeſſores Epiſcopi? „ Quid vero Diaconi quam Immitatores Angelicarum vir- „ tutum " S. vero Baſil. Epiſc. 81. vacat Presbyterii Urbis

Con-

Conſeſſum. S. demum Hieron. ut alios ſilentio prætercam, compellat Senatum: & nos inquit habemus in Eccleſia Senatum Noſtrum cætum Presbyterorum, quod Ipſum Noviſſime confirmat Sacra Oecum. Synodus Trid. Seſs. 24. cap. 12. de Reform.

§ VI. Ab Apoſtolorum itaque temporibus, Teſte D. Ignatio Martyre ſuos Eccleſiæ Cathedrales habebant Senatus, ſuos Epiſcopi Conſiliarios, & Aſſeſſores ſua denique Presbyteria, quæ ſubſequa ætas ex lectione idque certo tempore ac loco regulæ D. Benedicti Capitula vocare præelegit, & hæc eſt tam Canonicorum, quam Capitulorum in Eccleſia Univerſa non conjecturalis Origo. Hæc eſt hodiernæ ſolennitatis Noſtræ Materies; hæc ſortis meæ, quæ feliciſsimum facit complementum. Video enim in vobis, dilectæ Sponſæ meæ! Venerandum Presbyterium. Video Senatum meum virtute, Doctrina atque exantlatis laboribus ſupra ætatem Senem. Video Conſiliarios, ſedisque meæ Aſſeſſores. Video denique votorum meorum ſcopum, fatigiorum fructum, debiliumque virium usque dum vivam ſecurum fulcimentum, ideſt diu cupitum Capitulum, de cujus Oneroſo Honore (neque enim, aut cuique Veſtrum commenſurati honorum tituli voces ſunt tantum modo, quæ faſtum augeant, aut Auguſtæ Dexteræ largitas, quæ luxum foveat) Oportunius alias prolocuturus ſermonem meum non tam finio, quam interrumpo, nihi lalioquin dub tans quin vix non mole ſua laborantem Spiritualem Diœceſis noſtræ Domum, ut Immobiles ſeptem Columnæ nobiſcum non tantum

tum

tum ſitis ſuſtentaturi, verum etiam in Eadem, ut ſeptem Candelabra Aurea, ſeptem Donis Spiritus Sancti inflammata, Doctrinæ, atque Boni exempli lucem in quosvis ſparſuri; Sicque Unius Sanctæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: per Hæreſum, & Schismatum ſuppreſsionem, augmentum, per quotidianarum vero precum fervorem Munificentiſsimæ Fundatricis Incolumitatem, Auguſtæque Domus Auſtriacæ Indefectibilem Proſperitatem, ac denique Nobis per commodata Opera, & Conſilia Veſtra ſolatioſum Juvamen exoperaturi.

§ VII. Quibus verbis poſteaquam Excellentiſsimus Dominus Præſul ſermonem ſuum terminaſſet, Reverendisſimus Dominus Andreas Zsetkey C. E. M. Canonicus, & Archi-Presbyter, alias Præpoſitus major, ex ſtallo ſuo aſſurrexit, & ad ambonem paululum digreſſus nomine omnium ita ad Concionem dixit.

CAPUT VII.

§ I.

Dictio Reverendiſsimi Domini Andreæ Zsetkey Occaſione Introductionis V. Capituli Munkacsienſis.

DICTIO D. Andreæ Zsetkey, Præpoſiti. Duo omnium maxime ab Immortali Numine cum Patribus Noſtris precati ſumus, Excellentiſsime, Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Domine Epiſcope Prælate; Alterum: ut Epiſcopatu Munkacsienſi Authoritate Sacræ Sedis Apoſtoli-

ſtolicæ firmato, & Canoniſato exiſtente Univerſa illa, quæ uti magnorum Antiſtitum Paſtorale munus; ita Clerum, & Populum dici, multumque reddebant ſollicitum pro communi tranquilitate, proque Almæ Diœceſis hujus inclinatæ, ac prope jacentis profectu differentiarum argumenta ſublata, tandem læti ſpectaremus; Alterum: ut Capitulum, quod Decus, & Ornamentum eſt Cathedralis Eccleſiæ, perinde Summi Terræ Principis Poteſtate erigeretur, ſtabiliretur, perpetuitateque donaretur.

Et illius quidem voti anno 1771. decima nona Kal. Januar. cum Bullas Canoniſationis Clero, Populoque diſtinctiori cum Devotione Altiſsimi laudes Concinentibus, proque Sanctitate Sua, atque Auguſtiſsimis Majeſtatibus ardentes in Communi preces fundentibus, palam productas cerneremus, cumulatiſsime nos damnatos ſenſimus; Iſtius vero hac Ipſa die, qua quidquid adhuc Auguſti Favoris abs Clementiſsima Domina Regina Apoſtolica MARIA THERESIA in Sacram Ruthenorum Rempublicam profluxit, uno velut obtutu conſpiciendum omnibus offerretur, hac inquam Ipſa die Deſideratiſsimi Iſtius voti nos reos gaudiis exultantes, animisque hilares intueremur. Optabant equidem dudum zeloſiſsimi omnes Munkacsienſium Antiſtitum utrumque perficere, nervisque omnibus in id contenderunt, ut Eccleſia hæc Munkacsienſis in Cathedralis Eccleſiæ dignitatem eveheretur, tamen iſtud, quidquid Conniteretur, diu effici non potuit.

§ II. Agrienſium Præſulum, Eorumque Defenſorum nonnullæ, quibus tam ſalutare Opus antevertere fruſtra conati ſunt, Prætenſiones, Validiſsimis, aut Illuſtrare, aut penitus diluere rationibus ante omnia neceſſum fuit, ac propterea res tota intra pios duntaxat Conatus, & ardentia vota conſtiterat, neque quod Publica Deſideria, expectationemque tunc quidem, & poterat, & debebat beare, Patribus Noſtris, temporibus illis eſt conceſſum.

Etenim Glorioſiſsimæ MARIÆ THERESIÆ Reginæ Apoſtolicæ, & magnæ Matri Noſtræ evictæ Bonæ cauſæ gloriam Deus O. M. ſervavit, expectationemque totius Europæ Opinione ſerius finivit. Auguſta ſiquidem Domina Noſtra, ut primum cauſam Ruthenorum, ad ſe delatam penitius ſcrutata intellexerunt: Nationem Ruthenam in tribus, & decem Imperio ſuo ſubjectis Comitatibus, tum Numero copioſiſsimam, cum & Coronæ Regni Coævam non modo in Fide Romano-Catholica (ſi vexatio deſit) conſtantiſsimam fuiſſe; verum etiam ad Homagia Regia illibata Fide præſtanda promptiſsimam perſiſteret, qualem ſemper Auſtriacæ Domui in Maximis quibusque ærumnis, & revolutionibus ſeſe conſtanter exhibuit: Neceſſe, atque e Catholicæ Religionis eſſe, ut Epiſcopatus Munkacsienſis poſtliminio in integrum reſtituatur, Sapientiſsime concluſit; Tum de Juribus Apoſtolici Regis altius ac Deceſſores ſui edocta, & in ordinandis Eccleſiis jam inde a Glorioſiſsimo primo Hungarorum Rege Divo Stephano Jure, velut per manus ſibi tradito uſa, quod pro Zelo Apoſtolico Regio in

ani-

animo concepit, id pro Poteſtatis Regio-Apoſtolicæ plenitudine effecit.

Vice nempe Pontificia Epiſcopatum Munkacsienſem erigendum Benigniſsime ordinavit, magnumque Præſulem Joannem eidem præeſſe voluit, Illum, inquam, Joannem „ qui eruit nos de ſervitute, ac redemit in Brachio Excel- „ ſo, & Judiciis Magnis, & aſſumpſit nos ſibi in Populum " Eundem Illum, ut per Bonos Omnes; ita peculiariter per me, in Benedictione memorandum Joannem Bradács Munkacsienſium Antiſtitem Anno 1767. Clementiſsime denominavit. Præclarum vero Juſtiſsimumque hunc Imperatricis, atque Reginæ Noſtræ Zelum, Supremum Eccleſiæ Caput Jeſu Chriſti in Terris Vicarius Clemens XIV. mirifice probavit, atque continuo confirmavit, probe gnarus per Ordinariam Diœceſanorum Præſulum Jurisdictionem in Orientali Eccleſia Fidem quoque Orthodoxam ampliatum iri.

§ III. Impenſius itaque nos hodie oportet primum Deo „ a quo Donum, datumque omne deſcendit optimum " tum & Tibi MARIA THERESIA Sapientiſsima, & Amantiſsima Mater Noſtra, quam Ille Suæ in Nos Beneficentiæ Miniſtram elegit, Gratias perſolvere, ſimulque vota ſuperis facere, ut, qua fruimur abſoluta numeris omnibus felicitate, eam perennem eſſe nobis, Populo, univerſæ Diœceſi bene vertere jubeant, velintque. Atque tibi quidem Largitor omnis proſperitatis Deus Optime, Maxime ſolemnibus Hoſtiis ad Aras nunc litabimus, &, quod fieri alia ratione nulla poterit, Ipſius Hoſtiæ infinito pretio debitum omne

 dilue-

diluemus; & cumprimis precati, ut, quam nobis certum propitiæ erga nos voluntatis Tuæ Pignus largitus es Principem non magis Majeſtate Dominam, quam Munifica Clementia Matrem optimam una cum Auguſtiſsimo Imperatore JOSEPHO, cunctaque Auguſta ſobole, ſpe, ac Regnorum Deliciis diu Soſpitem, Victricem, felicem ſerves. Tibi vero Auguſta! Tibi inquam Auguſtiſsima Domina, quas rependamus gratias, omnino non invenimus, ſiquidem quod immani Calamitate preſsis nonnunquam eveniſſe legimus, ut iis ſummus dolor ſiſteret lachrimas, quas mediocris antea copioſas eliciebat, hoc ipſum, quamquam in cauſa longe diſpari, ſibi accidiſſe ſentit hoc novellum Capitulum Noſtrum, nimirum: ut qui nullius quoquo modo de ſe meriti, Nomen emori unquam paſsi ſunt Rutheni, iis ad commemoranda Tua hæc Immortalia erga ſe Beneficia, quibus ſe inſtauratos, ornatos, bonis omnibus ditatos vident, pene etiam verba deſunt. Obruiſti nos plane donis tuis, dumque non quid nos mereamur accipere, ſed quid Te pro incredibili Tuo in Nationem Ruthenam, amore largiri debeat, reſpexiſti, tantum non ſtupore elingues nos feciſti. Neque vero nos modo, quamquam in Noſtras potiſsimum manus Tua hæc dona effundis, ſed una Nobiſcum omnem Diœceſim Munkacsienſem, cujus diuturnum illud, & longe acerbiſsimum vulnus quo dudum laborabat, uno hoc Inſtituto Tuo penitus potuit conſanari; primæ Tibi Materna, qua pro Regnis Tuis dies, noctesque vigilas, ſollicitudo eam mentem injecit, ut hanc á Munkacsienſi Clero Maculam abſtergere, hanc expungere Notam decerneres. Tibi nimirum

ſer-

ſervata eſt hæc Gloria, Te novellum hoc Capitulum Noſtrum Famæ ſuæ vindicem, Te plenæ felicitatis Aſſertricem, Te immortalis ad omnes gentes proferendi Nominis Authorem expectavit.

Atque ego quidem nolim hic pronuntiare, quam Miſer Clerus Munkacsienſis hucusque expectando fuerat; id unum fidenter aſſeram: Si Ritus Græco-Catholicus in Hungaria ad eam, qua hodie fruitur Gloriam pertingere niſi tamdiu expectando non poterat, tanti fuit expectare. Pro his igitur tam copioſis, tam præclaris, tam longe meritum omne Noſtrum, ſemperque ſuperantibus Benefactis, quibus O. Auguſta! Capitulum Noſtrum, atque in eo omnem Clerum cumulaſti, pro his inquam, Gratiis O. Regina Reginarum optima, maxima! Tibi gratiæ ter maximæ Immortales! & habebis Illas perſecuturam omnium Poſterorum ætatem Conſtantiſsime, Tuus namque Zelus, quo Epiſcopatus poſtliminio Juribus ſuis reſtituis, nova Capitulorum Collegia exſuſcitas, atque ſic hoſtium Fidei vires perfringis, Catholicorum Fiduciam erigis, vigebit memoria Sæculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper intuebitur. Vivent nimirum in Te Clodovæi, Pipini, Caroli M. Vivent Conſtantini, & Stephani, & Tu vives Ipſa, in Te; Vives apud Capitulum Noſtrum, vives apud univerſam Gentem Ruthenam, etiam tunc niſi eloquentia ſuccidat luctus cum inimica fatorum invidia occulis noſtris Te ſublatam in Regalium Tumulo cinerum ſuaviſsima amplexabitur quies; Amor quippe Ruthenorum in corde ſuo Tibi Mauſoleum eriget, & Pietas æterno Sacrorum libamine parentabit, ut

MARIA THERESIA, quæ mortalitatem pertæſa, Clientum in Terris Mater eſſe deſiit, potenter in Cœlis agat ſuorum advocatam.

§ IV. Jam ad Te mea ſe convertit Oratio Excellentiſſime Domine Præſul! Profecto ſatis ſuperque omnium ore celebrantur Præcellentes Tui animi dotes, & in paucis Egregia merita, quibus tamquam gradibus Honorem Conſcendiſti nolim tamen exiſtentes me hodierna die temeritate quadam velle in immenſum hoc Mare ingredi, unde & difficillime evadere, atque enatare poſsit Oratio & Paſtoralis Tua, qua jure tibi debita omnia refugis encomia, jacturam aut injuriam ſubiret modeſtia. Prætermiſsis itaque quam plurimis, quæ ſive ad tuendam, ſive ad augendam Diœceſcos Tuæ, dignitatem præclariſsime geſiſti, celeberrimarum virtutum facinoribus, hoc unum, quod ad ſummam hujus diei celebritatem pertinet, non poſſum non in medium proferre: perrarum ſcilicet maximum, incredibilem tuum ergà nos amorem. Atque utinam mihi tanta vis ingenii, tanta dicendi facultas ineſſet, ut illum vivis eloquentiæ coloribus ſi non exprimere, at ſaltem adumbrare poſsim. Cathedram quippe Munkacsienſem adeptus nihil tibi agendum potius judicaſti, ac ut Optimos Tuorum Anteceſſorum conatus promoveres: Vidiſti Cathedralem Eccleſiam Tuam Canonicorum Collegio nondum decoratam eſſe, huic incomodo ut Succurreres, non diſtuliſti adire Sereniſsimam Reginam Apoſtolicam, Ejusque Supremam, qua velut Rex Apoſtolicus in ordinandis Hyerarchiis utitur, Poteſta-

tem

tem implorare, implorando e ſeptem Conſiſtorialibus totidem Canonicos Decretales nos optinuiſti, vidiſti, nos afflictos, & pene omni vivendi medio deſtitutos, iterum Auguſtiſsimæ Dominæ Principis Clementiſsimæ Regiam Munificentiam fatigare non deſtitiſti usque quo gratia Illa, qua unus Tu Antiſtitum Græci, Ritus Catholicorum omnium apud Auguſtam maxime flores (encomiorum hoc compendium eſt omnium, virtutisque probatæ argumentum) velut alter Pater Filiis diurnum, quo egebamus denarium provide procuraſti: Qua una præclariſsima Paterno-Præſulea cura, & ſollicitudine de nobis, deque omni Poſterorum memoria ſic es optime meritus, ut quamquam perennis duratura ſit tanti Beneficii recordatio, nunquam tamen pari poſsit Preconio celebrari. Hoc uno opere omnium vota exhauſiſti, omnium deſideria conſumpſiſti, occupaſti, famam hominum, & Publica Judicia, atque ad æternæ famæ templum evocaſti. Quid igitur mirum, ſi una omnium Noſtrum, imo omnium Fidelium Tuorum vox eſſe videatur illa, habemus Pontificem, qui poſsit compati infirmitatibus Noſtris?

Habes itaque Excellentiſsime Domine Præſul omnium Nomine Gratias immortales. Hoc unum eſt, quod tanto Tuo Beneficio poſſumus rependere, æquare gratiam, neque poſſumus unquam, neque Tua eſſet ſi poſſemus. Spondemus tamen toto nos apud Superos, quorum Te Tua dignum cenſuit virtus preconio, pro Tua deprecatores fore incolumitate: ut Tuum cum Plasma ſumus, ut quæ deinceps ſperare poſſumus non niſi per Te ſecundum Deum

no-

nobis danda exiſtimamus, longeva Gloria tempus omne ſuperes. Vive igitur Præſul maxime! vive Tibi! vive Tuis! vive Pater optime, Patrone, Protector vive! & qua Tuos frui feciſci, fruere felicitate. Nos propius Tui ſumus, a Te pro Te ſapere volumus! Tecum pro Te velle cupimus; Salus noſtra in manu Tua eſt: reſpice nos tantum Excellentiſsime Præſul! & læti ſerviemus Tibi. Dixi.

Quo dicto immediate Canticum gratiarum Actorium: Gloria in Excelſis Deo: Communi omnium Concentu inſonuit, & decantatum eſt, & eo terminato ſolennis ſucceſsit Lyturgia Epiſcopalis concelebrantibus Epiſcopo omnibus Capitularibus. Die 28. ſub Præſidio Excellentiſsimi Domini Præſulis celebratum fuit Conſiſtorium primum, ſub quo Domini ſeptem Conſiſtoriales iſthoc depoſuerunt

Juramentum.

§ V.

Ego N. N. Cathedralis Eccleſiæ Munkacsienſis Canonicus, qua tamen Conſiſtorialis Excellentiſsimi, Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi Domini Andreæ Bacsinſzky Epiſcopi Munkacsienſis Juro per Deum vivum SS. Trinitatem, B. M. V. & omnes Sanctos, quod Conſiſtoria, per Eundem Altetitulatum Præſulem, vel ejus Vicarium indicenda, accurate frequentabo, negotia in Iisdem tractanda, aut mihi ſeorſive committenda, diligenter, ſincere, & quibus par eſt viribus pertractabo, ac elaborabo, tractata in Iisdem Conſilia, & Secreta mihi ſeu palam in Conſiſtorio,

ſive

ſive privatim Manifeſta ad Ejusdem, detrimentum nulli pandam; imo Eadem altiſsimum tacebo, honorem, & emolumentum tam Epiſcopi, quam univerſæ Diœceſis omni ſtudio tuebor, & promovere ſatagam; pro ut & amorem, ac debitam harmoniam cum omnibus Conſiſtorialibus ſtudioſe fovebo, ſuper quibus prout fideliter, & ſincere juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

CAPUT VIII.

§ I.

Inter Diplomata ſeu Collationales Regias, quæ occaſione Inſtallationis, præattacti Capituli lectæ & publicatæ erant, Primo-Primæ Reverendiſsimum Dominum Andream Zsetkey, Cathedralis Eccleſiæ Munkacsienſis Archi-Presbyterum, ſive Decanum, ſeu Præpoſitum Majorem, & Canonicum concernentes ita ſonant:

NOS MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ &c. Regina Apoſtolica; Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Magna Princeps Tranſylvaniæ; Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Vidua Dux Lotharingiæ, & Barri, Magna Dux Hetruriæ &c. Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit Univerſis: Quod Nos in Benignam ſummentes Reflexionem præclaras virtutes, laudatosque, & acceptabiles mores, ſingularem item Doctrinam, & Eru-

ditionem, ceterasque eximias animi Dotes, & qualitates Fidelis Noſtri Andreæ Zsetkey, hactenus Archi-Diaconi Cathedralis, & una Conſiſtorialis, nec non Vicarii, ac Cauſarum Auditoris Generalis, quibus Ipſum DEI Altiſsimi Munere inſignitum, & ornatum eſſe ex fidedigno nonnullorum Fidelium Noſtrorum Teſtimonio benigne cognovimus, tum igitur ob id, cum vero habita Clementiſsima Reflexione Meritorum, ſibi in Vinea Domini comparatorum Eundem Andream Zsetkey tamquam Perſonam idoneam, & de Eccleſia DEI bene meritam, Nobisque hoc nomine gratam, & acceptam, accedente etiam humillima Fidelis noſtri Nobis Dileeti Reverendi Andreæ Bacsinſzky Epiſcopi Munkacsienſis Commendatione ad Manus Archi-Presbyteri, ſeu Decani, Græco-Catholicæ Eccleſiæ Cathedralis, & Capituli Munkacsienſis, per Nos Clementer conſtituti Authoritate Juris Patronatus Noſtri Regii, quod generaliter in omnibus præfati Regni Noſtri Hungariæ, & Partium Eidem adnexarum Eccleſiis, Earumque Beneficiis adinſtar Divorum quondam Hungariæ Regum Noſtrorum videlicet glorioſæ memoriæ Prædeceſſorum optimo Jure habere, & exercere dignoſcimur, duximus eligendum, nominandum, & præſentandum, eundemque Archi-Presbyteratum, ſeu Decanatum cum emenſo eatenus Annuo Mille Florenorum ſalario, & ſimul cum aliis quoque quibusvis Obventionibus, Emolumentis, & Proventibus dandum, & conferendum. Imo eligimus, nominamus, & conferimus Præſentium per vigorem. Quocirca Vobis Fidelibus Noſtris Honorabilibus, Præpoſito Archi-Diacono, Eccleſiarchæ

ſeu

ſeu Cuſtodi, Scholaſtico, Primicerio, ſeu Cantori, Cartophilaci, ſeu Cancellario, ac reliquis Beneficiatis, totique Clero dictæ Eccleſiæ Munkacsienſis harum ſerie firmiter committimus, & mandamus, quatenus a modo in poſterum præfatum Andream Zsetkey pro Veſtro vero, legitimo, & indubitato Archi-Presbytero, ſive Decano habere, & recognoſcere, Eundemque ad antelatum Archi-Presbyteratum, ſive Decanatum ſervatis de Jure ſervandis Canonice inſtituere, ac in realem, actualemque, & pacificam Poſſeſsionem admittere, Stallum Archi-Presbytero, ſeu Decano competens in Choro, Vocem in Capitulo cum plenitudine Juris aſsignare, ac univerſis Proventibus, & Reditibus Ejusdem Archi-Presbyteratus ſive Decanatus Ipſi, & nemini alteri reſpondere, ac per eos, quorum intereſt, aut intererit reſponderi facere modis omnibus debeatis, Locis debitis, & Temporibus ſemper oportunis; Præſentibus perlectis, Exhibenti reſtitutis. Datum in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ, die Vigeſima quinta Menſis Octobris, Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Regnorum Noſtrorum Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum Anno Trigeſimo ſeptimo, MARIA THERESIA m. p. Comes Franciſcus Eſzterházy m. p. Joſephus Jablanczy m. p.

§ II. Similes Collationales pro reliquis Canonicis clementer elargitæ, quibus eorum merita, virtutes, doctrina, aliæque animæ dotes officia item cum concernentibus Stipendiis exaſsignatis recenſentur, pariter lectæ, & publicatæ erant.

Denique Dominus Archi - Presbyter, ſeu Præpoſitus Major Andreas Zsetkey etiam titulo Abbatis ſucceſſu temporis condecoratus fuit perhibente Diplomate, quod ita ſonat:

NOS JOSEPHUS SECUNDUS DEI Gratia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, &c. Rex Apoſtolicus Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, & Lotharingiæ, Magnus Dux Hetruriæ, Magnus Princeps Tranſylvaniæ, Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ, Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus Tenore Præſentium ſignificantes, quibus expedit Univerſis: quod Nos inducti præclaris Virtutibus ſingulari item doctrina, ac eruditione, & exemplaris vitæ converſatione, cæteriſve eximiis animi dotibus, & qualitatibus Fidelis Noſtri honorabilis Andreæ Zsetkey, Cathedralis Eccleſiæ Græco-Catholicæ Munkacsienſis Archi-Presbyteri, ſive Præpoſiti Majoris, quibus Ipſum ab Altiſsimo inſignitum, & ornatum eſſe ex Fide digna nonnullorum Fidelium Noſtrorum Relatione benigne cognovimus, ſed, & in peculiarem Reflexionem ſumentes ſedulam juxta, ac indefeſſam ipſius in cura animarum decurſu plurium Annorum prouti in ipſo Capitulo inpenſam operam Eundem Andream Zsetkey, tamquam Perſonam idoneam, & de Eccleſia DEI bene meritam, Nobisque hoc nomine gratam, & acceptam ad Abbatiam Sancti Demetrii de Syrmio, prius in Diœceſi Quinque Eccleſienſi, jam vero Syrmienſi ſitam, adeoque ſub Jurisdictione Sacræ memorati Regni Noſtri Hungariæ

Coro-

Coronæ exiſtentem, nunc per mortem, & ex hac vita deceſſum Honorabilis Pauli Bartakovics, nunc fatæ Abbatiæ ultimi veri, ac legitimi Poſſeſſoris de Jure, & de facto vacantem Authoritate Juris Patronatus Noſtri Regii, quod Generaliter in omnibus prælibati Regni Noſtri Hungariæ, & Partium ei adnexarum Eccleſiis, earumque Beneficiis inſtar Divorum quondam Hungariæ Regum Noſtrorum videlicet glorioſæ reminiſcentiæ Prædeceſſorum optimo Jure habere, & exercere dignoſcimur eligendum, & nominandum, ipſique antelatam Abbatiam Sancti Demetrii de Syrmio ſimul cum cunctis illius Caſtris, Caſtellis, Oppidis, Poſſeſsionibus, Villis, Prædiis, ac aliis quibusvis Juribus Poſſeſsionariis, eorumque Proventibus, Obventionibus, & Emolumentis ad Eandem Abbatiam de Jure, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus dandam, & confirmandam, Ipſumque ei, cujus intereſt pro conſequenda Canonica Benedictione præſentandum eſſe duximus; Imo eligimus, nominamus, damusque, conferimus, & præſentamus harum Noſtrarum Vigore, & Teſtimonio Litterarum mediante. Datum in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ die octava Menſis Februarii Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo octuageſimo ſecundo. Regnorum Noſtrorum Romani decimo ſeptimo; Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum Anno ſecundo. JOSEPHUS m. p. Comes Franciſcus Eſzterházy, Joſephus Gaſzner (L. S.) inſertum in Officio regeſtrat. Libro Benignarum Collationalium folio 327.

CAPUT IX.

De Sedis Epiſcopalis Munkacsino ad Camerale Oppidum Unghvar

TRANSLATIONE.

§ I.

Erecto, & per Pontificiam Canoniſationem reſtabilito, Juribusque ſuis reſtituto Epiſcopatu Munkacsienſi, neceſſe erat pro Sede Epiſcopali etiam locum idoneum defigi ac determinari, atque hunc pro habitatione tam Epiſcopi, Clerique Cathedralis, quam etiam Seminario Cleri junioris neceſſariis commoditatibus provideri. Etſiquidem Oppidum Munkacs exiguum foret, & pro tam amplis ædificiis recipiendis minus ſufficiens haberetur, illudque quaſi in abdito locatum, Juris etiam alieni ac privati exiſteret; his aliisque gravibus de cauſis placuit Auguſtæ Dominæ MARIÆ THERESIÆ Munkacsino Sedem Epiſcopalem ad Camerale Oppidum Unghvar benigne transferre, vel ex eo præcipue, quod in Anno adhuc 1773. ſuppreſſo Societatis Jeſu Ordine vacuum Collegium pro Reſidentia Epiſcopali, & Templum pro Eccleſia Cathedrali, ac etiam Arcenſe ædificium pro Seminario junioris Cleri, facili negotio adaptabilia, ibidem præexiſterent.

§ II. Quæ proinde cuncta hæc ædificia cum eorundem appertinentiis penes Clementem altefatæ Regiæ Majeſtatis

Anno

Anno 1775. interventam reſolutionem per Regios Commiſſarios, ex parte Politica: Illuſtriſsimum Dominum Comitem Joannem Philippum Sztaray, Inclyti Comitatus Unghvarienſis Supremum Comitem: Ex parte Cameratica: Spectabilem, ac Magnificum Dominum Sigismundum Péchy, Scepuſienſis Adminiſtrationis Adminiſtratorem, ac Conſiliarium: Nec non ex parte Eccleſiaſtica Reverendiſsimum Dominum Emericum Horváth, Cathed. Eccl. Agrienſis Canonicum, & Parochum Mezö-Tarkanyienſem. Præſentibus de Clero Græco-Catholico videlicet Reverendiſsimis Dominis Conſiſtorialibus: Andrea Zsetkey, Vicario & cauſarum Auditore Generali, pro tunc Archi-Diacono Cathedrali: Joanne Bokſay, Parocho Munkacsienſi & Inclyti Comitatus Sároſsienſis Archi-Diacono: Joanne Sztankovſzky, Parocho Unghvarienſi, & ejusdem Comitatus Archi-Diacono: Joanne Paſztelyi, Comitatus Zemplinienſis Archi-Diacono: Alexio Ilkovits, Comitatus Beregienſis Archi-Diacono: Admodum Reverendis Dominis Daniele Babilovits, & Joanne Koptsay, Scholarum Munkacsienſium Profeſſoribus: atque aliis quamplurimis tam de Clero Latino quam de Clero Græco-Catholico Dominis Parochis: ac denique coram tota Inclyta Univerſitate Comitatus Unghvarienſis effective tradita, & reſignata ſunt Excellentiſsimo Domino moderno Præſuli Munkacsienſi Andreæ Bacsinſzky, cuncta prærepetita ædificia juxta tenorem Intimati Excelſi Conſilii Regii Locumtenentialis Hungarici Poſonii ſub dato diei 6. Menſis Junii Anno 1775. gratioſe emanati. Quod ita ſonat:

Illu-

Illuſtris, plurimum Reverende, Amice, Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Domine Nobis obſervandiſsime!

Intimatum ſuper Reſolutione Collegii & Templi Jeſuitarum Arcisque Unghvar.

§ III. In merito Scholarum, & Collegii Unghvarienſis, ad abolitam Societatem antehac pertinentium, an, & qualiter in uſus eorſum transferendorum Sedis Epiſcopalis Græci Ritus Catholici Munkacsienſis, & Cleri ejusdem Ritus Junioris Seminarii, nec non pro Scholis tam Latini, quam, & præfati Græci Ritus Catholicis adaptandorum Prætitulatæ Dominationis Veſtræ ſub 15. Octobris Anno ſuperiore exaratas Litteras Conſilium hoc Locumtenentiale Regium Suæ Majeſtati Sacratiſsimæ demiſſe repræſentavit. Et quia expenſis hanc in rem Circumſtantiis, promotionem quoque Sacræ Unionis reſpicientibus Prætitulatam Dominationem Veſtram e moderna ſtatione ſua Unghvarinum ea ratione transferendam clementer reſolvere dignata fuiſſet Alteſata Sua Majeſtas; ut Unghvarienſe Collegium extinctæ Societatis pro Habitatione ſua, & reſpective Cleri ſui, in quantum ſaltem ibidem accommodari poſſet, aſsignetur, Eccleſia autem æque abolitæ Societatis illic exiſtens Eidem Prætitulatæ Dominationi Veſtræ pro Cathedrali Eccleſia reſignetur, pro Seminario porro Cleri junioris Arcenſe ædificium applicetur, quin alterius Contignationis Elevatio, & Erectio propterea neceſſaria ſit; quantum ad Scholas, hæ penes interimalem Benignam Proviſionem Regiam usque dum univerſale Planum pro univerſo Regno elaboratum fuerit, in ſtatu quo maneant, pro Profeſſoribus autem illic requiſitis Presbyteri Latini, ac pro re nata, etiam Græci Ritus Catholici, imo

Sæcu-

Sæculares quoque Perſonæ adhiberi valeant, ita tamen, ut ſubjecta hunc in finem per concurſum ſemper deligenda pro Benigna Ratificatione medio Conſilii hujus Locumtenentialis Regii Suæ Majeſtati Sacratiſsimæ demiſſe proponi debeant; Salariis Profeſſorum interimaliter Benigne conſtitutis, uberius etiam ex Fundo Jeſuitico dependendis, per conſequens Bonis, ac cæteris etiam præfati Collegii Facultatibus penes interimalem adminiſtrationis Proviſionem eo usque relinquendis, donec videlicet Univerſa abolitæ Societatis ſubſtantia ſtatui Politico effective reſignata fuerit; eo præterea huc addito: quod Prætitulatæ Dominationi Veſtræ Fiſcalem quoque Poſſeſsionem Palagy pro Fundo conſervationis Sartorum, Tectorum futuræ ſuæ Reſidentiæ, & Cathedralis Eccleſiæ Benigne contulerit Eadem Altefata Sua Majeſtas.

Ex eo itaque Benignam hancce Reſolutionem ſuam ea ratione effectuari vult Summe fata Sua Majeſtas Sacratiſsima: Ut Reſignatio præmemoratorum ædificiorum per Cameralem Commiſſarium, adjuncto etiam Politico, & Eccleſiaſtico Commiſſario Prætitulatæ Dominationi Veſtræ, aut Ejusdem Mandatario in præfigendo proximius certo termino fiat, & quidem cum omnibus illic exiſtentibus utenſilibus, Libris, & id genus aliis, quæ in uſus ſuos deſervire poſſent, huic autem reſignanti Camerali Commiſſario Regio una incumbat, in ſuprafato Collegio, & Eccleſia pro Reſidentia Epiſcopali requiſitas adoptationes, & communicationes, præterea vero Eccleſiæ Rituum, & Ceremoniarum Græci Ritus Uniti inſtructionem, prout & adaptationem ædificii Arcenſis pro Seminario Cleri Munkacsienſis ex Fundo Camerali inſtituen-

das, cum ſæpetitulata Dominatione Veſtra, aut ejusdem Mandatario concertare, & ad effectum ejus debitas etiam Diſpoſitiones ſtatim facere; quantum porro ad reſignationem Eccleſiæ ratione ſpiritualium, & mobilium Eccleſiaſticorum in Græco Ritu non Uſualium, hæc penes ſpecificam conſignationem in præſentia Commiſſarii Eccleſiaſtici faciendam, ſub curam localis Parochi Latini Ritus transferantur.

Ac quemadmodum Conſilium hoc Locumtenentiale Regium ea parte Politica pro Cammiſſario Regio Dominum Comitatus Unghvarienſis Supremum Comitem denominando una Eidem ſub hodierno Intimato, ut determino pro Benigne diſpoſita præattactorum ædificiorum receptione præfigendo, cum Domino Commiſſario Camerali, pro quo Camera Regia Hungarico-Aulica Dominum Sigismundum Péchy, Adminiſtrationis Cameralis Caſſovienſis Adminiſtratorem conſtituit, conveniat, eatenusque Prætitulatam Dominationem Veſtram edoceat, atque ad effectum præmiſſorum agenda agat, ſuamque deſuper Relationem facturus, ita id ipſum Prætitulatæ Dominationi Veſtræ pro eo perſcribendum eſſe duxit Idem iſthoc Conſilium Locumtenentiale Regium: quatenus pro termino, per antelatum Dominum Commiſſarium Politicum conſtituendo, ſeu perſe, ſeu vero medio Mandatarii ſui comparere noverit, Præattacta Benigna Reſolutione Regia Domino Epiſcopo Agrienſi pro eo, ut Hominem ſuæ Diœceſeos debite inſtructum deputet, & exmittat, æque ſub hodierno Intimato exiſtente. Datum ex Conſilio Regio Locumtenentiali Hungarico. Poſonii die ſexta Menſis Junii, Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo

teſimo

teſimo ſeptuageſimo quinto celebrato. Prætitulatæ Dominationis Veſtræ ad Officia paratus, & paratiſsimi. Albertus m.p. Franciſcus Skerlecz m.p. Emericus Beöthy m. p.

CAPUT X.

Sequitur Inſtrumentum Reſignationis, & Receptionis præmiſſorum ædificiorum. Quod ita ſonat:

§ I. Sereniſsime Dux Regie Locumtenens, Excelſumque Conſilium Regium Locumtenentiale Hungaricum Domine, Domini, Benigniſsime, Gratioſiſsimi, Colendiſsimi! In conformitate, ac ad exigentiam Benigno Gratioſi Serenitatis Veſtræ Regiæ, & Excelſi Conſilii Regii Locumtenentialis Hungarici, in merito Scholarum, & Collegii Unghvarienſis ad abolitam Societatem ante hac pertinentium, in uſus eorſum transferendorum Sedis Epiſcopalis Græci Ritus Catholici Munkacsienſis, & Cleri ejusdem Ritus Junioris Seminarii, ac Scholarum ſub ſexta proxime transacti Menſis Junii Anni volventis 1775. ac numero 2343. expediti Intimati, Clementiſsimam Ordinationem Regiam in eo continentis, quo Prætitulatum Dominum Epiſcopum Munkacsienſem e Moderna Statione ſua Unghvarinum ea ratione transferendum Clementer reſolvere dignata fuiſſet Sua Majeſtas Sacratiſsima, ut Unghvarienſe Collegium exſtinctæ Societatis pro habitatione ſua, & reſpective Cleri ſui, in quantum illic accomodari poſſet, una cum Eccleſia æque abolitæ Societatis pro Cathedrali Eccleſia aſsignetur: Pro Seminario

porro Cleri Junioris Arcenſe ædificium applicetur; quin tamen alterius Condignationis elevatio, & erectio propterea neceſſaria ſit. Scholis penes interimalem proviſionem Regiam, ad Caſum Univerſalis plani elaborandi ſuo in ſtatu permittentibus. Profeſſoribus autem illic requiſitis, Presbyteri Latini, ac pro renata etiam Græci Ritus Catholici, imo & Sæculares Perſonæ adhiberi valeant ita, ut ſubjecta hunc in finem per Concurſum ſemper deligenda pro Benigna ratificatione ſua via Suæ Majeſtati Sacratiſsimæ demiſſe proponi debeant; Salariis eorum interimaliter Benigne conſtitutis ulterius etiam ex Fundo Jeſuitico dependendis. Præterea quod, ſæpefato Epiſcopo Munkacsienſi Fiſcalis quoque Poſſeſsio Palagy, pro Fundo Conſervationis Sartorum Tectorum Reſidentiæ, & Cathedralis Eccleſiæ Benigne collata ſit. Benignam vero hanc Reſolutionem Cæſareo-Regiam ea ratione effectuari velle Summefatam Suam Majeſtatem Sacratiſsimam, ut reſignatio prænuncupatorum ædificiorum per Cameralem Commiſſarium, adjunctis etiam Politico-, & Eccleſiaſtico-Commiſſariis antelato Domino Epiſcopo Munkacsienſi, aut ejusdem Mandatario certo proximius termino fiat, & quidem cum omnibus illic exiſtentibus utenſilibus Libris, & id genus aliis, quæ in uſus ſuos deſervire poſſent; Camerali porro Commiſſario una incumbat, in ſuprafato Collegio, & Eccleſia pro Reſidentia Epiſcopali requiſitas adaptationes, & communicationes, præterea Eccleſiæ Rituum, & Ceremoniarum Græci Ritus Uniti Inſtructionem, prout & ædificii Arcenſis adaptationem pro Seminario Cleri Munkacsienſis, ex Fundo Camerali inſtituen-

tuendas, cum præfato Domino Epiſcopo Munkacsienſi, aut Ejus Mandatario concertare, & ſtatim effectui mancipare. Ratione inſuper ſpiritualium, & mobilium Eccleſiaſticorum in Græco Ritu non uſualium hæc penes ſpecificam conſignationem in præſentia Commiſſarii Eccleſiaſtici ſub curam Parochi localis Latini Ritus transferantur. Obſequentiſsima proinde hæc Cameralis, Eccleſiaſtico-Politica ſine premiſſorum effectuationis clementer denominata Commiſsio, pro Homagiali Devotione ſua Anno hocce defluo 1775. die vero 2. Menſis Auguſti toties fato Domino Epiſcopo Munkacsienſi cumprimis in Eccleſiam abolitæ Societatis introducto penes præviam prædeductæ Benignæ Reſolutionis Regiæ Intimationis ſolitam Publicationem tam hanc ipſam Eccleſiam pro Cathedrali, una cum Sacra cujusvis generis, & ſpeciei præhabita ſupellectili, ex auro quippe, argento, ære, ſtanno, auricaleo, ferrove, Ornatu item, & apparatu Sacerdotali, caſulis nempe, & harum appertinentiis, auro, argentoque texte conſpicuis, acuphrigia exſutis, ac Biſſo, & Serico contextis, nec non inferioris ſortis conſtante, ita & laneam, lineamque cujusvis ſpeciei, & ordinis ſupellectilem, juxta iſthic adnexam, coram exhibitam Inventariam Conſcriptionem; & hæc quidem pro exercitio Ritus ſui Uniti; pro habitatione vero, & reſpective Cleri ſui accomodatione Collegium extinctæ Societatis Unghvarienſe aſsignaverat, & Prælaudatus Dominus Epiſcopus Munkacsienſis tum Collegium iſthoc, cum & Eccleſiam, & quæ circa Eccleſiæ apparatus ac ornamenta in ſuo Ritu uſui fore, declaravit, & effective ſelegit penes hic accluſam Specifica-

tionem apprehenderat; nonnullis dumtaxat mobilibus ex præmiſsis apparatu, ornatu, atque ſupellectili Eccleſiæ, velut ad uſus ſuos minus applicabilibus, juxta hic advolutam ſpecificationem ſub Curam Localis Parochi Latini Ritus mox, & defacto translatis, & reſpective quoad Aras ſucceſsive transferendis exiſtentibus ita, ut ara equidem major, demptis Pyramidibus, & Candelabris, duo item collateralia altaria de plano, & ſimpliciter loco movenda; e tribus vero per æque collateralibus aris tantummodo ſculptilia, ſive Statuæ ſub curam præfati Parochi Latini Ritus venerint. Septimum autem a dextris poſtremum Altare Sancto Stephano Sacrum una cum Statuis in ſuo eſſe ex conniventia nimirum Domini Epiſcopi Græci Ritus Catholici Munkacsienſis in majorem S. Unionis conteſtationem, tamquam pro intervenientibus L. Ritus Miſſæ Sacrificium celebraturis directe deſerviturum, relictum, & permiſſum habetur. Quam vero ſupellectilem, Ornatumque Congregationis Agoniæ dictæ, penes iſthanc Eccleſiam ab antiquo præexiſtentis, Dominus Epiſcopus ſuos in uſus ſelective reſervaverit, & quam ſpeciem Parocho Loci Latini Ritus aſsignaverit? ex hic advoluto; quæ item reculæ Religioſæ, & Sodalitatis Marianæ Congregationem præfuiſſe, ac ſpectaſſe remonſtrabantur, velut cum translata eadem hac Eccleſia hactenus communiter, & promiſcue uſitatæ, ultro aſſentiente eodem Domino Epiſcopo Munkacsienſi translatario, ab Ornatibus mox dictæ Eccleſiæ ſegregatæ, Eidem Sodalitatis Marianæ Congregationi, penes Specificam in adnexo deductionem reſtitutæ, & vigilantiæ Præſidis Congregationis, Profeſſoris quippe

Rhe-

Rhetorices commiſſæ ſint? luculenter patent: qui etiam modo fatus Profeſſor, qualemnam intuitu fatigiorum ſuorum præſertim vero circa Bibliothecam extinctæ Societatis, ut debitum in Ordinem redigeret, ſuſceptorum, reſolvendæ cujuspiam mercedis ſupplicem Commiſsioni huic exhibuerit? iſthic pro condigna reflexione demiſſe advolvitur. Dehinc Bibliothecam quoque ejusdem abolitæ Societatis ſecundum hic accluſum Inventario-Cathalogicum Elenchum crebro memorato Domino Epiſcopo Munkacsienſi ea ratione ultro, citroque benevole rati habita, ut ſeu Scholaſtico Claſsicos Authores, & Comentarios Juventutem erudientibus Magiſtris, & Profeſſoribus, ſeu Concionatores Concionatoribus erga Reverſales exinceps etiam ſemet eatenus inſinuaturis extradare velit, ac teneatur, reſignaveramus. Quoniam autem hic quoque Loci Unghvarini, aliis Studiorum Locis diſsitiſsimis, Studia Juventutis ſolo dumtaxat Rhetorices Studio abſolverentur, atque definirentur: quum tamen Copioſa Partium iſtarum, & in ſpecie Comitatus hujus Unghvarienſis Nobilitas pro commodo Publici, ſed præſertim Altiſsimorum Servitiorum Regiorum tanto promptius, & expeditius, juxta & alacrius ſuſtinendorum, ſui requiſite erudiendi avidiſsima comperiretur; cenſeret obſequentiſsima hæc Commiſsio, imo vero Serenitatem Veſtram Regiam, & Excelſum Conſilium Regium Locumtenentiale Hungaricum in eo demiſſe interpellat, quatenus pro Benignis talismodi Ordinibus Regiis clementer elargiendis ad Sacratiſsimam Cæſareo Regiam Majeſtatem præpollentes, easque efficaciſsimas Vices ſuas interponere non dedignaretur, quo ad

Reſignatur Epiſcopo Bibliotheca Jeſuitarum Unghvar.

Biblio-

Bibliothecam hanc, Juris Domini Epiſcopi jam effectam, erga præviam videlicet inſinuationem, Lectionis, & ex ea hauriendæ Doctrinæ avido cuivis nobilitari prærogativa gaudenti individuo per deſtinatos ad id ſtati temporis horas, libenter omnino adaperiatur acceſſus. Pro Seminario porro Junioris Cleri ejusdem Græci Ritus arcenſe ædificium Unghvarinenſe applicandum, quin altera Contignatio elevetur, & erigatur, antelata obſequentiſsima Commiſsio Regia effective aſsignaverat, atque tradiderat, & prænuncupatus Dominus Epiſcopus in manus ſuas receperat. Scholis cæteroquin in conformitate B. Gratioſæ Serenitatis Veſtræ Regiæ, & Excelſi Conſilii Regii Locumtenentialis in ſtatu quo, relictis. Conſimiliter & Campanula Scholari in Turri alias Collegiali actu exiſtente, porro quoque pro Scholari uſu in ſalvo permanente.

Qualis denique pro parte Compoſſeſſorum Tybenſium intuitu majoris Campanæ in Turri reſignatæ Cathedralis Eccleſiæ pendentis contradictio interceſſerit, atque huicce Commiſsioni præſentata fuerit? perinde cum ſubmiſsione hic adnectitur.

Et hæc ſunt, quæ in obſequium præmiſsi Benigno-Gratioſi de Altiſsimo Juſſu Regio, interventi Intimati modo prævio in effectum deducta, pro Statu Notitiæ ex debito humillime ſubmittimus; qui cætera Serenitatis Veſtræ Regiæ, Excelſique Conſilii Regii Locumtenentialis Hungarici, Benignitati, Gratiis, & Favoribus devoti aſsidua in veneratione perſeveramus. Serenitatis Veſtræ Regiæ, Excelſique Conſilii Regii Locumtenentialis Hungarici, humillimi,

obſe-

obſequentiſsimi Servi: Comes Joannes Philippus Sztaray m.p. Sigismundus Péchy m. p. Emericus Horvath, Canonicus Agrienſis Parochus Mezö-Tarkanyienſis, qua Commiſſarius Diœceſanus m. p. Unghvarini tertia Auguſti Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto.

CAPUT XI.

§ I.

Reſignatis juxta præmiſſam Relationem ædificiis, fiunt Ordines Altiſsimi intuitu eorundem reparationibus, ſumptusque Benigne exaſsignantur. Ut patet ex duobus Inſtrumentis ſequentibus, quorum primum ſub dato diei 4. Januarii 1776. emanatum ita ſonat:

Illuſtris plurimum Reverende Amice, Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime &c. Ex hicce erga futuram in ſpecie remiſsionem in Originali una cum ſuis Provocatis adnexo Cameræ Imperialis Aulicæ ſolito correſpondentiali Inſinuato ad Cancellariam Regiam Hungarico-Aulicam dato uberius intellectura eſt Prætitulata Dominatio Veſtra quidnam Camera Regia Hungarico-Aulica in merito ædificiorum Arcis Unghvarienſis pro Græci Ritus Catholicis Conſiſtorialibus, & Numero 60. Clericis ibidem accomodandis, adaptandorum, item circa projecta ſumptuum ſtructuræ, cui 10. Mille Floreni ex Ærario Regio clementer deſtinati ſunt, in 24782. florenis 59½ xr. neceſſariorum, & ipſas uſui adaptandorum, imo aliqua in parte ex Fundamento erigendorum, & hanc ob cauſam tot ſumptus requirentium

H ædi-

ædificiorum delineationes repræſentaverit, quidve eatenus Camera Imperialis Aulica diſponendum eſſe cenſeat? Quæ omnia Prætitulatæ Dominationi Veſtræ eo Benigno cum Mandato transmittit Regium hoc Locumtenentiale Conſilium, ut ſuper toto hocce negotio ſenſum ſuum, & Informationem iſthuc ſubmittere noverit. Datum ex Conſilio Regio Locumtenentiali Hungarico Poſonii die 4. Januarii Anno Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto celebrato Prætitulatæ Dominationis Veſtræ ad Officia paratus, & paratiſsimi Comes Joannes Csáky m. p. Franciſcus Skerlecz m. p. Lazarus Somſias m. p. Illuſtri plurimum Reverendo, Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino Andreæ Bacsinſzky, Græci Ritus Catholicorum Epiſcopo Munkacsienſi, Amico nobis obſervandiſsimo Viennæ (L. S.) Præſentem Copiam cum ſuo vero, & genuino Originali collatam eidemque conformem eſſe teſtor. Unghvarini 19. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky m. p. Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

§ II. Alterum de eodem Merito ſonans Intimatum de dato 8. Octobris Anni 1779. cujus tenor hic:

Excellentiſsime, Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Epiſcope, Domine nobis Colendiſsime!

Sacratiſsima Cæſareo-Regia Apoſtolica Majeſtas mediante Benigna Reſolutione Regia de dato 16. præteriti Menſis Septembris a. c. horſum interventa pro finaliter terminandis Unghvarienſibus Epiſcopalibus, aliisque Eccleſiaſticis Ædificiis neceſſarias adhuc ſummas, utpote:

Pro

Pro extructione Epiſcopalis Reſidentiæ, Eccleſiæ & Allodii - - -	8299 fl.	7 xr.
Pro erectione Seminarii - - - -	11940 —	8 —
Pro exolutione præſtitorum, & hucdum inexolutorum laborum - -	904 —	31½ —
In Summa	21143 fl.	46½ xr.

Excellentiæ Veſtræ anticipandos Clementer reſolvere dignata eſt ea Lege, & Conditione, ut Unghvarinum per Cameram hanc Regiam Hungarico Aulicam exmittendus Cameralis Architectus cum concurſu Excellentiæ Veſtræ, & Cameralis Adminiſtratoris Caſſovienſis Illuſtriſsimi Domini Comitis Sztaray cum Opificibus tales ineat Contractus, ut illi univerſa Ædificia intra aſſuturum Annum 1780. ex integro conſummare teneantur. Excellentiæ vero Veſtræ id curæ ſit, ne ab approbatis delineationibus receſſus fiat, opus vero ipſum ſolido labore, & cum aſsignata prævia Summa perficiatur, cum nullam amplius aſsignationem ſperandam habeat. Quemadmodum itaque inſequelam Benignæ hujus Reſolutionis Regiæ, tam apud antelatum Cameralem Adminiſtratorem Dominum Comitem Sztáray, quam & hujatem Cameralem Vice-Architectum Lander ſub hodierno oportuna diſponimus, ac una prævia modalitate clementer reſolutam 21143 fl. 46½ xr. Summam Excellentiæ Veſtræ erga Quietantiam ad hujatem Generalem Caſſam Cameralem ſtyliſandam rite exolvendam cum defalcatione 2000. flor. prius jam per me Vice-Præſidem aſsignatorum, penes Dominalem Caſſam Unghvarienſem exaſsignamus, ita id ipſum

prælibatæ Excellentiæ Veſtræ pro ſui Directione, & Notitia, quatenus ſemet cum antelato Domino Adminiſtratore, & Camerali Vice-Architecto cointelligenter habere, & etiam ipſum Ædificium quo meliori modo promovere velit, hiſce ſignificandum eſſe duximus. Datum ex Conſilio Regiæ Cameræ Hungarico-Aulicæ Poſonii die 8. Octobris Milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono celebrato. Prætitulatæ Dominationis Veſtræ Servi obligatiſsimi: Paulus Comes Feſtetits m. p. Emericus Havor m. p.

Excellentiſsimo, Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino Andreæ Bacsinſzky, Græci Ritus Catholicorum Epiſcopo Munkacsienſi, Abbatis S. Petri Apoſtoli de Tapoltza, nec non Sacr. Cæſareo Regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis Intimo Conſiliario nobis Colendiſsimo (L. S.)

Præſentem Copiam cum ſuo vero Originali collatam, eidemque per omnia conformem eſſe teſtor Unghvarini 19. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky m. p. Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

CAPUT XII.

§ I.

Præter Vicariatum Szigethienſem, & Szathmarienſem placuit Suæ Majeſtati Regiæ Vicariatum quoque fundare Caſſovienſem pro remotioribus a Cathedra Epiſcopali Diſtrictibus, ita tamen ut e Gremio V. Capituli pro illa ſtatione Canonicus ſemper eligatur Suæque Majeſtati pro Confirmatione præſentetur, primus proinde pro præattacta

fun-

functione Vicariali Anno 1787. electus, præſentatus, & confirmatus erat Dominus Canonicus Joannes Páſztelyi, hoc perhibente Intimato: quod ex germanico ſub Numero $\frac{3192}{26542}$ Verſum eſt.

Excellentiſsimo Domino Epiſcopo Munkacsienſi. Sua Sacratiſsima Majeſtas, per Excellentiam Veſtram a bonis qualitatibus, & fundatis ſcientiis dilaudatum Joannem Páſztelyi, Canonicum Unghvarienſem pro Secundario Vicario cum 1200. fl. annuo ex Religionario Fundo extradando Salario, retentis 800. florenis, quos Eidem Sua Præbenda infert, Clementiſsime denominare dignata eſt. Quæ Altiſsima Reſolutio Excellentiæ Veſtræ fine informandi Neo-denominati Secundarii Vicarii cum hocce Juſſu nota redditur, ut adhuc ſub 7. Aprilis a. c. ad Altiſsimum Mandatum deſideratum, dein autem ſub 26. Maji æque ejusdem anni adurſum projectum, qualiter nimirum iſthoc Individuum Caſſoviæ accomodari poſſet, illico, & quidem ad ſummum intra 8. dies a dato percepti horſum ſubmittatur. Datum ex Conſilio Regio Locumtenentiali Hungarico Budæ 27. Julii 1787. Comes Chriſtophorus Niczky m. p. Joſephus Dioſzegi m. p. Ad Cæſareo Regium actualem Intimum Conſiliarium Excellentiſsimum Dominum Andream Bacsinſzky, Epiſcopum Munkacsienſem.

Domin. Canonic. Joan. Páſztelyi reſolvitur in Vicarium Caſſovienſem.

§ II. Interea Domino Canonico Joanne Páſztelyi a ſtatione hac ob debilitatem ſanitatis amotionem ſui ſupplicante, ac proinde diſpenſato, Reverendiſsimus Dominus Canonicus Michael Bradács erga recomendationem Suæ Excel-

lentiæ Præſuleæ anno 1790. pro hocce munere clementer reſolutus, eodem etiam de præſenti fungitur, ſtationis attamen determinatione Caſſovia Eperjeſinum certis de cauſis permutata. Reſolutionis Idiomate Germanico emanatæ ſub Numero $\frac{167}{1616}$ Tenor ita ſonat:

Excellentiſsimo Domino Epiſcopo Munkacsienſi. Sua Majeſtas ad propoſitionem Domini Epiſcopi, ſine occupationis Caſſovienſis Græco Cath. Generalis Vicariatus ſtationis, qua hactenus Canonicus Páſztelyi fungitur, ex ratione autem cum eadem conexarum difficultatum, & moleſtiarum, nec non debilitate ſanitatis reſignantis Canonici, Canonicum Michaelem Bradács pro hac Dignitate recomendatum, Clementiſsime denominare dignatur. Quæ Altiſsima Diſpoſitio Domino Epiſcopo pro Notitia, proque memorati Canonici Bradács certificatione hiſce nota redditur. Datum ex Regio Hungarico Conſilio Budæ 13. Januarii 1790. Comes Carolus Zichy m.p. Franciſcus Paulovits m.p. Cæſaſareo Regio actuali Intimo Conſiliario Excellentiſsimo Domino Andreæ Bacsinſzky, Epiſcopo Munkacsienſi.

Præſentem Copiam ex Germanico genuine verſam eſſe teſtor. Unghvarini 17. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky, Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

Sedes Vicarialis defixa eſt ſtabiliter Eperjeſini, atque pro Reſidentia prænominati Vicarii clementer reſolutum, & effective reſignatum eſt Clauſtrum PP. Minoritarum cum templo Regiis ſumptibus pro Græco Ritu reparando adaptandoque.

§ III.

§ III. Fundationibus, Dotationibusque pro Epiſcopatu, Capitulo, Vicariis Foraneis, Seminario item Cleri Junioris per Reginam MARIAM THERESIAM (ut præmiſſum eſt) Clementer factis, Literæ Fundationales, tametſi jam determinatæ, & aſſecuratæ fuiſſent, ob præventam tamen Alteſatæ Reginæ mortem, attunc adhuc plene effectui mancipari non poterant. Quod poſtmodum Succeſſor Maternis Veſtigiis inſiſtens Imperator, & Rex Apoſtolicus JOSEPHUS II. præſtitit, & præattactas Collationes ac Fundationes ſuo Diplomate in Forma Libelli ſub dato Viennæ Auſtriæ die 28. Decembris Anno 1781. emanato confirmare, & ſtatutionem (effectu poſtea ſubſecuto) Benigne Ordinare dignatus eſt. Diploma hoc, utpote a Rege necdum Coronato emanatum per Succeſſorem ejusdem LEOPOLDUM II. (Lege Patriæ ita exigente, novo Diplomate ratificari, ac confirmari, iterataque Statutione roborari oportebat. Diploma hoc ita ſonat:

Vide Part. IV. pag. 232.

CAPUT XIII.

NOS LEOPOLDUS SECUNDUS DEI Gratia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Rex Apoſtolicus; Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, & Lotharingiæ, Magnus Dux Hetruriæ, Magnus Princeps Tranſylvaniæ, Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ, Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. &c. Memoriæ com-

Diploma Leopoldinum Collationes, & Fundationes Thereſianas pro Diœceſi Munkacsienſi factus.

commendamus tenore Præſentium ſignificantes quibus expedit Univerſis. Quod Fidelis Noſter Nobis ſincere Dilectus Reverendus Andreas Bacsinſzky, Græci Ritus Catholicorum Epiſcopus Munkacsienſis, Abbas Sancti Petri Apoſtoli de Tapolcza, & Noſter actualis Intimus Status Conſiliarius demiſſe exhibuerit, & præſentaverit certas Benignas a Sereniſsima, ac Potentiſsima olim Domina MARIA THERESIA Romanorum Imperatrice, ac Regina Hungariæ Apoſtolica Genitrice Noſtra piæ Memoriæ deſideratiſsima pro parte Epiſcopatus Græcorum Catholicorum Munkacsienſis, ejusdemque Diœceſis jam determinatas, & aſſecuratas, ob præventam tamen ejusdem Mortem attunc adhuc plene effectum mancipari haud queuntes, verum primo per Sereniſsimum olim, ac potentiſsimum Principem Dominum Joſephum hujus Nominis Secundum Electum Romanorum Imperatorem, & hæreditarium Hungariæ Regem Fratrem Noſtrum felicis Recordationis deſideratiſsimum confirmatas, & de dato Viennæ Auſtriæ die Vigeſima octava Menſis Decembris Anno Milleſimo ſeptingenteſimo octuageſimo primo in Forma Libelli expeditas, ſecretoque ejusdem Sigillo, quo ut Rex Hungariæ Apoſtolicus utebatur, impendenti communitas, & propriæ Manus ſubſcriptione roboratas Fundationales Litteras; ſupplicando Majeſtati Noſtræ debita cum Inſtantia humillime, quatenus Nos præfatas Fundationales Litteras, omniaque, & ſingula in iisdem contenta ratas, gratas, & accepta habentes Literisque Noſtris Privilegialibus inſeri, & inſcribi facientes, acceptare, approbare,

re, ratificare, ac confirmare dignaremur; quarum quidem Fundationalium Litterarum tenor ſequens eſt:

NOS JOSEPHUS SECUNDUS Divina fovente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Ramæ, Serviæ, Cumaniæ, & Bulgariæ Rex Apoſtolicus; Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Magnus Dux Hetruriæ, Magnus Princeps Tranſylvaniæ, Marchio Moraviæ, Dux Brabantiæ, Limburgi, Lucemburgi, & Geldriæ, Vürtembergæ, Superioris & Inferioris Sileſiæ, Mediolani, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, & Guaſtalæ, Osveciniæ, & Zatoriæ, Calabriæ, Barri, Montis ferati, Teſchinæ; Princeps Sueviæ, & Carolopolis; Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, Hanoniæ, Kyburgi, Goritiæ, & Gradiſcæ; Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, Superioris & Inferioris Luſatiæ, Muſoponti, & Nomenci; Comes Namurci, Provinciæ Valde-Montis, Albi-Montis, Zutphaniæ, Sazverdæ, Salmæ, & Falkenſteinii, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, & Mechliniæ. Memoriæ commendamus tenore Præſentium ſignificantes quibus expedit univerſis; quod Sereniſsimæ, ac Potentiſsimæ olim Dominæ MARIÆ THERESIÆ Romanorum Imperatrici, ac Reginæ Hungariæ Apoſtolicæ Genitrici Noſtræ felicis recordationis deſideratiſsimæ, inde a felici auſpicati Regiminis ſui temporibus nihil magis animo ejusdem inſederit, quam ut Divorum condam Hungariæ Regum glorioſæ memoriæ Prædeceſſorum ſuorum exemplo non tantum quæque

illi Sancte pro incremento, Ornamentoque Sanctæ Eccleſiæ inſtituerunt, eadem queque veſtigiis Illorum inſiſtens, Sarta, tectaque tueretur, verum etiam pro eo, ac in Viribus Ejusdem, ſitum fuit, novis qua licuit Favoribus augeret, nihilque eorum, quæ ad veri DEI cultus, Bonique Orthodoxæ Religionis, ac ſignanter Sacræ Unionis promotionem, & incrementum pertinere viderentur, a ſe quaqua demum ratione deſiderari pateretur, unde factum eſt, ut compluribus jam ab annis conſtabiliendæ, propagandæque pro celeriori, faciliorive ſucceſſu Religioni Orthodoxæ, Sacræque Unioni benigne cumprimis intenta, Bonumque illius unice præoculis habens fundatos ab olim, largiterque dotatos in percharo Nobis Hungariæ Regno, Regnisque, & Provinciis ad idem ſpectantibus Archi- & Epiſcopatus partim ob præexiſtentium Diœceſium amplitudinem, Ritusque diverſitatem, atque inde promanantem in recta adminiſtratione muneris Epiſcopalis difficultatem, aliisve rerum, temporumque circumſtantiis id exigentibus dividendos, e diviſis porro tali ratione partibus plures Sedes Epiſcopales erigendas procuraret, partim vero illos Epiſcopatus, qui quidem penes ſuos antiquos Diœceſanos Limites ultro quoque relicti ſunt, quo ad Eorundem internam conſtitutionem, atque Dotationem ea ratione regularet, ut relictis pro condecente Epiſcopi intertentione ſufficientibus annuis Reditibus, e ſuperfluis, tam Diœceſanis, quam & aliis quoque ad promovendam Orthodoxam Religionem, conſequenter Sacram Unionem occurentibus Neceſsitatibus provideretur, cunctaque ad rectum ordinem, accedente etiam Sanctæ

Ro-

Romanæ Sedis Apoſtolicæ pias has, & ſalutares, uniceque in optimum Religionis, Decusque, & Ornamentum Eccleſiarum, ac incrementum Sacræ Unionis directas Ejusdem Intentiones confirmantis Benedictione collocarentur: Quare poſteaquam Epiſcopatus Munkacsienſis Græci Ritus Catholicorum a Diœceſi Agrienſi plene dismembratus, & inſtitutus, ejusdemque limites per ambitum dictæ Diœceſis Agrienſis quacunque illa actu procurrit, ac inſuper per Comitatus etiam Gömörienſem, & Tornenſem, relatæ unice ad Parochias Græco-Catholicas, animasque hunc Ritum ſequentes, prouti hæc in Bullis Canoniſationum uberius continentur, circumſcripti, & conſtituti fuiſſent, ut Eidem Epiſcopatui omni exparte provideretur pro Dote quidem Menſæ Epiſcopalis, ſublato omni Cathedratico, Abbatiam Sancti Petri de Tapolcza in Comitatu Borſodienſi, & Diœceſi Agrienſi ſitam per benignas Fundationales Litteras ſuas de dato Vigeſimæ ſeptimæ Septembris, Anni Milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi ſexti emanatas effective contulit; tum Sede Græco-Catholici Epiſcopi hujus Munkacsienſis Munkacsino ad Regium Camerale Oppidum Unghvár translata, pro neceſſaria Ejus, & Succeſſorum ſuorum, Capituli, item & Profeſſorum, ac Cleri ejusdem Reſidentia, & commodiori ſubſiſtentia (Reſidentia Munkacsienſi cum ſuis pertinentiis, ultro quoque pro Epiſcopis Munkacsienſibus in ſalvo relicta;) in dicto Oppido Unghvár antiquam Arcem Militarem Unghvarienſem, Collegium item abolitæ Societatis, atque penes idem exiſtentem Eccleſiam, porro Domos octo ab eadem Eccleſia usque arcenſe Foſſatum continua

 ſerie

ſerie ſemet extendentes, & in Mappa eatenus confecta a numero primo usque octavum denotatas; dominalem dein Hortum numero decimo ſignatum, cum cæmeterio eidem contiguo, Hortum item magnum mentionato Collegio ad vicinum cum Granario, & Foſſa glaciali, prouti & huic Horto adjacentem Fundum deſertum ſub H, ei denique conterminam Domunculam ſub numero nono, cum eo appertinente Hortulo ſub I. adhæc omnia ſub Collegio exiſtentia Cellaria, denique Fundum etiam, in quo ſtat Ædificium Scholare citra ullum ab inde pendendum ſeu publicum, ſeu Dominale onus, libere poſsidenda contulit, atque jam prioribus annis per Fidelem Noſtrum Egregium Ignatium Jablanczy, Conſiliarium Noſtrum, & Bonorum Trauczaniano-Fiſcalium Adminiſtratorem reſignari, & effective per manus tradi fecit; una vero Capitulum, Seminarium, Archi-Diaconos, nec non Profeſſores fundando pro horum quoque, uti & Cathedralis Eccleſiæ Dote certos quidem annuos Reditus deſignavit, atque præter reſolutam Poſſesſionem Konczhaza in proventibus Caſſæ Parochorum aſſecurari voluit, quæ tamen eadem morte præventa, attunc plene cum expeditione etiam Fundationalium Litterarum reſignata non fuerunt: Hinc Nos veſtigiis Ejusdem Pientisſimæ Genitricis Noſtræ inſiſtentes, atque cuncta per Illam provide conſtituta confirmantes pro ſummo illo Patronatus Jure, quod qua Apoſtolicus Rex Hungariæ in conferendis, & pro ratione neceſsitatis, ac utilitatis publica dirigendis Beneficiis Eccleſiaſticis, regulandisque Diœceſibus, ac Capitulis optimo Jure habere, & exercere dignoſcimur,

pro-

proque ea, qua in majus Incrementum Dominantis in antelato Apoſtolico Regno Noſtro Hungariæ Orthodoxæ Fidei, & Dotationem Cleri, ac Eccleſiarum DEI conſtanter ferimur pietate, Vigilantia, & ſolicitudine, ut nempe neceſsitati fundatæ Diœceſis Græco Catholicæ Munkacsienſis, Ejusdemque Nominis Capitulo, & Vicariis, nec non juniori Clero, ac quatuor Profeſſoribus, denique ipſi Cathedrali Eccleſiæ quaqua ratione ſuccurramus; primum quidem ultra præattactos Fundos in Oppido Noſtro Unghvár per Cameralem Adminiſtrationem Jablanczy prævio modo reſignatos, nunc recentius medio alterius Cameralis Adminiſtratoris, Fidelis quippe Noſtri Nobis dilecti Spectabilis, ac Magnifici Comitis Michaelis Sztaray de Nagy-Mihály Oppidorum Haidonicalium Directoris peculiariter ad id exmiſsi, Fundos quoque in prædicta Mappa ſub A. numeris undecimo, duodecimo, decimo tertia, decimo quarto, & decimo ſexto, item Litera L. deſignatos citra perſolvendum eorum æſtimationale pretium, & perinde absque ullo abinde pendendo ſeu Publico, ſeu Dominali onere poſsidendos clementer contulimus, & ſimpliciter (ea tamen quo ad omnia præmiſſa reſervata expreſſa cum conditione, ut ſi neſors Epiſcopus, aut Ejusdem Succeſſores domos, aut alia ædificia in reſignatis Fundis ſibi appropriare, aut vero penitus diruere velent, proprietariis ædificiorum pretium perſolvere. Præterea plateas in Mappis Litera M. & O. ſignatas pro communi uſu, & commodo in perpetuum relinquere, & ſuis ſumptibus conſervare; non ſecus in Fundis ab omni exercitio Jurium Regalium, prouti ſunt

Educilli, Braxæ, Macelli, & his ſimilium, ac omni inſuper fornicum pro Mercatoribus, quæſtoribus, aut qualibuscunque Opificibus deſervientium Erectione in perpetuum abſtinere juxta triplicis Ordinis Reverſales de dato primæ Februarii, Anni Milleſimi ſeptingenteſimi octuageſimi primi de ſe datas, debeat, ac teneatur, debeantque, & teneantur) juxta Inſtrumentum Metale inter eundem Epiſcopum, & prædictum delegatum Regio-Cameralem Commiſſarium Comitem Michaelem Sztaray de dicta Nagy-Mihaly die nona præcitati Menſis Februarii, & Anni Milleſimi ſeptingenteſimi octuageſimi primi confectum, & adhibito Teſtimonio articulari præſentibus convocatis, advolutaque eorundem Epiſcopatui Græco-Catholico Munkacsienſi Unghvarini reſignatorum Fundorum autentica delineatione roboratum; Nobisque cum cohærentibus actis, & Ejusdem Epiſcopi Reverſalibus pro altiſsima approbatione, & ratihabitione demiſſe relatum, & præſentatum effective cum Neceſſaria Limitum deſignatione reſignari fecimus. Tum vero Dotationem Eccleſiæ Cathedralis, Capituli, Seminarii, & reliquorum acceſſoriorum ſequenti modo benigne aſſecuravimus, ut pro Vicariorum Foraneorum, quibus ob nimiam Diœceſis amplitudinem opus habet in Diſtrictibus magis remotis conſtituendorum meliori ſubſiſtentia annue octingentorum Florenorum Summam percipiat: Porro Capitulum ex ſeptem Canonicis juxta morem Ritus ſuis titulis, & officiis diſtinguendis conſtet, & ſignanter primo pro Archi-Presbytero ſeu Præpoſito majore Mille florenos: Secundo pro Archi-Diacono Cathedrali ſeu Lectore, non-

gen-

gentos florenos: Tertio pro Primicerio ſeu Cantore octingentos florenos: Quarto, pro Eccleſiarcha, ſeu Cuſtode æque octingentos florenos: Quinto, pro Scholaſtico, ſeptingentos florenos: Sexto pro Cartophilaci, ſeu Cancellario itidem ſeptingentos florenos: Septimo denique pro Canonico ſexcentos florenos in vicem congruæ clementer reſolvimus; Porro pro expenſis Conſiſtorii (eo intellectis Notario, & Fiſcali) annuos quingentos florenos, pro Seminario junioris Cleri Unghvarini conſtabilito annuos termille florenos, ea ratione, ut Clerici ultra illos, quos in Seminario ad S. Barbaram, & alibi pro ſua Diœceſi fundatos habet, quo majori fieri poteſt numero in eodem interteneantur, atque rationes Seminarii quotannis Conſilio Noſtro Regio-Locumtenentiali, atque penes Idem conſtabilitæ piarum Fundationum Commiſsionem facta earum præviæ per Capitulum, & Epiſcopum reviſione pro ſuperreviſione accurate ſubmittantur: demum pro quatuor Profeſſoribus, huc intellecto etiam Valachico (cujus nationis cæteroquin tam in Candidatione pro Canonicorum officiis, quam in ſuſceptione ad Seminarium, junioris Cleri per Epiſcopum peculiaris ſemper reflexio habebitur) pro primo qua Seniore annue quingentos florenos; pro reliquis tribus ſingilative quadringentos florenos; denique pro dote Cathedralis Eccleſiæ, Servitorumque, qui ad eandem pertinent, congrua intertentione anuue Mille, Octingentos florenos benigne deſignavimus: præattactas vero Summas pecuniarias in Caſſa Parochorum ſub adminiſtratione Conſilii Noſtri Regii Locumtenentialis exiſtente ea ratione clementer aſſecuravi-

mus,

mus, ut præter illas Summas, quæ jam antea ex eadem Caſſa Parochorum juxta complures præcedentes benignas Reſolutiones ex annuis ſuis Proventibus inprædeductos fines exolvebantur, reliquæ Summæ ex illis Proventibus, quos mentionata Caſſa Parochorum hoc etiam titulo ex reſignatis Epiſcopatus Magno-Varadienſis Dominiis Bél, & Vaskoch, juxta benignam regulationem Ejusdem Epiſcopatus Magno-Varadienſis Inſtrumentum ſub decima ſexta Februarii anni infraſcripti expeditum annue percipit, rite enumerarentur; quas proinde omnes præmiſſas Summas pro Dotatione Epiſcopatus Munkacsienſis præattacta ſerie ex Caſſa Parochorum absque omni defectu ſemeſtraliter præſtari, & numerari volumus, ac ordinamus, præcipimusque; Imo aſsignamus, conferimus, damusque, & fundamus perpetuo, & irrevocabiliter in dicta generali Parochorum Caſſa Poſonii conſtituta habendi pariter & uſuandi, ad rationem tamen præſpecificatorum annuorum Mille octingentorum florenorum pro Dote Eccleſiæ penes eandem Caſſam Parochorum Poſonii conſtitutam emenſorum, Poſſeſsionem Konczháza, Comitatui Unghvarienſi adjacentem, ad Collegium abolitæ Societatis Unghvarienſe ante hac pertinentem, cujus Poſſeſsionis Konczháza cameraliter conſcriptæ Proventus effective quingentos, ſeptemdecim florenos, ſedecim & medium cruciferos, Capitale proinde, a quatuor, & medium pro Centum computandum undecim Mille quadringentos nonaginta quinque florenos conſtituit temporaneo eo proinde, quo ipſa abolita Societas poſſedit jure, ſub Evictione tamen Fiſci Noſtri Regii ad vires Caſſæ Paro-

cho-

chorum aſſumpta habendum, & uſuandum tradimus, & conferimus; Præter hos proinde quingentos, ſeptemdecim florenos, ſedecim, & medium cruciferos titulo Proventuum dictæ Poſſeſsionis Konczháza percipiendos, in Complementum reſolutorum Eidem Græco-Catholico Epiſcopo Munkacsienſi titulo Dotis Eccleſiæ annuorum Mille, octingentorum florenorum annuos adhuc Mille, ducentos octuaginta duos florenos, quadraginta tres, & medium cruciferos e toties repetita Caſſa Parochorum Poſonii conſtituta præſtandos, & numerandos ordinamus, prædeductis vero quingentis ſeptemdecim florenis, ſedecim, & medio cruciferis ex eadem Caſſa Parochorum interea, quoad Epiſcopatus Munkacsienſis in Poſſeſſorio præattactæ Poſſeſsionis Konczháza permanſerit, ad Ærarium Camerale titulo Fundi Studiorum, ad cujus maſſam eadem Poſſeſsio Konczháza pertinebat, numerandis: Reſervantes cæteroquin Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Hungariæ Regibus in præmentionato Capitulo Jus quævis Beneficia Eccleſiaſtica, & Canonicatus conferendi, admiſſa, dumtaxat Ipſi Epiſcopo in caſu ſingulæ Vacantiæ pro tali ſupplenda duorum idoneorum ſubjectorum electione, & Nobis demiſſa præſentatione, citra tamen poteſtatis Noſtræ in hoc vel illo Subjecto denominando Reſtrictione; Quæ omnia dum mente, animoque deliberato, & ex plenitudine Poteſtatis Noſtræ Regiæ hiſce clementer ſtatuimus, fundamus, & ordinamus, una non ambigimus, quod quemadmodum hic per Nos clementer Neocreatus, & Fundatus Epiſcopatus unice ad Incrementum Sacræ Unionis, per idque magis, ac melius promo-

K ven-

vendam animarum Græco-Catholicarum ſalutem directus eſt, Eique ad ſuam conſiſtentiam perducendo Nos omni cura, & ſolicitudine intenti fuimus; Ita Noſtri quoque Succeſſores Hungariæ Reges non minori ſolicitudinis ſtudio ſalutare hoc, & pientiſsimum Inſtitutum Noſtrum in omne ævum firmiter manutenturi ſubſequenter totum id, quod ad Neocreatum, & Fundatum huncce Epiſcopatum Græco-Catholicum prævia ratione per Nos clementer collatum habetur, tanquam pro perpetuo deſtinatam Fundationalem Dotem absque diminutione in ſua integritate conſervaturi, & pro ratione circumſtantiarum novis etiam gratiis, Favoribusque ſint adaucturi. Quapropter omnibus & ſingulis, quorum intereſt, aut futuris quibusvis temporibus intererit, benigne præcipimus, & mandamus, quatenus præſentem ſalutarem, pientiſsimamque Fundationem, & Ordinationem Noſtram in quibusvis evenire queuntibus caſibus ad amusſim obſervare noverint, neque Eidem ſub incurſu Indignationis Regiæ quaqua ratione contravenire præſumant. In quorum majus robur perpetuamque firmitatem haſce Secreto majori Sigillo Noſtro, quo ut Rex Hungariæ Apoſtolicus utimur, impendenti communitas extradandas eſſe duximus, & concedendas Litteras Fundationales. Datum per manus Fidelis Noſtri Nobis ſincere dilecti Spectabilis, ac Magnifici Comitis Franciſci Eſzterházy de Galantha, perpetui Comitis in Frakno, Aurei Velleris, & una Inſignis Ordinis Sancti Stephani Regis Apoſtolici Magnæ Crucis Equitis, Camerarii, Conſiliariique Noſtri Actualis Intimi Comitatus Moſſonienſis Supremi Comitis, Curiæ Noſtræ

ſtræ per Hungariam Magiſtri, ac per idem Regnum Noſtrum Hungaricæ Aulæ Noſtræ, prout & prædicti Inſignis Ordinii Sancti Stephani Cancellarii in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ die vigeſima octava Menſis Decembris, Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo octuageſimo primo. Regnorum Noſtrorum, Romani decimo ſeptimo, Hungariæ, Bohemiæ, & reliquorum Anno ſecundo.

Reverendiſsimis, Illuſtriſsimis, Reverendis item, ac Venerabilibus in Chriſto Patribus Dominis Joſepho e Comitibus Battyán, perpetuo in Németh-Ujvár, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinale, ac S. R. I. Principe Strigonienſis; ac altero: Adamo L. B. Patachich de Zajezda, Coloczenſis, & Bacsienſis Canonice Unitarum Metropolitanarum Eccleſiarum Archi-Epiſcopis, Comite Franciſco Zichy de Vaſonkeö, Jaurinenſi; Comite Carolo Eſzterházy de Galantha, Agrienſis; Chriſtophoro e Comitibus Migazzy de Vaál, & Sonnenthurn, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinale, Principe S. R. Imperii Adminiſtratore, Vaczienſis; Joſepho Gallyuff, Zagrabienſis; Gregorio Majer, Græci Ritus Catholicorum Fogarasſienſis; Andrea Bacsinſzky, Græci Ritus Catholicorum Munkacsienſis; Joanne Baptiſta Caballini, Segnienſis, & Modrusſienſis, ſeu Corbavienſis; Mathæo Franciſco Kerticza, Bosnenſis, ſeu Diakovarienſis, & Syrmienſis; Comite Ladislao Kolonich de Kollegrad, Magno-Varadienſis; Carolo Szalbek, Scepuſienſis; Comite Franciſco Berotöld, Neoſolienſis; Comite Antonio de Réva, Nittrienſis; Baſilio Boſiczkovits, Græci Ritus Catholicorum, Criſienſis; Moyſe Dragoſſy, Græci Ritus Catholicorum, Magno-Varadienſis; Joſepho Baizath,

Veſzprimienſis; Joanne Szilly, Sabarienſis; Ignatio Nagy de Sellye, Albaregalienſis; Emerico Kriſtovits, Tsanadienſis; Antonio L. B. Andraſſy de Szent-Király, & Kraſznahorka, Rosnavienſis; Comite Ignatio de Batthyán, perpetuo in Németh-Ujvár, Tranſylvanienſis; Comite Paulo Eſzterházy de Galantha, Quinque Eccleſienſis; Antonio Zlatarics, Belgradienſis, ſeu Samandrienſis; Joſepho Pierer, Tinninienſis; Stephano Jaklin de Elefant, electo Almiſienſis; Comite Sigismundo Keglevics de Buzin, electo Makarienſis; Raphaele Szent-Ivanyi de eadem, electo Arbenſis; Stephano Battha, electo Novienſis; Gabriele Szerdahelyi, electo Corczolenſis; Emerico Okolicsanyi, electo Anſarienſis; Georgio Nunkovics, electo Serdienſis; Joſepho Pethö, electo Driveſtenſis; Joanne Feja, electo Scutarienſis; Emerico L. B. Perenyi, electo Bacsenſis; Joanne Ludovico L. B. Schvarcer, electo Boſonienſis; Franciſco Mikloſy, electo Biduanenſis; Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias DEI feliciter gubernantibus; Spectabilibus item, ac Magnificis: Comite Georgio Fekete de Galantha, Judice Curiæ Noſtræ Regiæ; Comite Franciſco de Nadasdy, Regnorum Noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano; Comite Adamo de Batthyán, perpetuo in Németh-Ujvár, Tavernicorum; Illuſtriſsimo S. R. I. Principe Nicolao Eſzterházy de Galantha, Nobilis Turmæ Noſtræ Prætoriæ Hungaricæ Capitaneo; antelato Comite Franciſco Eſzterházy de præfata Galantha Curiæ; Comite Joanne Nep. Csaky de Kereſztſzeg, Agazonum; Comite Joanne Nep. Erdödy de Monyorokérék, Cubiculariorum; Comite Antonio Károlyi de Nagy-Károly,

Dapi-

Dapiferorum; Comite Leopoldo Palffy ab Erdöd, Janitorum; Comite Franciſco Xav. Koller de Nagy-Manya, Pincernarum Noſtrorum Regalium per Hungariam Magiſtris; ac Comite Joanne Palffy ab Erdöd, Comite Poſonienſe; Cæterisque quam plurimis ſæpefati Regni Noſtri Comitatus tenentibus, & honores. JOSEPHUS m. p. Comes Franciſcus Eſzterházy m. p. Joſephus Jablanczy m. p. (L. S.)

Nos itaque pro ſolita benignitate, & Clementia Noſtra Cæſareo-Regia pro parte memorati Epiſcopi Græco-Catholicorum Munkacsien. Andreæ Bacsinſzky, ac Ejusdem in Epiſcopatu Succeſſorum facta apud Majeſtatem Noſtram humillima Supplicatione, Regia benignitate exaudita clementer & admiſſa, prædictas Sereniſsimi olim, ac Potentiſsimi Imperatoris, & Hungariæ Regis Fratris Noſtri deſideratiſsimi Fundationales Litteras non abraſas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes præſentibus Litteris Noſtris Privilegialibus de verbo ad verbum ſine diminutione, & augmento aliquali inſertas, & inſcriptas, quoad omnes earundem continentias, & Clauſulas Authoritate Noſtra Cæſareo-Regia in effectum Articuli trigeſimi ſecundi proxime celebratorum Regni Comitiorum, approbavimus, roboravimus, ratificavimus, ac perpetuo valituras benigniſſime confirmavimus; Imo approbamus, roboramus, ratificamus, & confirmamus harum Noſtrarum Secreto Sigillo Noſtro, quo ut Rex Hungariæ Apoſtolicus utimur impen-

 denti

denti communitarum Vigore, & Teſtimonio Litterarum mediante. Datum per Manus Fidelis Noſtri Nobis ſincere dilecti Spectabilis, ac Magnifici Comitis Caroli Palffy ab Erdöd, perpetui in Vöröskeö, Aurei Velleris, & una Inſignis Ordinis S. Stephani Regis Apoſtolici Magnæ Crucis Equitis, Comitis Poſonienſis, & Comitatus Nominis Ejusdem perpetui Supremi Comitis, Arcisque Noſtræ Regiæ Poſonienſis Hæreditarii æque, ac Supremi Capitanei Camerarii, Conſiliariique Noſtri Actualis Intimi, Curiæ Noſtræ Regiæ per Hungariam Magiſtri, nec non per idem Regnum Noſtrum Hungariæ Aulæ Noſtræ, prout & dicti Ordinis Sancti Stephani Regis Apoſtolici Cancellarii, in Archi-Ducali Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ, die vigeſima Menſis Octobris, Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo primo, Regnorum Noſtrorum Romani Hungariæ item Bohemiæ, & reliquorum Anno ſecundo. LEOPOLDUS. Comes Carolus Palffy, Alexius Névery, Protocollatum in Libro Regio primæ Claſsis ſub Numero 55. Pagina 1009. Quod teſtatum redditur per Secretarium Aulicum, & Archivi Directorem Fabianics m. p.

Præſentem Copiam cum ſuo vero, & genuino Originali collatam, & correctam eſſe teſtor. Unghvarini 16. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky, Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius.

CA-

CAPUT XIV.

§ I.

Cathedralis Ecc'eſia Unghvarienſis Anno 1780. die 15. Octobris conſecrata eſt.

Auguſta Regina MARIA THERESIA adhuc in vivis exiſtente, Cathedralis Eccleſia Unghvarienſis per Præſulem Dominum Andream Bacsinſzky Anno 1780. die 15. Octobris conſecrata fuit, Excellentiſsimo Domino Comite Stephano Andráſſy Munere Commiſſarii Regii fungente, cujus ad Conſecratorem Dominum Præſulem, ac viciſsim Præſulis ad præfatum Commiſſarium occaſione conſecrationis Sermonem habitum vide part. 3-tiæ pag. 122. Hunc Præſulem Regii Conſiliarii Actualis Intimi honore, ac Titulo Excellentiſsimi Alteſata Regia Majeſtas condecorare dignata eſt; Qui etiam Anno 1790. in Comitiis Regni Budæ, & Poſonii celebratis per Regales invitatus Sedem cum voto inter Prælatos pro ratione Senii ſecundo loco adeptus fuit; quo honore Excellentiſsimus quoque Dominus Ignatius Darabanth, Græci Ritus Cath. Epiſcopus Magno-Varadinenſis unà & Illuſtriſsimus condam Joſaphat Baſtaſich, Epiſcopus Chriſienſis excepti, Sedes competentes inter Diœceſanos eodem tempore acceperunt, utriusque etiam Diœceſis V. V. Capitula, erga ſimiles Regales, ſuos deputatos Canonicos ad prælaudata Comitia Regni miſerunt; Munkacsienſe quidem Reverendiſsimum Dominum Andream Zsetkey, Præpoſitum majorem, cum Reverendiſsimo Domino Theodoro Bacsinſzky, Canonico. Varadinenſe vero Reverendiſsimum Dominum Georgium Farkas, itidem Præpoſitum majorem.

§ II.

§ II. Cæterum hæc Græco-Catholicorum Præſulum ad Regni Comitia admiſsio nullam prorſus redolet novitatem: ſiquidem primis Chriſtianæ Hungariæ Sæculis ſtatum Prælatorum magna ex parte conſtituerant Græco-Catholici quoque Præſules, præſertim ante Belæ IV. Regis Hungariæ tempora, qui Jus Patronatus in Eccleſiaſticorum Regalium Beneficiorum Collatione ad Terras quoque Stephani V. extenderat, Latinos Unitis præponendo (Kat. Tom. VI. pag. 352—375-380.) id quod novis jamjam in Civile Bellum inter Patrem, & Filium Belam nempe IV. & Stephanum V. Reges Hungariæ diſſenſionibus occaſionem præbuit, quas a Præſulibus excitatas fuiſſe, Papæ Urbani IV. ad Præſidem Fratrum Prædicatorum de Hungaria datæ Anno 1264. Litteræ teſtantur (ibidem Kat. p. 419.) quæ inter alia ſic habent: „ Sane mirantes accepimus, & referimus conturbati, quod nonnulli Epiſcopi, & Eccleſiarum Prælati de „ Regno Hungariæ advertere dedignantes, quod ipſi non „ ſolum inter quoslibet Chriſti fideles de Regno ipſo, unitatis & pacis conſervare vinculum, verum etiam discordes ad concordiam toto poſſe revocare tenentur, diſenſiones, & jurgia in dicto Regno damnabiliter ſeminant, „ & quod gravius eſt, inter chariſsimos in Chriſto Filios „ Noſtros Belam Hungariæ, ac Stephanum primogenitum „ ejus, Reges Illuſtres, procurare odiorum ſcandala, & „ diſpendioſa diſsidia non formidant &c.

§ III. Stephanus V. primum Orientis, poſt fata vero Patris ſui Belæ IV. etiam Occidentis Hungariæ Rex factus,

in

in deligendis Eccleſiarum Prælatis, Apoſtolicæ Legationis authoritate, Regibus Hungariæ attributa, uſus, inter alios Smaragdum ad Albenſem promoverat Epiſcopatum, cui demum ſucceſsit Paulus, tandem Farkaſius, hi omnes Ritus Græco-Catholici ex eo Electi ſolum dicebantur, quod a Pontifice Romano non fuerint confirmati. Benedictum quoque Orodienſis Eccleſiæ Præpoſitum Lodomerio æque Græci Ritus ex Budenſi Præpoſito ad Varadinenſem Epiſcopatum promoto, ſuffecit (Vide Clar. Bardoſy Supplem. Analector. Terræ Scepus. pag. 419—420.) Hic Rex Stephanus V ſequebatur Ritum Maternum, Conjugisque ſuæ Græco Catholicum (Bar. ibidem). Porro Mater ejus Regina Hungariæ Maria. Utpote Belæ IV. Conjux, erat Theodori Laſcaris Græcorum in Aſia Imperium ſuſtentantis Filia, mulier pientiſsima Græco Ritui addicta. Eliſabetha quoque Stephani Conſors, ejusdem Græci Ritus Catholica, Bathi Filia, Chani Neptis, Cumana fuit. (Bar. in eodem ſuo Opere pag. 304—305—355.)

§ IV. Quanto numero fuerint condam ſub Corona Hungariæ Græco-Catholici Epiſcopi, nomina ipſa Epiſcopatum, a quibus tot quot Epiſcopi denominari etiam num ſolent, clare remonſtrant; ſunt autem præcipui ſequentes Epiſcopatus Alniſienſis, Anſarienſis, Albenſis, Belgradenſis, Boſonenſis, Biduanenſis, Caſarenſis, Corczolenſis, Drivastenſis, Dulcinenſis, Novienſis, Priſtinenſis, ſeu Priſcrenenſis, vel S. Irenæi, Samandrienſis, Sardicenſis, Scopienſis, Scutarienſis, Serbienſis, Tinninienſis, Titopolitani, Veglienſis, huc ſpe-

 ctant

ciant hodiernorum B nenſis videlicet, ſeu Diakovarienſis, & Sirmienſis, nec non Segnienſis, & Modruſsienſis ſeu Corbavienſis Canonice Unitorum Laciniæ. Denique his quoque adnumerandi veniunt Epiſcopatus Disunitorum utpote Aradienſis, Bacsienſis, Budenſis, Caroloſtadienſis, Pakraczenſis, Temesvarienſis, Tranſylvanienſis, & Verſchetzenſis, ſub Carloviczenſi Metropolita perſiſtentes. Sed de his jam ſatis: Res enim ipſæ rerumque adjuncta luculenter produnt, ſtatum Prælatorum conſtitiſſe condam ex copioſo numero Græco-Catholicorum Antiſtitum. Plura de hoc merito ſcire cupiens adeat Clariſsimum Bardoſſy; Opus enim eximium ſub titulo: Supplementum Analectorum Terræ Scepuſienſis Anno 1802. Leutſchoviæ excuſum, multa egregia, quæ hactenus latebant, e tenebris in lucem, (in Rem meam) producta Monumenta exhibet; Viri hujus eruditiſsimi ſinceras Merces, meis quoque miſcere mihi perquam volupe eſt. Jam vero revertamur, unde digreſsi ſumus, atque in nexu ea, quæ Fundationem Epiſcopatus Munkacsienſis concernunt, ultro proſequamur. Omnium hactenus Reſolutionum pro Diœceſi hac emanatarum ſtabilitati robur præbet Statutionis Actus Lege præſcriptus, qui ſub nectitur.

CAPUT XV.

Statutionis Inſtrumentum.

Sacratiſsimæ Cæſareo-Regiæ, & Apoſtolicæ Majeſtati FRANCISCO II. DEI Gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Regi, Archi-Duci Auſtriæ,

ſtriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Comiti Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, & Goritiæ &c. Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Agrienſis Orationum in Domino DEO devotarum aſsidua ſuffragia, cum humillima animorum, perpetuaque Fidelium ſervitiorum ſuorum ſubjectione. Veſtra noſſe dignabitur Sacratiſsima Cæſareo-Regia, & Apoſtolica Majeſtas; Nos Benignas Sacratiſsimæ, Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis glorioſæ Reminiſcentiæ LEOPOLDI II. DEI Gratia Romanorum Imperatoris, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Regis, &c. Majeſtatis Veſtræ Genitoris deſideratiſsimi Litteras mandati Introductorias, & Statutorias pro parte, & ad Inſtantiam Excellentiſsimi, Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi Andreæ Bacsinſzky, Græci Ritus Catholicorum Epiſcopi Munkacsienſis, Abbatis Sancti Petri Apoſtoli de Tapolcza, & ejusdem Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ Actualis Intimi Status Conſiliarii die vigeſima Menſis Octobris Anni proximius evoluti 1791. in Archi-Ducali Civitate Vienna Auſtriæ emanatas, ſigilloque Ejusdem Suæ Majeſtatis Sacratiſsimæ Authentico, ab extra inſuperiori earundem margine impreſsive communitas, Nobisque pro executione earundem præceptorie ſonantes, & directas, profunda cum humilitate, homagialique obſequio recepiſſe in hæc verba:

LEOPOLDUS II. DEI Gratia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex Apoſtolicus, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, & Lotharingiæ,

Magnus Dux Hetruriæ, Magnus Princeps Tranſylvaniæ &c. Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ, &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Fidelibus Noſtris Honorabilibus Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Agrienſis Salutem, & Gratiam: Quum Majeſtati Noſtræ ex parte Fidelis noſtri Nobis ſincere Dilecti Andreæ Bacsinſzky, Græci Ritus Catholicorum Epiſcopi Munkacsienſis, Abbatis S. Petri Apoſtoli de Tapolcza, & Noſtri Actualis Intimi Status Conſiliarii demiſſe exhibitæ, & præſentatæ ſint certæ Benignæ a Sacratiſsima, ac Potentiſsima olim Domina MARIA THERESIA Romanorum Imperatrice, ac Regina Hungariæ Apoſtolica, Genitrice Noſtra piæ memoriæ deſideratiſsima pro parte Epiſcopatus Græco-Catholicorum Munkacsienſis, ejusdemque Diœceſis jam determinatæ & aſſecuratæ ob præventam tamen ejusdem mortem attunc adhuc plene effectui mancipari haud queuntes, verum primo per Sereniſsimum olim, ac Potentiſsimum Principem Dominum JOSEPHUM hujus Nominis SECUNDUM, Electum Romanorum Imperatorem, & Hæreditarium Hungariæ Regem Fratrem Noſtrum felicis Recordationis deſideratiſsimum confirmatæ, & de Dato Vienna Auſtriæ die vigeſima octava Menſis Decembris Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo octuageſimo primo in Forma Libelli expeditæ, ſecretoque ejusdem Sigillo, quo ut Rex Hungariæ Apoſtolicus utebatur, inpendenti communitæ, & propriæ manus ſubſcriptione roboratæ, Fundationales Litteræ mediantibus, quibus Sereniſsima, ac Potentiſsima olim Domina MARIA THERESIA Romanorum Imperatrix, & Regina Apoſtolica Genitrix Noſtra felicis

Re-

Recordationis deſideratiſsima, neceſsitati Epiſcopatus Græci Ritus Catholicorum Munkacsien. omni ex parte providere cupiens, primum quidem pro Dote Menſæ Epiſcopalis, Abbatiam Sancti Petri de Tapolcza in Comitatu Borſodienſi, & Diœceſi Agrienſi ſitam, per Benignas Fundationales Litteras ſuas, de dato vigeſimæ ſeptimæ Septembris Anni Milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi ſexti emanatas effective contulerit, expoſt vero Sede Græco-Catholici Epiſcopi hujus Munkacsienſis Munkacsino ad Regium Camerale Oppidum Unghvár translata pro neceſſaria ejus, & Succeſſorum ſuorum, Capituli item, & Profeſſorum, ac Cleri ejusdem Reſidentia, & commodiori ſubſiſtentia (Reſidentia Munkacsienſi, cum ſuis pertinentiis ultro quoque pro Epiſcopis Munkacsienſibus in ſalvo relicta) in dicto Oppido Unghvár antiquam Arcem Militarem Unghvarinenſem, Collegium item abolitæ Societatis, atque penes idem exiſtentem Eccleſiam, porro Domos octo, ab eadem Eccleſia usque Arcenſe foſſatum continua ſerie ſemet extendentes, & in mappa eatenus confecta a numero primo, usque octavum denotatas, Dominalem item Hortum numero decimo ſignatum, cum Cæmeterio eidem contiguo, hortum item magnum, mentionato Collegio advicinum, cum Granario, & foſſa glaciali, prout & huic horto adjacentem Fundum deſertum ſub H, eidemque conterminam Domunculam ſub numero nono cum eo appertinente hortulo ſub I. ad hæc omnia ſub Collegio exiſtentia Cellaria, denique Fundum etiam, in quo ſtat Ædificium Scholare, citra ullum abinde pendendum ſeu publicum, ſeu dominale Onus libere poſsi-

denda contulerit, atque jam prioribus Annis per fidelem, & egregium Ignatium Jablanczy Conſiliarium Regium, & Bonorum Trauczaniano-Fiſcalium Adminiſtratorem reſignari, & effective per manus tradi fecerit, dein vero Sereniſsimus olim, ac Potentiſsimus Imperator, & Hungariæ Rex, Frater Noſter deſideratiſsimus medio alterius Cameralis Adminiſtratoris, Spectabilis, ac Magnifici Comitis Michaelis Sztaray de Nagy-Mihály, Oppidorum Hajdonicalium Directoris peculiariter ad id exmiſsi, Fundos quoque in prædicta Mappa ſub A. numeris undecimo, duodecimo, decimo tertio, decimo quarto, & decimo ſexto, item Littera L. deſignatos citra perſolvendum eorum æſtimationale pretium, & perinde absque ullo abinde pendendo ſeu publico, ſeu Dominali Onere poſsidendas (ſalvo tamen Jure alieno) clementer contulit, & ſimpliciter (ea tamen quoad omnia præmiſſa reſervata expreſſa cum conditione, ut ſi neſors Epiſcopus, aut ejusdem Succeſſores Domos, aut alia ædiſicia in reſignatis Fundis ſibi appropriari, aut vero penitus diruere vellent, proprietariis ædificiorum pretium perſolvere, prætereaque plateas in Mappis Littera M. & O. ſignatas pro communi uſu, & commodo in perpetuum relinquere, & ſuis ſumptibus conſervare, non ſecus in Fundis ab omni exercitio Jurium Regalium uti ſunt: Educilli, Braxæ, Macelli, & his ſimilium, ac omni etiam Fornicum pro Mercatoribus, Quæſtoribus, aut qualibuscunque Opiſicibus deſervientium errectione in perpetuum abſtinere juxta triplicis Ordinis Reverſales de dato primæ Februarii Anni Milleſimi ſeptingenteſimi octuageſimi primi de ſe datas de-

debeat, & teneatur, debeantque, & teneantur) cum neceſſaria limitum deſignatione effective reſignari fecit, inſuper autem ad rationem annuorum Mille octingentorum flor. pro Dote Eccleſiæ Cathedralis Græco-Catholicæ Munkacsienſis penes Caſſam Parochorum Poſonii conſtitutam emenſorum, Poſſeſsionem Koncz-Háza Comitatui Unghvarienſi adjacentem ad Collegium abolitæ Societatis Unghvarienſe antehac ſpectantem temporaneo, eo proinde, quo ipſa abolita Societas poſſedit Jure, ſub evictione tamen Fiſci Regii, ad vires Caſſæ Parochorum aſſumpta, habendam, & uſuandam benigne tradidit, contulit, & inſcripſit, Supplicando Majeſtati Noſtræ debita cum Inſtantia humillime quatenus Nos præfatas Fundationales Litteras, omniaque, & ſingula in iisdem contenta ratas gratas, & accepta habentes, Litteriſque Noſtris Confirmationalibus inſeri, & inſcribi facientes acceptare, approbare, ratificare, & confirmare dignaremur: Nosque pro ſolita Benignitate, & Clementia Noſtra Cæſareo-Regia ex parte memorati Andreæ Bacsinſzky, Græci Ritus Cath. Epiſcopi Munkacsienſis, ac ejusdem in Epiſcopatu Succeſſorum facta apud Majeſtatem Noſtram humillima Supplicatione Regia Benignitate exaudita clementer, & admiſſa prædictas Sereniſsimi olim, ac Potentiſsimi Imperatoris, & Regis Hungariæ Fratris Noſtri deſideratiſsimi Litteras Fundationales non abraſas, non Cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes aliis Litteris Noſtris Privilegialibus Confirmatoriis ſuperinde emanatis de verbo ad verbum ſine diminutione, & augmento aliquali inſertas, & inſcriptas,

quo-

quoad omnes earundem Continentias vigore attactarum Litterarum Noſtrarum Privilegialium Confirmatoriarum authoritate Noſtra Cæſareo-Regia in effectum Articuli trigeſimi ſecundi proxime celebratorum Regni Comitiorum, approbaverimus, roboraverimus, & ratificaverimus, ac perpetuo valituras benigniſsime, confirmaverimus, velimusque eundem Neo-creatum, & fundatum Epiſcopum Græco-Catholicum Munkacsienſem in Dominium præſpecificatæ Abbatiæ S. Petri de Tapolcza, in Comitatu Borſodienſi, & Diœceſi Agrienſi ſitæ, Fundorum item in dicto Oppido Noſtro Unghvár per præfatum Cameralem Adminiſtratorem Jablanczy antehac reſignatorum, nec non aliorum quoque in ſupra dicta Mappa ſub A. numeris undecimo, duodecimo, decimo tertio, decimo quarto, & decimo ſexto, item Littera L. deſignatorum Fundorum, prout & Poſſeſsionis Koncz-háza Comitatui Unghvarienſi adjacentis habiti, dictique Juris Noſtri Regii in iisdem habiti per Noſtrum Regium, & veſtrum Capitularem homines legitime introduci, eandemque, eosdem, eandem, & idem eidem ſtatui facere Lege Regni admittente. Super quo vobis harum ſerie benigne committimus, & mandamus, quatenus veſtrum mitatis hominem, veſtro pro Teſtimonio Fide dignum, quo præſente Fideles Noſtri Egregius Caſparus Oroſz de Csicser, Conſiliarius Noſter Regius, vel Paulus Horváth de Palócz, Comitatus Unghvár. Ordinarius Vice-Comes, aut Sigismundus Bernàth de Eadem, dicti Comitatus Unghvarinen. ſubſtitutus Vice-Comes, aliis abſentibus, homo Noſter Regius per Nos ad id ſpecialiter transmiſſus ad faciem præmentionatæ Abbatiæ Sancti Petri de Tapol-

Tapolcza Comitatui Borſodienſi, & Diœceſi Agrienſi ingremiatæ, nec non Fundorum in dicto Oppido Noſtro Unghvár per Cameralem quondam Adminiſtratorem Jablanczy reſignatorum, aliorum item in ſupra dicta Mappa A, & numeris undecimo, duodecimo, decimo tertio, decimo quarto, & decimo ſexto, ac Littera L. deſignatorum Fundorum, prout, & Poſſeſsionis Konczháza, præfato Comitatui Unghvárienſi adjacentis, vicinis, & Commetaneis, ejusdem, eorundem, & ejusdem Univerſis inibi legitime convocatis, & præſentibus accedendo introducat præmentionatum Græco-Catholicum Epiſcopum Munkacsienſem in Dominium prædeclaratæ Abbatiæ Sancti Petri de Tapolcza, & præattactorum in Oppido Noſtro Unghvár prævio modo reſignatorum, nec non aliorum in ſupra attacta Mappa ſub A. numeris undecimo, duodecimo, decimo tertio, decimo quarto, & decimo ſexto, item Littera L. deſignatorum, Fundorum, prout & Poſſeſsionis Konczháza, dicto Comitatui Unghvarinenſi adjacente, dictique Juris Noſtri Regii in iisdem habiti, ſtatuatque eosdem, easdem, & idem, eidem, ejusdemque Succeſſoribus Conditione, Titulo, & modalitate in Litteris Noſtris Fundationalibus uberius declaratis perpetuo poſsidentibus, ſi non fuerit Contradictum, Contradictores vero, ſi qui fuerint, evocet eosdem idem Teſtimonium Veſtrum contra annotatum Epiſcopum Græco-Catholicum Munkacsienſem in Curiam Noſtram Regiam, Noſtram videlicet perſonalem in præſentiam ad Terminum competentem rationem contradictionis eorum reddituros efficacem. Et poſt hæc ſuper hujusmodi Introductionis, & Statutionis ſerie

M ſimul

ſimul cum Contradictorum, & evocatorum, ſi qui fuerint, vicinorum, & commetaneorum, qui præmiſſæ ſtatutioni intererunt, nominibus, terminoque aſsignato, ut fuerit expediendum, Nobis ſuo modo, & ordine fideliter reſcribatis, ſecus non facturi. Datum in Archi-Ducali Civitate Vienna Auſtriæ die vigeſima Menſis Octobris Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo primo (L. S.) dorſaliter appreſsi. Nos itaque præmiſsis Benignis Altefatæ Majeſtatis Sacratiſsimæ Commiſsionibus, & Mandatis humillime obedire, & prout tenemur, ſatisfacere cupientes, una cum præmemorato Spectabili Caſparo Oroſz Csicser, Suæ Majeſtatis Sacratiſsimæ Conſiliario, homineque inpræinſertis Benignis Litteris Introductoriis, ſeu Statutoriis inter alios homines Regios nominetenus ſpecificatos denotato, & ad id ſpecialiter transmiſſo, Noſtrum hominem Reverendiſsimum quippe Andream Paál, Archi-Diaconum de Pankotta Fratrem, alias Socium, & Con-Canonicum Noſtrum ad prædictam Introductionem, ſeu Statutionem rite, & legitime peragendam, Nobisque fideliter referendam, Noſtro pro Teſtimonio Fide dignum duxeramus exmittendum; qui tandem exinde die 21. Menſis Septembris Anni modo cur. infraſcripti ad Nos una reverſi ſub Juramento in generali Regni decreto ſuperinde expreſſo Nobis uniformiter retulerunt hunc in modum: Qualiter videlicet ipſi Die prima præterlapſi Menſis Auguſti Anni modo labentis, Termino videlicet ad actum ſtatutionis ſpecialiter defixo, convocatis prævie vicinis, & commetaneis, ſignanter autem Illuſiriſsimis L. B. Dominico Gilányi de Lazy, Gabriele Vécsey de Hajnacskeö; Antonio, &

& Emerico utroque Horváth de Muranicz, item Magnifico Adamo Csathó de Jüge, Diſtrictus Munkacsienſis Adminiſtratore, ac Cameræ Regiæ Hungarico Aulicæ Conſiliario, nec non Generoſis, ac Egregiis Alexio Okolitsanyi de Eadem, Adminiſtrationis Cameralis adjuncto, Georgio Oroſz de Csicser, Samuele Kraſznecz de Draskocz, Ignatio Oroſz de dicta Csicser, Franciſco Pongrácz de Szent-Miklos & Ovar, ac Michaele Eöry, Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſoribus; dein Paulo Bernath de Bernathfalva, & Laurentio Nemes de Bihárfalva, Ord. Judlium prælibati Comitatus de Ungh, porro a parte Venerabilis Cleri Reverendiſsimo Georgio Noſzdrovicsky, Diſtrictus Ungvarinenſis Archi-Diacono, honorabili Joſepho Patala, Parocho Eörienſi, aliisque quamplurimis utriusque tam Latini, quam Græci Ritus Individius confluentibus, & præſentibus; Primo ad faciem Regio Coronalis Oppidi Unghvár Comitatui nominis ejusdem ingremiati, conſequenterque Reſidentiam antelati Donatarii in eodem Oppido habitam accedendo, ibidemque ante Fores ejusdem Reſidentiæ tam JOSEPHI SECUNDI Patrui Collationalibus, ac LEOPOLDI itidem SECUNDI Genitoris, Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ deſideratiſsimi Felicium recordationum Benignis Donationalibus, quam etiam Introductoriis, & Statutoriis ejusdem Genitoris Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ alta, & intelligibili voce lectis, & publicatis crebrius memoratum Donatarium, ac per ipſum, medioque ejusdem Succeſſores quoque ipſius. Idem homo Majeſtatis Veſtræ Regius antelato Teſtimonio Noſtro præſente, & ad omnia fideliter attendente, in Dominium prætactæ Reſiden-

M 2 tiæ,

tiæ , conſequenter etiam reliquorum in Benignis Litteris Donationalibus contentorum, & ſpecificatorum Arcis videlicet modo Seminarii Cleri, huicque adnexorum ſecundum Litteras , & numeros mappaliter connotatorum, ac circumſcriptorum modalitate in Benignis Litteris Donationalibus declarata introduxit , & ſtatuit ; Inde e veſtigio digreſsi fuiſſent, ad Faciem Poſſeſsionis Konczháza, ibique quamplurimis præſentibus eandem quoque idem homo Majeſtatis Veſtræ antelato Teſtimonio Noſtro peræque præſente, & fideliter invigilante, multoties fato Donatario tradidit, & aſsignavit, nullo penitui in faciebus locorum occaſione Statutionis contradictore apparente, verum tertia peractæ Statutionis die Nnobilis Maria Budaházy, Conſors Egregii Pauli Salak ſtatutioni in Konczháza peractæ tam ſuæ, quam Congenerationalium nomine contradictionis velamine obviavit, quam mox & e veſtigio antelatum Teſtimonium Noſtrum contra annotatum Donatarium in Curiam Regiam perſonalem videlicet Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ in præſentiam rationem Contradictionis ſuæ reddituram efficacem evocavit , nullo amplius ibidem coram ipſis Regio, & Noſtro hominibus in Facie Loci moram trahentibus, ſed nec hic quoque usque ad emanationem præſentium Contradictore apparente, ſeriem itaque præſcriptæ Introductionis , & Statutionis ſimul cum vicinorum, & Commetaneorum, qui eidem Statutioni intererant, ac Contradictricis, & evocatæ nomine Majeſtati Veſtræ Sacratiſsimæ præſentibus humillime reſcripſimus. Datum Agriæ 52. Die Diei Introductionis, & Statutionis prænotatarum, ipſa quippe Die factæ Relatio-

tionis, Feria nempe 6. proxima ante Dominicam decimam ſeptimam poſt Pentecoſten in diem 21. Menſis Septembris incidente Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo, Franciſco Miklóſſy, Præpoſito majore; Joſepho Zabratzky, Lectore; Joſepho Tégláſſy, Cantore; Michaele Berecz, Cuſtode; Joſepho Naray, Cathedrali; Nicolao Dobronyay, B. V. M. de Caſtro Agrienſi Præpoſito; Joſepho Major, Bereghienſi; Andrea Paál de Pankotta; Stephano L. B. Fiſcher de Jarcza-Feö, Archi-Diaconis; Georgio Tajer, Emerico Egerſzegy, & Antonio Makay, Canonicis; Magiſtris in Eccleſia hac Noſtra DEO jugiter Famulantibus (L. S.) Lectum per Joſephum Zabraczky m. p. A. C. & Lectorem.

Finis Partis quintæ.



Statum Præſentem, ſeu Anni 1804. Diœceſis

Græco - Catholicæ Munkacsienſis

Hierarchicum &c.

PARS VI.

Errata Partis V.

Pagina:	*Linea:*	*Errata:*	*Corrige:*
6	4	Eccleſia	Eccleſiæ
11	6	acceperint	occeperint
19	18	dictum	victu
23	23	Cancellas	Cancellos
27	14	ſuſternatos	ſuſtentatos
31	25	finio	finio
34	14	intellexerunt	intellexerat
—	19	perſiſteret	perſiſtere
42	12	ad manus	ad munus
55	24	Locumtenentiales	Lecumtenentiale
57	7	eorundem reparationibus	reparandorum

BREVIS NOTITIA
FUNDATIONIS
THEODORI KORIATHOVITS,
OLIM
DUCIS DE MUNKACS, &c.

EXHIBENS

Statum Præſentem, ſeu Anni 1804. Diœceſis Græco - Catholicæ Munkacsienſis Hierarchicum &c.

PARS SEXTA
TOMUS II.

AUTHORE

R. P. JOANNICIO BASILOVITS,
Ordinis Sancti BASILII Magni,
In Venerab. Monaſterio de Monte Csernek ad S. Nicolaum prope Oppidum Munkacs
PROTO-HEGUMENO.

CASSOVIÆ,
TYPIS JOANNIS JOSEPHI ELLINGER
1805.

PARS VI.

CAPUT I.

§ I.

Diœceſim hanc ab Anno 1772. feliciter regit Excellentiſsimus, Illuſtriſsimus, ac Reverendiſsimus Dominus ANDREAS BACSINSZKY, DEI Providentia Epiſcopus Munkacsinenſis, Abbas SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli de Tapoltza, Sacratiſsimæ Cæſareæ, & Regio-Apoſtolicæ Majeſtatis Actualis Intimus Status Conſiliarius, qui ætatis ſuæ Annum agit ſeptuageſimum tertium, Epiſcopatus vero trigeſimum tertium, a Collatione Abbatiæ Tapoltzenſis vigeſimum octavum, a Tranſlatione autem Cathedræ Epiſcopalis Munkacsino Unghvarinum vigeſimum ſeptimum.

D. Epiſcopi Andreæ Ætas Anni Epiſcopatus Tranſitus Unghvarinum recenſentur.

VENERABILE CAPITULUM

Cathedralis Eccleſiae Munkacsienſis.

V. Capituli Individua cum eorum Officiis deſcribuntur.

§ II. Archi-Presbyter, ſeu Præpoſitus Major, & Canonicus Rmus D. MICHAEL BRADACS, Abbas S. Andreæ

de Sáary, alias Sár Monoſtra, Inclytorum Comitatuum Scepuſienſis, & Gömörienſis Archi-Diaconus; Sároſienſis vero Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor, nec non Excellentiſsimi, Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi Domini Epiſcopi Munkacsienſis per Diſtrictum Caſſovienſem in Spiritualibus Vicarius Secundarius, & Cauſarum Auditor Generalis.

Archi-Diaconus, ſeu Lector, & Canonicus Reverendiſſimus Dominus MICHAEL SCSAVNITZKY, I. Comitatus Unghvarienſis Archi-Diaconus, & SS. Theologiæ Doctor, nec non Lycei Epiſcopalis Pro-Director.

Primicerius, ſeu Cantor, & Canonicus Reverendiſsimus Dominus JOANNES KUTKA, II. Comitatuum Bereghienſis, & Ugotsienſis Archi-Diaconus, nec non Bereghienſis, & Unghvarienſis Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſo, ac una Diœceſani Epiſcopi Munkacsinenſis in Spiritualibus Vicarius, & Cauſarum Auditor Generalis.

Eccleſiarcha, ſeu Cuſtos, & Canonicus Reverendiſsimus Dominus JOANNES KOPTSAY, II. Comitatuum Aba-Ujvarienſis quidem, Borſodienſis, & Tornenſis Archi-Diaconus, Szaboltsenſis vero, Ugotsienſis, & Zemplinienſis Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor.

Scholaſticus Canonicus Vacat.

Cartophilax, ſeu Cancellarius Reverendiſsimus Dominus Canonicus BASILIUS PAPP, I. Comitatus Szathmarienſis Archi-

Archi-Diaconus, ac una Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor, prout, & Regio-Epiſcopalis Seminarii Unghvarienſis Rector.

Reverendiſsimus Dominus GREGORIUS TARKOVITS, Cathedralis Eccleſiæ Munkacsienſis Canonicus, ad Typographiam Illyricam Regiæ Univerſitatis Peſtanæ Librorum Cenſor, ac una II. Comitatuum Szabolts, & Unghvár Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor.

CANONICI HONORARII.

§ III. Cathedralis Eccleſiæ Munkacsinenſis Reverendiſſimus Dominus GEORGIUS KÖSZEGHY, Cathedralis Eccleſiæ Munkacsinenſis Canonicus, Regio Coronalis Oppidi Szigeth Parochus, nec non Excellentiſsimi Domini Epiſcopi Munkacsinenſis per Inclytum Comitatum Maramoroſienſem Vicarius Foraneus, ac una ejusdem Comitatus Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor. Canonici Honorarii.

Reverendiſsimus Dominus MICHAEL KRUTSAY, Cathedralis Eccleſiæ Munkacsienſis Caronicus, & Parochus ac Vice-Archi-Diaconus Ujhelienſis, nec non Inclyti Comitatus Zemplinienſis Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor.

Reverendiſsimus Dominus DEMETRIUS BÖTHY, Lib. Regiæque Civitatis Szathmarienſis Parochus, nec non Excellentiſsimi Domini Epiſcopi Munkacsinenſis per Inclytum Comitatum Szathmarienſem Vicarius Foraneus, ac una ejusdem Comitatus Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor.

VENERABILE CONSISTORIUM.

V. Conſiſtorii conſtitutiva.

§ IV. Conſtituunt Actuales Reverendiſsimi Domini Canonici, & SS. Theologiæ Profeſſores, Notarius item Admodum Reverendus Dominus JOANNES ZSURHOVITS, Perilluſtris Dominus MARTINUS HODERMARSZKY, Conſiſtorii Fiſcalis, una etiam Suæ Excellentiæ Archivarius.

SS. Theologiæ Licei Epiſcopalis Unghvarienſis.

SS. Theologiæ Profeſſores.

§ V. Admodum Reverendi, ac Clariſsimi Domini, Domini PAULUS CSIPRITS, Dominus MICHAEL TABAKOVITS, Dominus BASILIUS LADISSINSZKY, Dominus ELIAS VULTUR, & Dominus BASILIUS KÖVÁRY.

Diœceſis Munkacsinenſis.

Extenſio Diœceſis Munkacsienſi per 13 Comitatus.

§. VI. Per tredecim extenditur Comitatus, videlicet Aba-Ujvarienſem, Bereghienſem, Borſodienſem, Maramoroſienſem, Sároſienſem, Scepuſienſem, Szaboltsenſem, Szathmarienſem, Ugotsienſem, Unghvarinenſem, Zemplinienſem, Gömörienſem, & Tornenſem.

Parochias habet 740.

Diœceſis hæc conſtat ex Diſtrictibus quinquaginta novem, & Parochiis ſeptingentis quadraginta, excluſis, ſeu non computatis Filialibus, quemadmodum Tabula ſequens clare remonſtrat.

CA-

CAPUT II.

In Comitatu Aba-Ujvarienſi.

Diſtrictuum, Vice-Archi-Diaconorum, & Parochiarum Nomina.

Diſtrictus	Nomen & Cognomen Vice-Archi-Diaconi	Habet ſub ſe Parochias
		Nro.
Caſſovienſis	Baſilius Hodobay	6
Cserehatienſis	Joannes Mihay	10
Szantovienſis	Joannes Farkas	6

In Comitatu Bereghienſi.

Bereghſzaſzienſis	Theodorus Szidor	8
Borzsavienſis	Lucas Vaſzko	8
Bubuliskenſis	Idem qui Munkacsienſis	13
Krajnenſis	Baſilius Kotzan	14
Munkacsinenſis cum Sz. Mikloſi uniti	Andreas Kutka	12
Szolyvenſis	Gregorius Koſſun	11
Veretzkienſis	Alexander Koverdányi	12

In Comitatu Borſodienſi.

Borſodienſis	Andreas Csirſzky	10

In Comitatu Maramoroſienſi.

Diſtrictus	Nomen & Cognomen Vice-Archi-Diaconi	Habet ſub ſe Parochias
		Nro.
Botskovienſis	Simeon Andrukovits	12
Dolhenſis	Idem qui Huſztenſis	6
Huſztenſis	Stephanus Andrukovits	13
Izenſis	Baſilius Papp	15
Koſzovienſis	Theodorus Rednik	14
Szigethienſis	Rmus D. Georg. Köſzeghy, Vicarius Marmaticus	15
Taratzközienſis	Petrus Zsetkey	13
Verhovinenſis Marmaticus	Michael Gregaſy	18
Viſovienſis		10

In Comitatu Saroſienſi.

Bukotzenſis	Petrus Ruby	13
Bartphenſis	Joannes Petrikovits	11
Eperjeſienſis	Michael Dudinſzky Senior	14
Popradienſis	Petrus Ilkovits	13
Makovitzenſis	Baſilius Salamon	12
Szvidnikienſis	Joannes Jakovits	11

In Comitatu Scepuſienſi.

Diſtrictus	Nomen & Cognomen Vice-Archi-Diaconi	Habet ſub ſe Parochias
		Nro.
Inferioris	Michael Dudinſzky Junior	10
Superioris	Michael Kanyuch	8

In Comitatu Szaboltsenſi.

Doroghienſis	Joannes Krisfaluſi	23
Gyulaienſis	Joannes Molnar	15

In Comitatu Szathmarienſi.

Avaſienſis	Joannes Fejér	15
Bikalyienſis	Gregorius Bojtor	13
Erdö-Szádienſis	Georgius Papp	13
Felsö-Banyenſis	— — —	7
Nagy-Banyenſis	Andreas Gazsy	13
M. Karolienſis	Petrus Papp	16
Nyirenſis	Joannes Bradacs	11
Szathmarienſis	Rmus. D. Demetrius Böthy, Vicarius Foraneus	14
Erdödenſis	Demetrius Kardos	17
Szinyir-Váralyenſis	Baſilius Izakovits	

In Comitatu Ugotsienſi.

Diſtrictus	Nomen & Cognomen Vice-Archi-Diaconi	Habet ſub ſe Parochias
		Nro.
Szöllöſienſis	Joannes Zambory	16
Tur-Terebeſienſis	Joannes Złotzky	16

In Comitatu Unghvarienſi.

Bereznenſis	Vacat	16
Turienſis	Baſilius Popovits	10
Szerednyenſis	Petrus Kontratovits	10
Szobrantzenſis	Joannes Batsinſzky	16
Unghvarinenſis	Joannes Lyachovits	15

In Comitatu Zemplinienſi.

Bodrogközienſis	Andreas Chira	6
Galſzétsienſis	Joannes Bunzak	12
Hegyelyenſis	Andreas Bányay	14
Homonnenſis	Joannes Bitsey	7
Labortzenſis	Baſilius Kutka	18
Nagy-Mihalyenſis	Demetrius Demnyanovits	14
Sztropkovienſis	Andreas Hamara	16
Varanovienſis	Michael Gulovits	16
Hoſztovitzenſis	Paulus Danilovits	13
Zanaſztaſienſis	Andreas Gerzanits	10
S. A. Ujhelyienſis	Rmus D. Michael Krutsay	15

CA-

CAPUT III.

In Comitatu Bereghienſi.

Monaſterio Munkacsienſi

Status Perſonalis Religioſorum
Ordinis Sancti Baſilii Magni.

Status Perſonalis Religioſorum Ordinis Sancti Baſilii Magni deſcribitur.

Monaſterium Munkacsienſe.

A. R. P. JOANNICIUS BASILOVITS, Proto-Hegumenus.
P. Innocentius Viletzky, Conſultor.
P. Manuel Papp, Conſultor.
P. Alexander Staurovſzky, Spiritualis.
P. Samuel Gontza, Vicarius.
P. Gervaſius Komarnitzky, Concionator.
P. Hilarius Kozak.
P. Paladius Tzipa, Cap. Munk.
P. Nazarius Tabakovits.
Diac. Gregorius Fejér.
F. Gedeon Tzuprak, in Seminar.
F. Baſilius Kriſzovits.
F. Arſenius Barankovits.
F. Joel Hadzsega.
F. Hypolitus Szegedy, Ungvar. in Seminar.
F. Nilus Konſztantin.
F. Theophanes Voloſinovſzky.
F. Methodius Andrejkovits.

In Comitatu Szaboltsenſi.

Mona- ſterium Pótsienſe.

Monaſterio Pótsenſi

Status Perſonalis Religioſorum Ordinis Sancti B ſili Magni.

R. P. Ambroſius Kaſper, Hegumenus.
P. Antonius Kotzak, Spiritualis.
P. Hyeronimus Ilkovits, Spiritualis.
P. Paulus Molnar, Vicarius.
P. Martimianus Zapototzky, SS. Theologiæ Profeſſor, & ſimul Parochiæ Adminiſtrator.
P. Ezechiel Polyuch, Concionator.
P. Nicephorus Ortutay, Eccleſiarcha, & Catecheta.
P. Abraamius Lengyel, Coadjutor Parochiæ.
P. Geraſimus Bottyány, Profeſſor.
F. Marcellus Blicha, Profeſſor.

Clerici SS. Theologiae Auditores.

Joannicius Viletzky.
Jonas Lengyel.
Moyſes Gulyas.
Maximus Jelenyak.
Euthimius Demnyanovits.
Ignatius Plaxay.

Bar-

In Comitatu Szaboltsenſi.

Status Perſonalis Religioſorum
Ordinis Sancti Baálii Magni.

Monaſterio Pétsenſi

Barnabas Hadzsega.
Hyeronimus Zavatkay.

Laici: Iſacius Bixey.
Pachomius Puskas.

In Comitatu Zemplinienſi.

Monaſterio Kraſznobrodenſi

Monaſterium Kraſznobrodenſe.

R. P. Innocentius Danielovits, Hegumenus.
P. Jerotheus Sarkady, Moderator Novitiorum.
P. Germanus Kotrady, Vicarius.
P. Galakteon Popik, Spiritualis.
P. Martyrius Hodermarſzky.
P. Joſephus Demnyanovits.
F. Thomas Vorobely.
F. Gabriel Liptsey.

Novitii.

Jerotheus Majoros.
Anatolius Podhorotzky.
Martinus Pajkos.
Ananias Krajnay.
Iſidorus Kriſovits.

In Comitatu Unghvarienſi.

	Status Perſonalis Religioſorum Oroinis Sancti Baſilii Magni.
Monaſterio Kiſs-Bereznenſi	R. P. Manaſſes Andrejkovits, Hegumenus.
	P. Theophilus Paſztelyi, Spiritualis.
	P. Paphnutius Konſztantin, Vicarius.
	P. Jacobus Chanaſz.
	F. Manuel Staſzinſzky.
	F. Iſidorus Bolcha.
	F. Theodoſius Póch.

Monaſterium Bereznense.

In Comitatu Bereghienſi.

Monaſterio Miſzticenſi	R. P. Abraamius Koleſzar, Hegumenus.
	P. Iſacius Molnar, Vicarius.
	P. Spiridion Molnar, Spiritualis.
	P. Benedictus Ribovits.
	P. Macarius Svitlik, Adminiſtrator Parochiæ.
	F. Genadius Leferovits.
	F. Meletius Rojkovits.
	F. Juſtinus Hamburſzky.
	F. Elias Haletskovits.

Monaſterium Miſzticenſe.

In

In Comitatu Saroſienſi.

Status Perſonalis Religioſorum
Ordinis Sancti Baſilii Magni.

Monaſterio Bukotzenſi	R. P. Irinarchus Kotrady, Hegumenus. P. Parthenius Koleſzar, Spiritualis. P. Alexius Chilla, Concionator. P. Thadeus Szpalinſzky. P. Iſaias Daday. F. Jeremias Gavura. F. Athanaſius Vitstsák.

Monaſterium Bukotzenſe.

In Comitatu Szathmarienſi.

Monaſterio Bixadienſi	R. P. Beniamin Laukay, Hegumenus. P. Ignatius Danilovits, Vicarius. P. Barnabas Görög, Spiritualis. F. Joachimus Danilovits. F. Vincentius Kovats.

Monaſterium Bixadienſe,

CAPUT IV.

§ I.

A Literatura, Studiis altioribus, ex eruditione Clerus hic Ruthenus olim clarus eſſe haud potuit; mediis enim ad Scientias comparandas neceſſariis erat penitus deſtitutus, deerant antehac Scholæ domeſticæ, deerant etiam ſum-

Clerus Ruthenus non tam eruditus,

quam exemplaris olim fuit.

ſumptus, plebs Ruthena miſera, eaque potiſsimum contribuens, Parochi pauperes, prolium proinde ſuarum excolendarum incapaces, interea tamen pia, ac exemplari ſua vita peritia, & exacta obſervatione ritus, ac diligenti Sacramentorum adminiſtratione ita ſtabilem ſibi ſubordinatum populum eformare ſtuduerat Clerus hic, ut quæque adverſa ſufferre, ac commodis omnibus privari maluerit potius, quam a ritu avitico, & a Religione Orthodoxa dimoveri, pſalmodia, nocturna, atque diurna Melodia, Cantu præſertim Irmologico ad Eccleſiam, non ſecus ac ad domum convivii alliciebat, provocabatque.

Idem nunc Clerus Scientiis omnibus excolitur præhabitis mediis neceſſariis.

§ II. Nunc vero Providentia Dei, nec non Regum Apoſtolicorum Clementia factum eſt, ut Clerus Ruthenus prope omnibus Scientiis in dies excolatur, prodeunt nunc e Seminariis tam Generalibus, quam & domeſtico Viri clariſsimi, Paſtores Ovium Chriſti exactiſsimi, Parochi Zeloziſsimi: providentur, dotantur e Fundo publico, Reſolutio Cæſareo-Regia de dato Budæ diei 23. Auguſti Anni 1796. id clare docet, vigore cujus triginta Millia Rhenenſium Florenorum Titulo ſubſidii annui prærepetitus Clerus e Fundo Religionario levare ſolet. Juvat hic præattactæ Reſolutionis ſubnectere Tenorem.

Dotatur ex Munificentia Regia Titulo ſubſidii annui perci-

§ III. Illuſtris, plurimum Reverende, Excellentiſsime, Illuſtriſsime, & Reverendiſsime Epiſcope, Amice Chariſsime, Domine Nobis obſervandiſsime! Præter 8000. Florenos in neceſsitates Diœceſis hujus Munkacsienſis, & reſpective

ctive meliori Parochorum Græci Ritus Catholicorum Dotatione e Fundo Religionario hactenus annue dependi ſolitos, Benigne jubente Sua Majeſtate Sacratiſsma alios adhuc 22000. Rh. florenos a 1. Maji Anni præſentis 1796. inchoando erga Quietantiam Excellentiæ Veſtræ, & pro rata quidem temporis, ab eadem 1. Maji jam præteriti, ad ſemel, pro futuro autem ſtatis temporibus ex memorato Fundo Religionario ſuperaddendos, & in proxima Filiali Caſſa exaſsignandos ſub hodierno apud G. Caſſæ Polit. Fund. Præfecturatum hujatem diſponi; Excellentiæ Veſtræ pro debita ſui Directione præſentibus notum redditur. Datum ex Conſilio Locumtenentiali Hungarico Budæ die 23. Auguſti Anno 1796. celebrato. Illuſtris plurimum Reverendæ Excellentiſsimæ, Illuſtriſsimæ, ac Reverendiſsimæ Dominationis Veſtræ ad Officia paratus, & paratiſsimi Paulus Almaſy m. p. Comes Joannes de Nadasd m. p.

pit 30000. Rh. Florenorum pro Parochis Generalis Catholicis Titulo annui ſubſidii An. 1796.

Illuſtri plurimum Reverendo, Excellentiſsimo, Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino ANDREÆ BACSINSZKY, Græci Ritus Cathol. Epiſcopo Munkacsienſi, Abbati S. Petri Apoſtoli de Tapoltza, Sacratiſsimæ Cæſareo-Regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis Actuali Intimo Conſiliario, Amico Chariſsimo, Domino nobis obſervandiſsimo (L. S.)

Præſentem Copiam cum ſuo vero, & genuino Originali collatam, eidemque in omnibus conformem eſſe teſtor. Unghvarini 15. Martii 1803. Martinus Hodermarſzky, Suæ Excellentiæ Epiſcopalis Juratus Archivarius m. p.

CAPUT V.

§ I.

Clar. Schvartner carpit Ruthenos, & Valachos de negligentia Inſtitutionis Prolium.

In Statiſtica Hungariæ (Peſtini, Anno 1798. Germanico Idiomate edita) Parte III. § 202. Clariſsimus SCHVARTNER de Ruthenis, & Valachis Diœceſis Munkacsienſis in hunc modum ſcribit: „ Relate ad Scholas, & animi, ſeu „ ingenii culturam generatim Uniti Rutheni, & Valachi „ omnium hucusque memoratarum Eccleſiaſticarum ſive „ Religionariarum Societatum ultimi ſunt. In Comitatibus „ ad Orientem, & Septemtrionem ſitis Unghvarienſi, Be„ reghienſi, Ugotsienſi, Szathmarienſi, & Maramoroſienſi, „ numerabatur magna Populi multitudo, Anno 1786, & „ 1787. utpote 385898; hos inter erant tres octavæ Ruthe„ norum, & duæ octavæ Valachorum, & tamen in Ruthe„ nicis, & Valachicis Pagis nullibi vel una inveniebatur „ Schola " calculatis dein calculandis contendit idem Clariſsimus Author 22662. Puerorum, & 19202. Puellarum inſimul 41864. millia Prolium, quæ in dictis Comitatibus, Anno 1788. Scholaſticæ Inſtitutionis capaces fuiſſent, charæ Matris naturæ Educationi, & curæ unice relicta fuiſſe. Rectum habet, ita est. —

Modeſte reluitur redarguitio Clariſsimi Schvartner

§ II. Bona venia magni hujus Viri adverto, 1. Ruthenos, & Valachos Diœceſis Munkacsinenſis ab educatione, & inſtitutione ſuarum Prolium ultimos in Hungaria poni. Con-

Concedatur id eſſe verum, & querantur hujus rei cauſæ. Domini Diœceſani Munkacsinenſes erectionem Scholarum inſtituendis Parvulis idonearum indeſinenter ſollicitant. Cl e-rus Diœceſanus, ſeu Parochi ſuis Fidelibus Inſtitutionem hanc ad ravim clamant, & omnibus poſsibilibus modis urgent. Nec Parentes Inſtitutioni reſiſtunt, ſed plurimis publicis oneribus exhauſtis, ad veſtiendas, Libellisque neceſſariis providendas ſuas Proles deſunt Vires; præterea deſunt Scholaria ædificia, deſunt fundati Magiſtri; Voluntas, & Animi, ſe ſuasque Proles perficiendi, & beatiores reddendi, minime deſunt, quod patet in potentioribus, ſeu ditioribus Colonis, qui ad remotiores etiam Scholas, Latinaque Gymnaſia ultro ſuas dimittunt Proles. Interim

quoad negligentiam Ruthenorum circa æducationem Prolium.

§ III. Ut ut miſeri, & inopes ſint in Pagis Rutheni, & Valachi, Proles eorum neceſſaria Religionis Chriſtianæ Inſtitutione haud deſtituuntur, quia de æſtate in Eccleſiis catechizantur, in hyeme adeunt Cantores, & Parochos; ad Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Matrimonii non admittuntur; priusquam ex Doctrina Chriſtiana ſtrictiſsimum ſubeant Examen. Et hoc in miſerioribus Montanis Pagis: Secus enim ſe res habet in Oppidis, & Opulentioribus Pagis, quorum omnium Triviales Ludos numerare longum foret. X Conſcriptiones Annorum 1786, & 1787. a Clariſsimo Authore allegatæ factæ ſunt tempore æſtivo, tempore laborum Campeſtrium, quo tempore Pagenſes Scholæ plurimis in Locis ceſſant, & ideo forte a Dominis Conſcriptoribus obſervatæ non ſunt.

 Ter-

X Quot sunt illi Ludi triviales? – Resp: vix unum alterve.

Tertio: Inſtitutio tam Parvulorum, quam Seniorum plurimum pendet a Scientia, & zelo Parochorum. Jam vero Parochis Ruthenis, ac Valachis adeſſe ſufficientem Paſtoralem Scientiam cuique patet, qui novit Juniorem Clerum partim in exteris Seminariis, partim in domeſtico Unghvarienſi, & quidem juxta Syſtema Altiſsimo Loco præſcriptum, & cum Latini Ritus Seminariis, Liceisque commune, æducari. Zelus Parochorum, quoad Sacros Sermones ad Concionem dici ſolitos, quoad Catecheſes, & Sacramentorum Adminiſtrationem, aliaque Domino Diœceſano, ſingulis Annis per Diſtrictuales Officiales, ſeu Vice-Archi-Diaconos in Tabellis Informatoriis accurate refertur. Et num evenire poteſt, ut quispiam Parochorum ſuo deſit muneri?

Verum hæc ſufficiunt, puto de reformandis Ideis, & mutando Judicio quoad Inſtitutionem Ruthenarum, & Valachicarum Prolium prius habito prælaudati Viri Clariſsimi.

Criſis Claris. Schvartner adverſus Diploma Koriathovitsianum de Fundatione Monaſterii Munkacsienſi.

§ IV. Neque præterea ſilentio præterire poſſum Criſim ac Cenſuram prælaudati Clariſsimi Viri in Opus meum ſub Titulo: *Brevis Notitia Fundationis Theodori Koriathovits*, *Anno* 1799. *in quarto Caſſoviae editum.* Vir hic Clariſsimus MARTINUS ‘CHVARTNER, Bibliothecæ Regiæ Scien. Univerſitatis Peſtanæ Cuſtos primus, & Profeſſor Diplomaticæ in ſuo Opere, cui Titulus: *Introductio in Rem Diplomaticam Ævi Intermedii praecipue Hungaricam Budae Typis Regiae Univerſitatis Peſtanae Anno* 1802. *Editio* 2-*da.* § *XXIII. Pag.* 48. *Prolegom.* Sectione 2-da

de

de Fundatione Monaſterii Munkacsinenſis hæc habet: „Fundatio Monaſterii Rutheni Munkacsienſis, per THEODORUM KORIATHOVITS dictum Ducem de Munkacs, „ Anni 1360. dignam quarto bello diplomatico inteſtino „ Materiam ſuggerit: Præluſerunt illi jamjam Comes Ignatius Battyani, & Joannicius Baſilovits: ille explodendo Diploma, (in Legibus Eccleſiaſticis Regni Hungariæ T. I. pag. 514. 15.) quod defenſoribus omnino Opus habet; hic (Joannicius) tuendo illud, dubiis attamen Criticorum etiam poſt hæc adhuc obnoxium, in Brevi Notitia Fundationis THEODORI KORIATHOVITS olim Ducis de Munkacs &c. &c. Pars I. II. III. Caſſoviæ 1799. in 4-to.

§ IV. Indefendendo itaque præattactæ Fundationis Koriathovitsianæ Diplomate non ita firmis Argumentis, non ita ſolidis rationibus me contra Adverſarium diſputaſſe aſſerit Author hic Clariſsimus, ut de ejus authentia dubitari adhuc haud poſsit; dubitandi attamen motivum quodpiam non adducit: Cenſeo proinde non aliud voluiſſe Virum hunc, quam ut partes collidentes ad novum provocet bellum, & res aliunde certa, & clara mutuis ejusmodi concertationibus certior adhuc, clariorque evadat: Mentem ejus ſic interpretandi ſuadet per ipſum immediate ſubnexa (loco citato) ratio: „ Non ſine fructu, inquit, „ fuiſſe concertationes iſtas Diplomaticas, ut bellum fere „ omne quantumvis cruentum, emolumenti tamen habet „ aliquid, certum eſt. Acuerunt illæ concertantium ingenia, fugataque credulitate ignava, in Scholas, &

Solvitur Dubium Claris. Schvartner, & Diploma Koriathovitsianum verum, ac genuinum eſſe demonſtratur.

Characteres Genuini Diplomatis aſsignantur.

„ Prætoria Artem introduxerunt, quæ Diplomata rectius „ intelligere, & cautius dijudicare docet. “ Hucusque illeCæterum præter hæc, quæ pro tuendo hocce Diplomate Parte I. II. & III. Prioris Operis mei inducta, & allegata habentur, ſubnecto Characteres memorato Diplomati, pro authentia remonſtranda cujusvis Diplomatis pag. 120. § 80. in præcitato Opere Authoris Clariſsimi deſignatos plerosque convenire, qui Diplomatibus 13, 14. Seculi competunt, & ea a Spuriis diſcernunt. Sunt autem Characteres præcipui ſequentes: Litera I rarius puncto ſæpius accentu acuto notata, ſæpiſsime utroque ſigno carens, e pro diphtongo æ conſtanter poſitum. Abreviaturæ ſeu Coarctationes multæ, denique membrana magis longa, quam lata. In quæſtionato vero Diplomate Litera i rarius puncto notatur, e pro æ ponitur, in voce Koriatovits Litera K cum o coarctata, ac conjuncta apparet, ita ut alii pro Kveriatovits, alii pro Kiriatovits nomen Koriatovits legunt, denique in membrana magis longa, quam lata illud deſcriptum in ſuo Originali Poſonii in Archivo Archi-Capituli de præſenti etiam aſſervatur, & cuſtoditur, genuinum proinde eſt, & authenticum, nulliqne ſuſpicioni obnoxium. Quod itaque Bona collata, Poſſeſsiones videlicet Boboviſtse, & Lauka dictas, iſthoc Monaſterium Munkacsienſe a tot ſeculis poſſederit, ac hucdum poſsideat, virtute hujus Diplomatis poſſidet, & quamvis Revolutionum, ac Diſturbiorum tempore ex hoc ſuo Poſſeſſorio nonnunquam violenter exturbatum fuerit etiam, ſubſecuta tranquillitate tamen, paceque Regno reſtituta, malæ fidei Poſſeſſores tenore præattacti Diploma-

tis

tis convicti, Bona illa Ruthenis Monachis remiſerunt poſsidenda. Sunt tamen non pauca ad Collationem hanc ſpectantia, ex quorum uſu Mcnaſterium violenter excuſſum, a longo jam tempore Injuriam ſuſtinet: Etenim ceſſat nunc Decimæ Vinorum perceptio ex Monte Ivan-hegy, & monticulis Monti Csernek Vicinis: porci ex Oroſzvég ſeptem non percipiuntur: Cubuli Tritici decem, totidemque Siliginis, quatuor item Vaſa Vini, centum Lapides Salis, atque centum Floreni longi ex Caſtro Munkacs quotannis præſtandi non adminiſtrantur amplius. Ad hæc confundebantur antehac Territoriorum Limites, Metæ inter Bubuliskam, & Poſſeſsiones Dominales, nullæ prorſus præexiſtebant, hinc involationes per Ruſticos Dominales fiebant continuæ, exinde mutua certamina, rixæ, percuſsiones, tandem impenſionales Proceſſus Monaſterium inter, & Dominium pacem, ac tranquillitatem turbaverant inceſſanter. Interea Inclytum Officium Dominale pacis mutuæ, & charitatis tuendæ apprime Studioſum tractatu amicabili (Excellentiſsimo Domino Eugenio Ervino a Schönborn Principali ſuo ita gratioſe ordinante) totam hanc Controverſiam ſuſtulit, ac perpetuam hac in parte quietem, pacemque procuravit, conſtabilivitque. Contractum hunc finaliter concluſum præceſſerunt ſequentia.

Multa ſunt de Fundatione Koriathovitsina amiſſa.

Metarum Confuſsio peperit multas malas ſequelas.

Controverſiæ variæ inter Dominium, & Monaſterium habitæ, tractatu amicabili ſufferuntur.

CA-

CAPUT VI.

§ I.

Die 10. Januarii Anno 1792. in Conſeſſu Inclyti Officii Dominalis in Podhering habito, me quoque qua Monaſterii Proto-Hegumeno cum adjuncto mihi Socio comparente, & conſidente certa puncta præliminaria, & ad Tractatum hunc prærequiſita mutuo conſenſu confecta, parteque ab utraque ſubſcripta ſunt, docente Literali Inſtrumento, cujus tenor hic ſubnectitur.

Puncta Præliminaria Tractatus Amicabilis.

§ II. Infraſcripti Vigore Præſentium recognoſcimus, & atteſtamur; quod nos aſſumptis gravibus Rationibus, & Momentis, præprimis autem motivo ex eo, ut inter Dominia Munkats, & Szent-Miklos, & Poſſeſsionis Bubuliska Incolas Pax, Quies, & Concordia in perpetuum fundetur, Contentiones vero ab antiquo inter Ruſticos vigentes, penitus tollantur, & ſepeliantur. Non obſtante eo, quod prælaudata Dominia contra Venerabile Monaſterium Proceſſum formalem ad reambulationem metalem Judiciariam ſuſcitaverint, Terminumque pro 7. menſis Februarii 1792. ad Oppidum Bereghſzáſz in Præſentiam Spectabilis, ac Perilluſtris Domini Ordinarii Vice-Comitis Domini Ladislai Lónyay de Eadem, & V. Namény præfigi procurando, Idem Venerabile Monaſterium citari, & certificari fecerint, Salva Actione metali jam exhibita, ad talem, ut ſequitur

con-

concordiam, & unionem devenerimus, quin ſtipulatis manibus ad puncta infra notanda, obſervanda nosmet obligavimus, & obſtrinximus; quemadmodum etiam obligamus, & obſtringimus per præſentes, & quidem:

Primo: A Parte Poſſeſsionum Kálnik, & Zsukov quorſum nempe metæ Poſſeſsionis Dominalis Balasfalva, & Bubuliska Monaſterialis impingunt, in quantum nulla ſubverſaretur controverſia audita Parte utraque e veſtigio per Ruſticos Dominales, & Monaſteriales Cumuli Terrei Metales ponantur in perpetuum pro meta obſervandi.

Secundo: Reperta autem inter duas Poſſeſsiones Balasfalva, & Bubuliska in ducta Metali quapiam controverſia, ſtante eo, quod Meta, ſeu Uſu, ſeu Documentis, aut Inquiſitionibus antiquis, & recentioribus probabitur, in inſtanti Metalis Terreus Cumulus erigatur, ſepoſita omni ulteriori contentione.

Tertio: Ubi talis invenietur inter præfatas Poſſeſsiones, quin inter Nagy- & Kis-Mogyoros, & Szerentsfalva Controverſia Metalis, quod neutra Partium Metam Stabiliendam valebit probare, aut non plene, hoc eſt: Adminus ſex Teſtium Legali exceptioni haud obnoxiorum Faſsionibus probabit, caſum in illum aut Dominis Terreſtribus ſuper puncto Metali, a quo ad quod conveniendum erit, aut bifariari Controverſa Plaga debebit, ubi nimirum Controverſia vigeret Ruſticis utriusque Partis jam tunc amotis,

D tali-

taliterque facta ſuper puncto Metali coalitione, e veſtigio Cumulus Metalis Terreus ponatur.

Quarto: Dato eo, quod in aliquo loco Metali nulla obſervaretur Controverſia, tamen ad præcavendas Ruſticorum fraudes, & inſolentias, Cumulus Metalis Terreus erigatur, & utraque Parte concurrente, quolibet Anno tales Cumuli Metales reficiantur, & fors violati corrigantur; quod ſi vero una, aut altera Pars nollet hoc effectuare, vel uni quoque Parti, id licitum eſto.

Quinto: Ubi Arbor quæpiam pro Meta roborabitur, tunc penes ipſam Arborem Cumulus Metalis ponatur, item ubi Fluvius ſtabilietur pro Meta, tunc ſuper rippa ponatur Cumulus, unus ex hac, alter vero ex altera Parte.

Sexto: Poſitis Metis Terreis, quælibet Pars præcaveat, ne ultra ſignum Metale Ruſticis permittat, ut irrepant, exſtirpent, aut Sylvas devaſtent; ſecus deprehenſus Ruſticus per ſuum Dominum Terreſtrem in præſentia alterius quoque Partis 24. Baculorum ictibus pulſetur, pro Domino vero Terreſtri, ſi facto comittat Exceſſum prædeductum, Actione Violentiali in ſalvo permanente, audita omnino utraque Parte ad præcavenda litigia ex inſuſurationibus Ruſticarum evenire ſolita.

Septimo: Tam Dominales, quam & Monaſteriales Coloni in Pace, & Tranquillitate permaneant, ſub pœna Pun-

Puncto ſexto adtacta usque dum Punctorum horum complementum Dominia Terreſtralia procuraverint.

Octavo: Ad horum omnium effectuationem, & complementum Articulare Teſtimonium ex conſenſu ambarum Partium invitandum adhibeatur, cujus erit Officii Teſtes ſtatuendos adjurare, eosdem in facie Loci examinare, ac tandem ductum Metalem conformitate Punctorum præcedentium concluſum qua Teſtimonium cum Partibus concernentibus ſubſcribere, & ſolenniſare.

Nono: Expenſæ jam factæ, & impoſterum fiendæ communes eſto, in una utpote medietate Dominia Munkacs, & Szent-Miklos, in altera vero medietate Venerabile Monaſterium concurrant, absque Controverſia cum concluſione Metationis inſtantanee perſolvendæ.

Decimo: Terminus occipiendi hujus Tractatus, & Metarum Reambulationis, Signorum Metalium Erectionis, Antiquorum Renovationis fiet 12. Menſis Martii, die utpote S. Gregorii Papæ A. C. 1792. alterutra Parte ſemel impedita, prævie alteri Parti notificare obligabitur. Ex poſt Terminum Fiſcalis Dominalis præfixurus. Denique quod ſi Venerabile Monaſterium ab hoc Tractatu usque Concluſionem ejus reſultum, nunc vel inpoſterum faceret, ipſo facto Actio ſuperius memorata reviviſcat, & Dominia Munkacs, & Szent-Miklos reflexorie duntaxat ad continuandam Litem, ſeu Proceſſum Metalem per præſentes

 at-

attributam facultatem habeant, nullis in contrarium ſuffragantibus exceptionibus, & humanitus excogitatis inventis.

Ad quæ univerſa, & ſingula obſervanda, & in Complementum perducenda ſtipulatis manibus optima fide nos obligamus. Super quibus dedimus Sigillo Dominali, & Venerabilis Monaſterii roboratas hasce Litteras noſtras Teſtimoniales. Signatum 10. Januarii in Poſſeſsione Podhering 1792.

Samuel Neupauer, Fiſcalis m. p.

Andreas Cſérſzky, Caſsirius m. p.

Joſephus Rhehuſs, Proviſor m. p.

Franciſcus Roman, Frumentarius m. p.

Demetrius Delegany, Cancelliſta m. p.

(L. S.)

Joannicius Baſilovits, Ord. S. Baſilii M. Venerabilis Monaſterii in Monte Cſernek ad Munkacs Proto-Hegumenus m. p.

P. Arſenius Orſutay, Ord. Sancti Baſilii Magni Profeſſus m. p.

(L. S.)

Quibus ita conſtitutis, & præhabitis ad ſenſum Puncti octavi coram Articulari Teſtimonio Reambulatio Metalis Territorii Bubuliskenſis ex Parte Monaſterii, & ex Parte Dominii Munkacs, Balasfalva, Kis, & Nagy-Mogyoros, ac Szerentsfalva Territoriorum die 31. Maji, & ſubſequis diebus 1. 2. & 3. Junii inſtituta, & peracta fuit. Teſtimonialibus Litteris perhibentibus in hunc modum:

CA-

CAPUT VII.

Infraſcripti Inclyti Comitatus Bereghienſis Ord. Judlium, & Juraſſor ſerie præſentium recognoſcimus, & atteſtamur, quod poſteaquam Inclyta Dominia Munkacs, & Szent Miklos Venerabile item Monaſterium Ord. S. Baſilii M. de Monte Csernek ad præcavenda odioſa continua Litigia, & peſsimas quasque inter ſubditos enaſci queuntes ſequelas, intuitu Territorialis Controverſiæ inter Poſſeſsiones Balasfalva, Nagy, & Kis-Mogyoros, ac Szerentsfalva Dominales, & Bubuliska Monaſterialem dudum jam vigentes, ad talem condeſcendiſſent ſcriptam ſolleniſatam Transactionem, ut adhibito Articulari Teſtimonio, cujus Obligatio ita circumſcripta eſt, ne illa ultra Teſtium per utramque Partem ſtatuendorum Adjurationem, Faſsionum eorundem exceptionem, & compoſiti Ductus Metalis Subſcriptionem extendatur, ad facies Locorum cum Teſtibus exeant, & quæ Pars Locum quemdam Controverſum ad ſe pertinere Documentis Litteralibus, aut pluribus disinteresſatis, Teſtibus probare potuerit, ibi illico Articularis Teſtimonii, Metales Cumuli Terrei ponantur. Ubi vero Pars utraque æquales habuerit probas, ibi Plaga Controverſa, bifariam dividatur, & æque Terreis Cumulis Metalibus, extemplo ponendis diſtinquatur. In conformitate ejusdem Transactionis ad Plagas inter antelatas Poſſeſsiones Situatas Controverſas, die 31. Maji A. C. 1792. cum Perilluſtri ac Generoſo Domino Samuele Neupauer, ante-

Articulare Teſtimonium ſuper Reambulatione Metali Territorii Buluskenſis.

 lato-

latorum Dominiorum Fiſcali; Admodum Reverendo item Patre Joannicio Baſilovits, præfati Monaſterii Superiore, & Patre Antonio Kotzak, ejusdem Monaſterii Religioſo exiviſſemus, & Teſtes in Collateralibus Inquiſitionibus contentos, ad poſtulatum antelatarum Partium Tranſigentium in facie Loci via quippe Kálnikienſi adjuraſſemus, taliterque authentice reexaminaſſemus, prætitulatus Dominus Fiſcalis obſervando Gregorium Salenik in Inquiſitionibus tam pro parte Dominii quam & Monaſterii peractis contineri, eundem ab Authenticatione repulit, neque authenticari admiſit, quod Antelatus etiam Pater Superior ſibi injuriæ ducendo, contrafactum iſthoc proteſtatus eſt, & contradixit, ne a paritate hujus Paulus etiam Andrejka, jam prius adjuratus pro Teſte probante acceptetur, ſiquidem hic quoque pro parte utraque fateretur, eotum abinde tempore jam pro continuando opere non ſuppetente ad Poſſeſsionem Balasfalva revertendo, ſequenti die, 1-ma videlicet Menſis Junii rurſus ad Plagas Controverſas exeuntes 1-mo ducti ſumus per Teſtes nntelatorum Dominiorum in Ductu Metali Geometrice elaborato ad radicem cujusdam Ceraſi pone viam, ex Poſſeſsione Balasfalva, ad Poſſeſsionem Bubuliska ducentem exiſtentis, quam iidem Teſtes omnes, pro meta inter modo fatas Poſſeſsiones Balasfalva, & Bubuliska ſervatam eſſe ſub jurata fide, unanimiter retulerunt. Inde per Motsarka, & exſtirpaturas Bubuliskenſium ad unam Quercum recentius Cruce ſignatam, ac per Incolas Poſſeſsionis Balasfalva, pro Meta prætenſam, ubi Teſtes Dominales ſubſtiterunt, neque illam pro

Meta

Meta declarare auſi ſunt, abinde ad locum quemdam Batyü-Bachno nuncupatum, verum hic quoque præter Michaelem Flenyko, Baſilium Lihur, Mathiam Kvaſzta, qui faſsi ſunt ſe a Senioribus audiviſſe, quod locus ille inter Poſſeſsiones Balasfalva, & Bubuliska pro Meta obſervatus fuiſſet, Petrus vero Teliha, & Baſilius Smanyko, ſe quidem audiviſſe, quod Locus Batyü-Bachno fuerit ſemper pro Meta ſervatus, ſed utrum ille ipſe ſit hic locus, vel alter eſſe deberet, determinare nequire, reliqui penitus nihil ſcire potuerunt; hinc ducti ſumus per Montem Batyüh-Verch ad Pratum Dumetis Succretum Haninetz Láz nominatum, ac ibidem etiam Teſtes ſingillative examinavimus, qui, & quidem Michael Flenyko, & Baſilius Lihur faſsi ſunt Pratum illud verſus Kalnik Trans-Rivulum ſituari; Petrus vero Teliha Pratum idem per Incolam quemdam Balasfalvenſem Haninetz vocatum, poſſeſſum fuiſſe, & tam Cis- quam Trans Rivulum eandem obtinere Nomenclaturam, Timotheus Szanka, ſe de Prato illo nihil aliud ſcire, quam quod parte ex utraque Rivuli, Haninetz Láz nominetur. Baſilius Smanyko Pratum illud Haninetz Láz in defluxu Rivuli exiſtere, Baſilius Petak ſe quidem audiviſſe, quod in defluxu illius Rivuli quidam Incola Balasfalvenſis Haninetz nuncupatus, Pratum aliquod poſſederit, quod nunc quoque eandem obtinet Nomenclaturam, ſed illud qualiter per eundem poſſeſſum fuerit, ac unde, & quousque extendatur, plane ignorare.

Secun-

Secundo: In antelato Haninetz Láz Prato vocati ſunt Teſtes Monaſteriales, qui omnes utpote: Baſilius Baſſarab, Mathias Rogna, & Baſilius Derkats, Zsukoienſes; Joannes Kharkola, Mathias Skoba, Joannes Czoczka, Demetrius Dudas, Alexius Fedáka, Theodorus Koſzty, Georgius Medvigy, Demetrius Ronto, Petrus Pleſſa, & Petrus Fedáka, Kalnikienſes; Petrus Harnódi, & Joannes Kuſtulinetz, Kuzminenſes; Nicolaus Deganits, Igneczienſis; Andreas Jantzó, Kutsovaienſis; Paulus Dorinetz, Ignatius Malanits, & Ignatius Holonits, Medvedöczienſes; Theodorus Babilya, Hribotzienſis; Michael Salenik, Vorotnicenſis; Gregorius Napuda, & Stephanus Balas, Laukaienſes; Joannes Pazuchanits, Michael Khajstsa, Demetrius Pazuchanits, & Demetrius Bodak, Csapóczkaienſes; Georgius Demján, Petrus Okaly, Joannes Harnodi, Georgius Resko, Lukas Csaky, & Baſilius Kozar, Benedekienſes; unanimiter ſub Fide Jurata faſsi ſunt, & remonſtrarunt incipiendo a via Kalnikienſi ad Bubuliska ducente, & Prato Haninetz Láz ad ipſam viam protenſo, Rivilum tempore pluvioſo per medium hujus Prati defluentem, eſſe inter Kalnik, & Bubuliska metam, eam ſcientiæ ſuæ, aſsignando rationem, quod ibidem, velut Loco pro meta ſervato, Kalnikienſes cum Bubuliskaienſibus ſolebant Ponticulum ſimul exſtruere. Inde ſemper per eundem Rivulum ducti ſumus in Ductu metali Monaſterii, per præſpecificatos Teſtes Monaſteriales, infra quasdam exiguæ conſiderationis Terrulas arabiles, fatentibus Teſtibus per Balasfalvenſes recentius in controverſiam ſummi ceptas, ac ſupra has,

re-

remonſtrarunt nobis certam Plagam fagopyraceam, per Incolas Balasfalvenſes Demetrium, & Simonem Fedeles, ex indultu Monaſterii inſciis Dominiis Munkacs, & Szent-Miklos exſtirpatam, ex qua, quemadmodum eotum dum ad Inſtantiam eorum exſtirpari permiſſa eſt, appromiſerunt, ita idem Monaſterium Nonam ſæpius ab iis percepit, declarante tamen, ſolo Fiſcali Dominali, nocte, & furtive. Inde ducti ſumus ad Rivulum Tajczin Potük, in cujus fine reperitur una querens magna Cruce ſignata, & per Teſtes pro meta declarata. Hinc aſcendendo per hunc ipſum Tajczin Potük nominatum Rivulum ad alias duas arbores ſignatas æque per Teſtes pro meta affirmatas. Inde ad unam ſignatam Quercum in fine montis, e regione horti Simonis Fedeles, Incolæ Balasfalvenſis exiſtentem, ab hac Quercu, per eundem Hortum Fedeleſianum, & Vallem usque viam Balasfalvenſem: Sequenti vero die 2-da quippe Junii rurſus in eadem via Balasfalvenſi convenientes, dum occeptam Reambulationem continuare voluiſſemus, Prætitulatus Dominus Fiſcalis Dominalis obſervato eo, quod aliqui etiam ex Incolis Bubuliskaienſibus eorſum pro Teſtibus ex parte Monaſterii ſtatuti fuiſſent, omnes Incolas Bubuliskaienſes eſſe Capitales inimicos aſſerendo, eosdem non tantum, ad deponendum Juramentum non admiſit, ſed etiam domum repulit. Contra quod ejusdem Domini Fiſcalis Dominalis factum crebrofatus Reverendus Pater Superior, & Pater Antonius Kotzak iteratis etiam vicibus proteſtati ſunt, & contradixerunt, ne Incolæ etiam Szerentsfalvenſes, Nagy, & Kis-

Mogyoroſienſes ad teſtificandum eo minus ad demonſtrandas metas adhibeantur, ſiquidem illi eſſent prætendentes, & de eorum commodo ageretur, hoc tamen non attento, toties titulatus Fiſcalis Dominalis Teſtes ſuos præcedere juſsit, qui etiam antelatis Patribus Baſilitis, & Teſtibus Monaſterialibus abſentibus, præſente tamen eorundem Spano, & ad viam Hilkoczienſem Vicario, duxerunt nos per Ductum Metalem pro parte Dominii recentius Geometrice elaboratum, a radice Ceraſi trans viam, per agros, & Balasüſzki Obücs, ac ab hujus Cardine, ad fluvium Roſztomér, eumque transeundo ad magnum Saxum, quod Teſtes Dominales omnes utpote: Baſilius Lihur, Joannes Stehney, Michael Flenyko, Theodorus Fedeles, Petrus Szucha, Alexius Sztehnej, Nagy Mogyoroſienſes; Baſilius Smanyko, Petrus Teliha, Simon Sanka, Kis-Mogyoroſienſes; Ignatius Konik, Baſilius Bobela, Simon Szinitsina, Georgius Smozanitza, Theodorus Smozanitza, Szerentsfalvenſes; Joannes Babilya, Theodorus Glagolits, Laurentius Glagolits, Hribotzienſes, Georgius Semula, & Alexius Major faſsi ſunt, eſſe inter Poſſeſsiones Balasfalva, & Bubuliska metam, hinc aſcendendo per Fluvium Barnovetz, usque viam Hilkotzienſem, quem Fluvium omnes hi Teſtes pro meta ſervatum eſſe concorditer retulerunt, quibus ex parte Dominii, hic prævio modo terminatis: Tandem ex præfata via Hilkotienſi, procul ab hine pervenimus in deſcenſu per Fluvium Roſztomér ad viam ex Nagy Mogyoros per eundem Fluvium transeuntem, ubi antelatum Reverendum Patrem Superiorem, &

Pa-

Patrem Antonium Kotzak cum Teſtibus Monaſterialibus cubantes, & adventum noſtrum præſtolantes deprehendimus ibidemque ad dictam viam penes Fluvium Roſztomér iidem Teſtes nominanter Petrus Harnodi, Joannes Kuſtulinetz, Ignatius Malanits, Paulus Dorinetz, Stephanus Balás, Andreas Janczo, Gregorius Napuda, Michael Salenik, & Michael Deganits, omnes omnino disintereſſati, depoſito in facie Loci Juramento faſsi ſunt ſemper Fluvium illum Roſztomér, pro Meta ſervatum fuiſſe, ac Territorium Bubuliskenſe a Balasfalvenſi, & Mogyoroſienſi diſtinquere; illud quoque ſe ita haberi, a Senioribus etiam audiviſſe, Sylvam vero Dubnitski Bubuliskenſibus communem fuiſſe cum Szerentsfalvenſibus usque Campum Szerentsfalvenſem, ſed Sylvam tantum, neutiquam autem Agros, a Terreno autem Zsitiscse per Bubuliskenſes Nonam deſummi ſolere. Inde per eundem Fluvium Roſztomér deorſum eundo per Balasüſzki Obücs, & agros ad Tenyenyo, & hortum Fedeleſianum eſſe Metam, verum dum toties Titulatus Dominus Fiſcalis Dominalis ibidem ſemper præſens ad demonſtrandum illum Locum, ubi aqua condam ex Roſztomér excepta, & ad molam Bubuliskenſem derivata exſtitiſſet, Teſtes Monaſteriales ſtrinxiſſet, & adurſiſſet illum, in tribus etiam locis demonſtrarunt, ſed neque ibidem ſtabilire potuerunt, verum intra Montem Balasüſzki Obücs, aſt ibidem etiam tum propter antiquitatem temporis, tum vero, quod Teſtes hi ex remotioribus Poſſeſsionibus exiſtentes, ſiquidem ex Posſeſsione Bubuliska, ac aliis eidem vicinis ante 40. & quod

 exce-

excedit annos, habitationes ſuas aliorſum transtuliſſent ad omnia ſimilia Loca, ſemet reflectere nequire aſſeruerunt, inde per Balasüſzki Obücs aberrando, ducti ſumus ad viam Balasfalvenſem ad aliam verſus Balasfalva, penes viam exſtantem Ceraſum pro Meta declaratam. Unde Partibus tranſigentibus, in ſenſu Transactionis amice convenire nequeuntibus, absque ulla novarum Metarum erectione abſceſsimus. Declarato per Fiſcalem Dominalem eo, quod hæc omnia Excellentiæ Suæ velit referre, non prævidendo tantam plagam fore in Controverſiam ſummendam. Super quibus prævio modo coram nobis, & reſpective per nos pertractatis, & peractis præſentes noſtras propriis ſubſcriptionibus, & uſualibus Sigillis munitas extradedimus Litteras Teſtimoniales. Signatum Munkacs die 4. Junii 1792. Georgius Jobſzty, Inclyti Comitatus Bereghienſis Ordinarius Judlium m. p. (L. S.) Georgius Petsey de eadem, Ejusdem Inclyti Comitatus Ordinarius Juraſſor m. p. (L. S.)

CAPUT VIII.

§ I.

Plaga Magna per Dominaliſtas occaſione primæ Reambulationis in Contro-

Cum vero Bubuliskenſibus Incolis veluti intereſſatis ab hoc Metalis Reambulationis Actu per Dominum Fiſcalem Dominalem rejectis, ac ſimpliciter amandatis, Szerentsfalvenſibus autem, Nagy, & Kis-Mogyoroſienſibus (de quorum tamen commodo ageretur) ad demonſtrandas Metas adhi-

adhibitis, & admiſsis ingens Plaga in Controverſiam ſummeretur, ab hoc amicabili Tractatu concludendo Partes tranſigentes ſuperſedere debuerant, factaque fuit deſuper ad Excellentiſsimum Dominum Comitem Relatio, qui paulo poſt ſuo reſoluto ad Inclytum Officium Dominale dato eidem committere dignatus eſt, ut nova iterum Reambulatio Metalis inſtitueretur, Plagaque Controverſa revideretur erga Relationem deſuper præſtandam. Hæc altera Reambulatio die 9. & ſubſequis diebus Julii effective peracta fuit, quemadmodum perhibunt Litteræ S. Domini Præfecti ad Patrem Superiorem, ſeu Proto-Hegumenum datæ, quarum tenor eſt:

verſiam ſumpta attentata Coalitio terminari haud potuit, hinc Reambulatio ſecunda inſtitui debuit.

Litteræ Domini Præfecti Termini Reambulationis Metalis Inſinuatoriæ.

Admodum Reverende Pater Superior!

Excellentiſsimus Comes a Schönborn dignabatur proximiori ſuo ad hujas Officium exarato Reſoluto gratioſe committere, ut illa a parte Venerabilis Monaſterii de Monte Csernek prætenſive Controverſa Plaga per Officium hocce Supremum revideatur, reambuletur, ac dein pro re nata circumſtantialis Suæ Excellentiæ abhinc præſtetur Relatio; quem in finem ſub 5-ta currentis Menſis eo concluſum eſt, ut prædiſpoſita Reambulatio medio mei, ac mihi adlaterandorum Fiſcalis, & Proviſoris die proxime affutura Lunæ, id eſt 9-na præſentis ſuſcipiatur; Ne igitur Admodum Reverendam Paternitatem Veſtram Intentum hoc Officii quoquo modo lateat, Terminum præfixum amore optimæ Vicinitatis ductus Eidem præſentibus notificandum eſſe duxi, imo pergratum mihi futurum, ſi ſpreta hac commotionis modica incommoditate pro eodem die in Loci facie com-

parere libuerit. Qui cæterum devotis precibus recluſus diſtincta cum Veneratione perſiſto Admodum Reverendæ Paternitatis Veſtræ Obligatiſsimus Joannes Böſz, Præfectus m.p. Munkacsini die 7. Julii 1792.

§ II. Prætitulatus Dominus Præfectus medio Litterarum ſuarum ſub dato 26. Julii 1792. fine continuandi amicabilis Tractatus ſuperius allati, Patrem Proto-Hegumenum pro die 27-ma ejusdem Julii ad Inclytum Officium perhumaniter invitat, ubi reipſa non pauca favorabiliter concluſa erant, & Reflexiones quædam a parte Monaſterii intuitu Proceſſuum Impenſionalium Sylvæque Dubova dictæ intro porrectæ, atque in conſiderationem aſſumptæ fuerant. Tenor Litterarum ita ſonat:

Admodum Reverende Pater Superior!

D. Præfectus P. Proto-Hegumenum fine concludendi Tractatus Amicabilis ad Inclytum Officium invitat.

Haud dubius, quin Teſtimoniales ſuas Litteras ſuper primævo Actu Reambulationis Metarum Balasfalvenſium, Szerentsfalvenſium, Bubuliskenſium &c. a Domino Ordinario Judice Nobilium hucdum perceperit, imo etiam certus, quod Venerabile Monaſterium intuitu controverſiæ præattactarum Plagarum ad evincendam amicam argumenta ſufficientia, ac ne fors optime perpenſa jam in promptu habeat; hinc prætitulatam Admodum Reverendam Paternitatem Veſtram eo hisce requirendam eſſe duxi, quatenus pro amico Tractatu, quem alioquin pars utraque dudum optavit, ſub craſtina Matutina 8-va hora horſum comparere haud gravatim velit. Qui cæterum in diſtincta Ve-

Veneratione perſiſto Admodum Reverendæ Paternitatis Veſtræ Obligatiſsimus Joannes Böſz, Præfectus M. P. Munkatsini die 26-ta Julii 1792.

§ III. Pro Termino præattacto, ac Loco Pater Proto-Hegumenus cum ſibi adjuncto Religioſo Socio Patre videlicet Antonio Kotzak ad Inclytum Officium inomiſſe comparuit, ac penes exhibitas quasdam Reflexiones ea omnia agere ſtudebat, quæ pro concluſione amicabilis Tractatus illius neceſſaria eſſe cenſebat. Tenor Reflexionum qualis fuerit? brevitatis cauſa eundem hic non induco, alioquin ipſe Contractus amicabilis concluſus, & die 31. Decembris Anno ſuperius annotato ſolenniſatus memoratas Reflexiones potiori ex parte in ſe comprehendit, qui ita ſonat:

Dudum deſiderata Coalitio inter Dominia Munkacs, & Szent-Miklos, & Monaſterium ratione Controverſiarum Metalium Territorii Bubuliskaienſis feliciter peracta eſt, ut hic tenor perhibet.

§ IV. Infraſcripti vigore præſentium recognoſcimus, & atteſtamur: quod poſteaquam variæ Metales controverſiæ inter Poſſeſsiones Dominales Balasfalva, Mogyoros, & Szerentsfalva ab una, Partibus vero ab altera Monaſterialem Bubuliska enatæ a longo temporis intervallo viguiſſent, in tantum, ut Inclyta Dominia Munkacs, & Szent-Miklos Actionalem Libellum fine Judicialiter decidendæ controverſiæ Metalis, Publico introporrexiſſent, & Monaſterium certificari quoque curaſſent, Pacem potius, Concordiam, & charitatem, ſub quibus Res parvæ creſcerent, diſcordia vero maximæ dilaberentur, quam odioſas, & Impendioſas Lites præeligentes, ita ex utraque Parte convenimus, ut exeuntes ad faciem Loci inibi coa-

leſca-

leſcamus, & Metas inſtantanee erigi faciamus, quemadmodum inchoando a via Hilkóczienſi per Fluvium Barnovetz, Sylvas Dubova, & Dubnitska, ita & Poſſeſsionem Szerentsfalva a Poſſeſsione Bubuliska ſeparantem, verſus Poſſeſsionem Balasfalva procedendo, ubique tranſecta Sylva Metales Cumulos, Poſſeſsiones Nagy, & Kis-Mogyoros a dicta Poſſeſsione Bubuliska diſtinquentes, poni curavimus, usque ad viam ex Bubuliska ad Balasfalva ducentem, penes quam magnus Cumulus Metalis inter certam Ceraſi, & Quercus radicem poſitus, abinde recta linea ad locum Motsárka dictum, ubi in elevatiori modice loco itidem erectus Cumulus Metalis, abinde iterum recta linea procedendo usque ad Taczin-Patak, inibi poſitus certus magnus Cumulus Metalis; expoſt tandem ubique per locum lacunoſum eundo, Arbores quercinas magnas pro ſignis Metalibus ſtatuimus usque ad Haninetz Láz, ubi metatione Concluſa eandem Geometrice delineari curantes, unam penes antelata Dominia retinuimus, alteram vero Mappas Monaſterio in perpetuam Rei Memoriam, Concordiam, & bonam Vicinitatem tradidimus, & aſsignavimus, his adjectis Conditionibus, & quidem:

1. Quorumcunque Colonorum exſtirpaturæ, ſeu Terræ Arabiles, aut Fœnilia per antelatam Metationem amiſſa ſunt, neutra Partium bonificationem prætendere poteſt; ſed maneat in perpetuum Parti, cui de præſenti adjectæ eſſe videntur.

2. Quoniam vetuſtate temporis omnia ſepeliri, & oblivioni tradi ſoleant, non tantum perpurgationem transactæ

Meta-

Metalis Reambulationis, verum & Renovationem Cumulorum Metalium, ſtatim poſt Feſtum S. Georgii quolibet anno utraque ex Parte curabimus, Terminum ſibi invicem inſinuando, quem ſi una Pars non obſervaverit, licebit vel uni quoque Parti perpurgationem, & Renovationem Cumulorum inſtituere. Hoc adjecto, ut Pars nollens ad hunc laborem concurrere, viginti hominum dies Robbotales (qui pro Auxilio adminus tot requiruntur) a cruciferis 10. computando Parti exeunti, & laboranti perſolvere obligabitur.

3. Per hanc Metalem compoſitionem Sylva Dubova, quam ut ſuperius attactum eſt, Fluvius Barnovetz a Dubnitska ſeparat, & quæ hucdum cum Szerentsfalvenſibus ſimultaneo uſu poſsidebatur, cum modernis ſuis Metis, & Limitibus pro Monaſterio privative poſsidenda ita maneat, ut Szerentsfalvenſes eatenus nihil prætendere poterint.

4. Molæ in Motsarka locus; per ſeparationem Controverſæ Plagæ in perpetuum manſit Monaſterio, tali adjecta cum cautela, quod Molam quidem, quam exſtruere idem Monaſterium conabatur exſtrui facere poſsit, Dominium vero decurſum Alvei, non procul a Molæ loco, jam antea ex ordinario Aquæ defluxu deflecti meditatum, citra tamen damnum Coloni, penes cujus fundum, & appertinentias Fluvius iſte delabitur, non impediet; ſed neque Monaſterium ita Aquam captivabit, ut ſuperiores Molæ Balasfalvenſes in curſu ſuo impediantur, aut dicto Colono damnum inferatur.

5. Demandandum erit Dominalibus, prout & Monaſterialibus Colonis, quatenus ſedulo Cumulis, & Arboribus Metalibus, ne deſtruantur, aut deſecentur, invigilent: Cautum eſto autem Cumulum Metalem diruere, aut dirui permittere, Arborem pro Meta poſitam deſecare, aut deſecari facere, ſecus quicunque deprehenſus fuerit in tali prevaricatione, aut Teſtibus probabitur, quis ſit prævaricator, ad primam Partis alterutrius Inſinuationem, erutaque Mera Rei veritate, talis Ruſticus 24. Baculorum ſolidis ictibus pulſandus erit, & ſecunda vice deprehenſus, duplicanda quantitas Baculorum; tertia vice autem deprehenſus ex gremio Poſſeſsionis proſcribatur, ſi vero Dominorum Terreſtrium hoc eſt Alterutra Partium (quod non ſupponitur) in disjectionem Cumulorum Metalium, modo ſtabilitorum, aut deſectionem Arborum Metalium influxerit, ſe ſeque ingeſſerit in Pœna Violentiæ via Juris convincatur. Denique:

6. Neque hoc prætermittendum eſt, quod aliqui Proceſſus ex Actibus Potentiariis Colonorum Impenſionales enati fuiſſent, ad obtinendam hoc in puncto quoque Pacem ita conventum eſt, quatenus Proceſſus jam in Partibus terminati, & in Tabula Regia exiſtentes, aut eorſum appellati in ſalvo permaneant, neque ullo modo in curſu ſuo impediantur; illi autem, qui ſuſcitati ſunt quidem, ſed neque in Partibus plene deciſi, aut ex præteritis Actibus Potentiariis ſuſcitari debuiſſent (Salvis ex nova fors involatione Proceſsibus erigendis) ex utraque Parte præſciſſa omni prætenſione, pro Caſſatis declarantur: Semper intel-

lecto

lecto eo, quod tantum ex parte Balasfalva, Nagy, & Kis-Mogyoros, & Szerentsfalva hoc obſervatum eſto. In quorum fidem, & perpetuo duraturam Compoſitionem præſentibus propria ſubſcriptione, & uſuali noſtro Sigillo dedimus Litteras noſtras Teſtimoniales. Signatum Munkacs die 31. Decembris 1792.

Joannes Böſz, Præfectus m. p.
Samuel Neupauer, Fiſcalis m. p.
Andreas Cséſzky, Caſsirius m. p.
Joſephus Rhehus Proviſor m. p.
Stephanus Molnár, Frumentarius m. p.
(L. S.)

Joannicius Baſilovits, Ord. S. Baſilii M. Proto-Hegumenus m. p.

Antonius Kotzak, Ordinis S. Baſilii M. Religioſus, qua ad hunc Actum Deputatus m. p.
(L. S.)

CAPUT IX.

§ I.

Bubuliskaenſes Incolæ Sylvam Dubova dictam ex præhabito Uſu ſuam eſſe prætendentes

Anno 1788. obmota eſt Controverſia adverſus Monaſterium iſthoc ab Incolis Bubuliskaienſibus intuitu Sylvæ Dubova dictæ, quam ex præhabito uſu ſuam eſſe prætendebant, & eatenus per Inſtantiam directe ad Suam Majeſtatem Regiam recurſum fecerant, ſeque ad uſum ejusdem reponi ſupplicaverant; Inſtantia hæc ipſorum ad Inclytum

adverſus Monaſterium movent Proceſſum.

Comitatum eo cum Benigno Mandato remiſſa eſt, ut prætenſio eorum ſuper præattacta Sylva in Sede Dominali aſſummeretur, & deſuper ab Inclyta Univerſitate Informatio præſtetur, quem etiam in finem celebrata fuit Sedes Dominalis in ipſo Monaſterio de Monte-Csernek. Sententia in Sede illa pro parte Monaſterii favorabilis lata fuit, quæ fine uberioris Reviſionis ad Inclytam Sedem Judiciariam medio articularis Teſtimonii relata eſt.

Proceſſus hic coram Judicio Subalterno obmotus fuit, ac Monaſterium ab impentitione abſolutum eſt.

§ II. In Sede hac quoque Sylva quæſtionata Monaſterio adjudicata exſtitit, ut patet ex ſequentibus:

Per Judicium Subalternum Bereghienſe cum Ugotsienſi unitum in cauſa Nobilis Domini Joannis Dömötör, qua tamen Communitati Poſſeſsionis Gremialis Bubuliska aſsiſtentis Pauperum Advocati, Actoris ab una contra Admodum Reverendum Dominum Patrem Sylveſtrum Kovétsak, qua tamen Venerabilis Monaſterii Sancti Baſilii de Monte Csernek Proto-Hegumenum, in puncto Reſtitutionis uſus Sylvæ Dubova nuncupatæ, altera ex Parte, ut Reum Conventum mota, & ſuſcitata ex Actis inrotulatis.

Judicatum eſt.

Reum Conventum, adeoque totum Venerabile Monaſterium de Monte Csernek ab impetitione Actorea abſolvi. Datum ex Seſsione Judicii Subalterni Bereghienſis cum Ugotsienſi uniti die 31. Octobris 1788. in Oppido Bereghſzáz celebrata. Georgius Bornemiſza m. p. Michael Tormaſy m. p.

§ III.

§ III. Motiva Sententiæ : 1. Quia Communitas A. relate ad Sylvam Actionalem Dubova, a beneplacito, & libera conceſsione Dominii Terreſtralibus independentibus Litteris Collationalibus, aut Conceſsionalibus Regnantis Principis non eſt proviſa. 2-do Quia privativum uſum etiam ante Urbarialem Regulationem citra influxum Dominalem exercitum in hac Sylva habere non potuit, nam juxta productum ſub Nro 4. ob prævaricationem, & Arborum decuſsionem ejusdem Communitatis Incolæ per Dominium ſuum Areſto puniti ſunt. 3-tio Quia teſte Urbario ſub Nro quinto, Communitas hæc coram Deputatis Exequentibus Benigni Urbarii ſe Sylvam in Communi, ſive erga Seſsiones exciſam habere minus declaraverit. 4-to Quia juxta Conſcriptionem Delegatæ Commiſsionis Regiæ de Anno 1749. ſub Nro ſexto ipſum uſum lignationis ex indultu Dominali habuit. 5-to Quia Szerentsfalvenſes, qua in Negotio Territoriali proprio fatentes Teſtes intereſſati ſunt. Reliqui vero Conteſtes nullam Sententiæ rationem adducunt, & cæteroquin humanum teſtimonium contra Litterale Inſtrumentum admitti non poſsit. Signatum per Juratum Actuarium Michaelem Tormáſy m. p.

§ IV. Facta Proceſſus illius ad Tabulam Regiam Appellatione Sententiam Judicii Subalterni fuiſſe approbatam, Litteræ Teſtimoniales perhibent, quorum Tenor ita ſonat:

In Tabula Regia Sententia Judicii Subalterni approbata eſt.

NOS FRANCISCUS SECUNDUS DEI Gratia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ,

 Hun-

Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Galliciæ, Lodomeriæ Rex Apoſtolicus, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, & Lotharingiæ, Magnus Dux Hetruriæ, Magnus Princeps Tranſylvaniæ, Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Damus pro memoria: quod Tabula Noſtra Regia Judiciaria Anno 1792. die 13. Menſis Novembris hic in Libera, Regiaque Civitate Noſtra Peſtienſi Comitatui Noſtra Nominis ejusdem adjacente Loco, videlicet Termino celebrandorum Generalium Regni Noſtri Hungariæ Judiciorum Articulari ad diſcutiendas, & recto Juris, Juſtitiæque æquilibrio ponderandas Litigantium Cauſas pro Tribunali conſidente certus quidam Proceſſus Judiciarius Actore Fideli Noſtro Joanne Dömötör, qua tamen Communitatis Poſſeſsionis Bubuliska Comitatui Noſtro Bereghienſi adjacentis Actoratum aſſummente, Pauperum Advocato, contra Religioſum Patrem Sylveſtrum Kovétsak, quoad tamen Monaſterii Sancti Baſilii Magni de Monte Csernek Proto-Hegumenum, ac per eum nunc fatum Monaſterium velut I. ad Repoſitionem ſui una cum Legalibus Acceſſoriis in privativum uſum certæ Sylvæ Territorialis Dubova nuncupatæ ante introductionem Urbarii per dictam Communitatem privative, & pacifice citra influxum Dominalem præfati Monaſterii poſſeſſæ, Occaſione nihilominus in Productionis Urbarii per Dominium violente ademptæ Anno 1788. die 20. Menſis Januarii coram præexiſtente Comitatuum Noſtrorum Bereghienſis, & Ugotsienſis eotum unitorum Judicio Subalterno ſuſcitatus, ibidemque cum Abſolutione prædicti Monaſterii terminatus,

Teſtimoniales Literæ Tabulæ Regiæ.

abin-

abinde vero per ſuprafatam Communitatem ad Tabulam Noſtram Regiam Judiciariam maturioris Reviſionis gratia appellatus exſtiterit; Atque Proceſſu in illo debita ſubina modalitate in Judiciariam Reviſionem aſſumpto, & diſcuſſo, Eadem Tabula Noſtra Regia Judiciaria, Anno, die, Menſe, Locove ſuperius denotatis deliberavit in hæc verba: *Deliberatum eſt.*

SENTENTIAM præcedentis Judicii approbari. Super qua Cauſæ præſcriptæ (Communitate A. Appellatam ad alteram Tabulam Noſtram Septemviralem non proſequente, prævio modo ſubſecuta reviſione, & diſcuſsione hasce Noſtras ſub Authentico, & Judiciali Sigillo Noſtro Regio futura Jurium antelati Monaſterii Sancti Baſilii Magni de Monte Csernek pro cautela neceſſarias extradandas eſſe duximus, & concedendas Litteras Sententionales Teſtimoniales Communi ſuadente Juſtitia. Datum in Libera, Regiaque Civitate Noſtra Peſtienſi die trigeſima prima Menſis Januarii Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo nono. Lect. & extradat. per me Joſephum Nagy de Felsö-Bük, Sac. Cæſareo, & Regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis Perſonalis Præſentiæ Regiæ in Judiciis Locumtenentem, & Conſiliarium m. p. M. Ladislaus Melczer de Kelemes, P. Præſentiæ Regiæ Proto-Notarius m. p.

CA-

CAPUT X.

§ I.

Fit Controverſia quoad Metales Sylvæ Laukenſis.

Excitarunt Incolæ Oroſzvéghienſes quoque Controverſiam quoad Limites Laukenſes, & antiquas Metas Anno 1793. turbare cœperunt, & exinde inter Inclytum Officium Dominale, & Monaſterium harmonia, & pax turbari cœpit, Excellentiſsimus Comes etiam ex ſiniſtra deſuper Informatione Religioſos inquietos, ac pacis turbatores ratus curavit queri, num Religioſi ſecum eatenus litigare velint, aut in pace manere. Ad hanc quæſtionem Communitas Religioſa nimium turbata Inſtantiam ſequentem ad prætitulatum Comitem Viennam promoverat:

Inſtantia Communitatis Religioſæ ad Comitem Schönborn adverſus Dominales Subditos involantes in Tenuta Monaſterii.

§ II. Excellentiſsime, ac Illuſtriſsime Domine Aurei Velleris Eques, & Supreme Comes, Domine Domine, & Patrone nobis, Benigno Gratioſiſsime!

Nuperrime per Spectabilem Dominum Excellentiæ Veſtræ Dominiorum Munkacs, & Szent-Miklos Præfectum, ut opinamur, Inclyti Dominalis Officii decreto verbaliter Admodum Reverendus Pater hujus de Monte Csernek Monaſterii Superior accerſitus, quo certius Excellentiam Veſtram, profundiusque in ſuis Officialibus veneraremur, Eundem Dominum Præfectum in continuo acceſsit; Verum poſtquam Nomine Excellentiæ Veſtræ, utrum velit cum ſæpefata Excellentia Veſtra Monaſterium hoc litigare, & dein

dein in Metarum certarum defixionem circa Monaſterialem Poſſeſsionem Lauka accedere cupiat, peremptorie interogatus fuiſſet, debuerat prærecenſita Poſtulata ad nos Confratres, antequam declarare ſemet potuiſſet, pro trutinio deferre, nos vero Conſtituimus, ut Excellentiam Veſtram, quam alienis rebus nunquam inhiare, & ſuas alienis nunquam locupletare velle didicimus, pro noſtri pacifica in Juribus Monaſterialibus permiſsione exoraremus. Verum

Excellentiſsime Domine! mirari non deſinimus, imo dolore conficimur, dum infauſta, utrum cum Excellentia Veſtra litigare velimus, quæſtione oneramur, an jam nos fors Excellentiæ Veſtræ pro litigia, & jurgia mollientibus delati ſumus, & forſitan pro inquietis impetitoribus reputamur? abſit hoc a nobis, neque Religioſo, qui ſeculo morimur, Conſortio noſtro quævis ætas, niſi cui cum nemine Mortalium bene convenit, id attribuere poteſt, inter parietes, muroſque recluſi vivimus, patientiæ, & obedientiæ regularis obſtricti nulli offendiculo ſumus; quis dicere audeat cum quocunque nos in gremio Comitatus active minimum Negotii habere. Profecto ſi privatos manſuetudine devincire ſatagimus, Excellentiam ſane Veſtram Patronum Benigniſsimum, & Mæcenatem Munificentiſsimum devoti agnoſcimus, penuria preſsis toties tributa Vitæ media profitemur, exilitatem noſtram ſcimus minoreſque nos, quam ut Excellentiam Veſtram litibus impetere præſummeremus, intelligimus, quin in gratiæ ſinum recipi Votis ardentibus adnitimur:

Evenit nihilominus, quod utinam nunquam eveniret, ut certe inviti interdum Jura noſtra Excellentiæ Veſtræ Dominiis omni ex parte intercluſa deffendere cogamur. Ne ſimus moleſti ſi breviter fatum hoc, ejusque Motiva recenſuerimus: Olim Anno 1360. piæ reminiſcentiæ Princeps THEODORUS KORIATHOVITS, Dux Ruthenorum, Partiumque harum Dominus longe ante Rozgonianam Conſcriptionem, & Uladislai Regis Tempora Monaſterium hoc de Monte Csernek ex Voto fundaverat, quove Religioſi vivere, & Monaſterialia ædificia ponere, conſervareque poſſent, Tractum omnem inde a loco Monaſterii usque Villam Buboviſtse eidem in perpetuum contulit. Principe hoc deſideratiſsimo absque ſolatio Hæredum decedente, Dominii Munkacs Hæreditatem Familia Corvinorum obtinuit, ac ea quoque defficiente ad Cameram, mox Coronam, dein Principes Tranſylvaniæ devolutum eſt; Verum poſt fata Fundatoris illud fuit Monaſterio funeſtiſsimum, quod ipſi Hæreditarii Domini, ad quos occulatus recurſus ſummi potuiſſet, remotam manſionem habuerint, nonnulli vero vel Monaſteriale, Religioſorumque Nomen deteſtabile habuerint, Officiales autem Eorum, cæteroquin Poſſeſſoriorum, & Proventuum amplificatione Principalium Corda pro conſuetudine promereri ſoliti in inermium Monachorum Jura pro conſueto irruerint, ſpatiaque Dominalia exinde augere nunquam ceſſaverint, donec tandem raptato ab ipſa Ara Venerabili Antiſtite ipſiſsimo totum Collationale Bonum ademiſſent; reſtitutum quid pro quo quidem eſt Monaſterio deinde Eminentiſsimi Cardinalis, & Archi-

Epi-

Epiſcopi a Kolonics, Rakotzianorum Hæredum Tutoris Juſſu, ea tamen convulſione, ut neque in una contiguitate, neque in ſua integritate quidpiam conſtiterit; nempe ut olim interjacentibus taliter Vicinitatibus Succeſſuris Dominalibus Officiis nova ſubintrandi Fundamenta ſuppeterentur; quid jam vel ipſo Repoſitionis tempore non amiſimus? Excellentia Veſtra Potiorem Collationis nobis factæ partem tenet, Excellentia Veſtra Promontoria, Beneficiaque noſtra poſsidet, in noſtris Collationalibus Territoriis plurimæ jam Excellentiæ Veſtræ Poſſeſsiones erectæ ſunt, nos æquo animo omnia ſufferimus, & tamen pro inconditis Litigatoribus denunciamur.

Accedit Excellentiæ Veſtræ horſum Subditorum in aliena Jura involandi conſuetudo, imprimis eorum, qui in noſtris antiquis Tenutis Pagos efformando ſuis conſtricti locis alienum appetere, & vi occupare debent, quique qualemcunque præjudicioſum uſum efficiant, Dominos Excellentiæ Veſtræ Officiales tamdiu moleſtant, donec ex uſu Proceſſus erigant, & vel bifariatione, vel Teſtium cæteroquin Dominalium hominum multitudine rerum potiantur; Via facti vero tantum populum, ac Excellentia Veſtra tenet, quis privatus proturbare audeat? atque hinc iisdem ſubditis uſum obtinere facillimum eſt.

His præmiſsis de cauſis Superiores Patres, quibus Jura Monaſterialia tueri incumbit, coguntur non adverſus Excellentiam Veſtram procedere, verum ſuæ curæ concre-

dita deffendere. Recens quoque ſubverſantes cauſæ, quas præſtolari cogimur, prædeductis ſimiles erunt; neque deinceps quoque, quod Excellentiæ Veſtræ eſt nos deſideramus, verum præciſe exoramus, ut in eo, quod in particulis adhuc retinemus, inperturbate manere poſsimus, quod ex Munifica Excellentiæ Veſtræ Gratia nos obtenturos ſperamus, remunerabitur Excellentiæ Veſtræ Benignitatem in æternitate DEUS ille, qui illa cuique menſura metitur, qua mortales aliis metimur, & qui in hoc ſeculo tot honorum, dignitatumque aditus impertitus eſt Excellentiæ Veſtræ, quos Imperium, Hungariaque gratiſsimo animo veneratur, cujus Patrociniis devoti emorimur Excellentiæ Veſtræ in Monte Csernek humillimi, & devotiſsimi Servi Ordinis Sancti Baſilii Magni Religioſi.

Prætitulatus Comes prohibet Involationem in Jura Monaſterii.

§ III. Queruloſa hac, & lamentabili Religioſæ Communitatis Inſtantia Benigne admiſſa, & exaudita Excellentiſsimus Comes Inclyto Officio ſerio injungere dignatus eſt, ut ſubditos Dominales ab invaſione Tenutorum Monaſterialium deinceps cohibere ſtudeat, neque Religioſos in ſuis Juribus turbent amplius: Benigna hæc Ordinatio ab Anno 1794. hucdum conſtanter obſervatur, Metæ antiquæ ſunt conſtabilitæ, Teſtium Faſsionibus comprobatæ: Hinc Monaſterium reſpectu Laukenſis Sylvæ Dubini, & Cholodni Horb nuncupatæ inter Metas ab antiquo obſervatas, nullam jam patitur impetitionem, facta nimirum per Inclytum Officium occulata Reviſione, Metalique Reambulatione præſentibus ibidem ex parte Monaſterii Perſonis Religio-

ligioſis, ac præhabita collaterali de Anno 1793. facta Inquiſitione: Teſtantibus depoſito Juramento, Stephano Doctor Annorum circiter 70. Theodoro Remeta Annorum circiter 80. Georgio Új-Kereſztény Annorum circiter 60. Theodoro Varitsir Annorum circiter 42. Georgio Timothy Annorum 42. Gregorio Pivapal Annorum 50. Demetrio Czapar Annorum 36. Baſilio Balas Annorum 36. Theodoro Svirdak Annorum 46. Baſilio Svirdak Annorum 36. Franciſco Heſing Annorum circiter 40.

§ IV. A tempore itaque illo, quo hæc Acta ſunt, Inclytum Supremum Officium Dominale ita Subditos in Officio ſuo conſervare ſtudet, ut nullæ prorſus violentiæ, nullæ in Jura Monaſterii fiant amplius involationes, ceſſant penitus Proceſſus Impenſionales, viget perpetua inter Colonos utriusque Partis mutua, eaque conſtabilita Pax, & Concordia. Immortales proinde Inclyto hinc Officio hæc Religioſa Communitas eatenus agit Gratias, & pro æterna requie piiſsimæ recordationis denati Comitis Excellentiſsimi EUGENII ERVINI a Schönborn DEum conſtanter exorare pergit.

CAPUT XI.

§ I.

Recapitulatio brevis Rerum in hoc Libro contentarum.

Et hæc ſunt, quæ de Statu Hierarchico Diœceſis Munkacsienſis enarranda, ac referenda ſuſcepi: Ruthenorum Originem, Sedes, Ritum, ac Religionem breviter expoſui: Fata tam proſpera, quam adverſa etiam, quæ Clero Diœceſis hujus evenerunt, absque omni partium ſtudio ſincere, ac genuine enarravi, ſiquid tamen e calamo meo excidere contingeret, quod minus rectum cuipiam videretur, Benevolus Lector errorem ejusmodi meum benevole corrigat, meamque mentem, bonam in partem interpretetur, etiam, atque etiam rogo, jam enim ſexageſimum tertium ætatis meæ agens Annum hæc ſcribo, atque FRANCISCO SECUNDO Romanorum Electo, Germaniæ vero Hæreditario Auguſtiſsimo Imperatore, & Hungariæ, Bohemiæque Rege Apoſtolico feliciter Regnante, nec non PIO SEPTIMO Pontifice Maximo univerſam Eccleſiam Dei provide gubernante iſthoc Opus meum concludo, adnectens pro Coronide Altefati Pontificis Decretum prohibentis Tranſitum Ruthenis ad Ritum Latinum Anno 1802. pro Ditionibus Ruſsicis emanatum, Tenoris ſequentis.

§ II. Ex Audientia Sanctiſsimi habita die 13. Junii Anno 1802.

Cum

Decretum Pii PP. VII. de non Tranſitu Ruthen. ad Ritum Latinum.

Cum Sanctiſsimo Domino noſtro PIO Divina Providentia PP. VII. expoſitum fuerit Decretum felicis recordationis Urbani VIII. de non tranſitu Ruthenorum ad Latinum Ritum editum ſub die 7. Februarii 1624. Confirmatum die 16. Aprilis 1774. a Clemente PP. XIV. pro omnibus Locis, & Provinciis, quæ M. Moſcorum Imperio ſubſunt, aliquoties ibidem violari, Sanctitas Sua Deceſſorum ſuorum Veſtigiis inhærens, ex graviſsimis Cauſis animum ſuum moventibus, referente me infraſcripto S. Congregationis de propaganda fide Secretario, Decretum, de quo agitur iterum expreſſe renovavit, mandans: ut ab omnibus prædictorum Locorum Chriſti Fidelibus, tum Eccleſiaſticis, tum Laicis, ſive ii Latini ſint, ſive Græci, Sancte, & inviolabiliter obſervetur.

Decretum autem eſt hujusmodi:

Ad conſervandam Pacem, & Concordiam inter Ruthenos Unitos, & ob alias graviſsimas Cauſas Sanctiſsimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter, Dominus Urbanus Divina Providentia PP. VIII. de Conſilio, & conſenſu Venerabili Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium Congregationis de propaganda decrevit: — Ne de cætero Ruthenis Unitis ſive Laicis, ſive Eccleſiaſticis tam Secularibus, quam Regularibus, & præſertim Monachis S. Baſilii ad Latinum Ritum quacunque de Cauſa etiam Urgentiſsima, ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis Licentia tranſire liceat, & proinde omnibus Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, & Officialibus Rutheno-

norum Unitorum diſtincte præcipiendo mandavit, ne deinceps Licentias pro hujusmodi tranſitu Subditis ſuis, cujuscunque Gradus, & Conditionis exiſtant, concedere præſummant, & Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis Latinis, ac eorum Officialibus, ne Ruthenos prædictos Unitos, ad Ritum Latinum tranſire volentes, quovis prætextu, aut cauſa cum Licentia Ruthenorum Prælatorum ſuorum recipere audeant, ſub pœnis nullitatis Actus, & aliis arbitrio Sanctitatis Suæ; & Romanorum Pontificum Succeſſorum ſuorum Transgreſſoribus infligendis, non obſtantibus.

Itaque hoc Decretum ſic renovatum, eadem Sua Sanctitas mandavit in Notitiam caute deduci omnium Epiſcoporum tum Latini, tum Rutheni Ritus, iisque denunciari non licere ſibi impoſterum Ruthenos, ſive Monachos, ſive Clericos, ſive etiam Laicos ad Latinum Ritum quavis de cauſa inconſulta Sede Apoſtolica admittere, prætextu etiam cujusvis facultatis, quam forſan a Sanctitate Sua, vel ejus Prædeceſſoribus, ſive ſcripto, ſive voce obtinuerint, quas facultates Sanctitas Sua Tenore præſentium revocat, ſuoque peculiari Judicio hujusmodi Transitus perpetuo ſibi, ſuisque Succeſſoribus reſervat, ſub iisdem pœnis in ſuperiori Decreto propoſitis; Contrariis quibuscunque non obſtantibus. Datum Romæ ex Ædibus dictæ S. Congregationis die, & Anno quibus ſupra. Dominicus A. Epiſcopus Myren. Secretarius.

Uni-

Univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, Fidem facio, atque atteſtor ego infraſcriptus præſentem Copiam de verbo ad verbum concordare cum ſuo Originali, quod firmo mea ſubſcriptione, & majoris hujus Apoſtolicæ Cancellariæ Sigilli appreſsione, tanquam inſigni mei Officii communis. Datum Viennæ Auſtriæ ex Cancellaria Sacræ Nunciaturæ Apoſtolicæ die 9. Menſis Julii A. D. 1803. Chriſtophorus Busa, Notarius Apoſtolicus Juratus, Sacræ Nunciaturæ Apoſtolicæ Cancellarius. (L. S.)

Rationes, & Momenta, quibus innixa Sacra propagandæ Fidei Congregatio, difficulter admodum, & non niſi graviſsimis ex cauſis Transitum permittit a Ritu, ad Ritum:

Ex Epiſtola ipſius Sacræ Congregationis ad Excellentiſsimum, & Reverendiſsimum Dominum Nuncium Apoſtolicum Viennenſem data ſub die 2. Aprilis 1803.

Fuit hoc ſemper præcipuum Apoſtolicæ Sedis ſtudium, ut integer ſervaretur eorum ſplendor diverſis Ritibus, & ob eorum antiquitatem ſumma Veneratione colendis, & tam legitime introductis, receptis, & approbatis in Eccleſia Catholica, cujus cum ipſa Concordi Eorum varietate pulcherrimum, & elegantiſsimum Ornamentum efficiunt. Univerſalis hæc Apoſtolicæ Sedis Oeconomia majori etiam cura eſt tenenda cum Natione Ruthena, quæ a Catholica Unione magna ex parte ſegregata licet in ritu plane uni-

formis nunquam fortaſſe ſperandum eſſet, ut ad Eccleſiæ Unitatem rediret, ſi paulatim inter eos deficerent illi, qui in Communione Catholica eundem Ritum profiterentur. Ad effectum itaque, ut Oſtium aſsidue pateat non Unitis, quo minori cum difficultate inducantur ad introeundum in unicum Ovile unici Supremi Paſtoris Jeſu Chriſti, expediens viſa eſt omni tempore Conſervatio Ruthenorum Unitorum in eorum Ritus Profeſsione, eaque de cauſa Idem Summus Pontifex PIUS VII. quem Deus diu incolumem præſtet, Suorum Prædeceſſorum Diſpoſitionibus inhærens, omnino ipſis Tranſitum inhibuit ad Ritum Latinum, niſi expreſſa ſpecialis Apoſtolicæ Sedis Diſpenſatio intercederet, prout patet ex Chyrographo dato ſub die 13. Junii Anni 1802.

Finis Partis Sextæ.

INDEX

EORUM, QUAE HOC LIBRO CONTINENTUR.

SERIES

RERUM PARTIS QUARTÆ.

		Pagina
CAPUT I.	Propoſiti ſui in continuando Opere reaſſumpti Author aſsignat cauſam — — — — —	3
	Diœceſis Munkacsienſis Ruthenam cum Valachica complectitur diverſis nominibus appellari ſolitam —	4
	Ruthenorum origo, diſperſio, Sedes, de iisdemque Laudes ab Aſſemano enunciatæ deſcribuntur — —	5
	Horum in Hungariam ingreſſus, & ad Fidem Chriſti converſio recenſetur — — — —	6
CAPUT II.	De primis Ruthenorum Regibus Annales eorum ſilent —	7
	Rurik, Sinaus Truvor ex Wageris Primi eorum Principes memorantur — — — —	8
	Mortuis ſine hærede duobus fratribus ſolus Rurik Principatum obtinet, cui mortuo Igor filius juvenis jure ſuccedit, Olecho interea pro eo Principatum adminiſtrante, quo exſtincto Igor Olha in uxorem ducta regnare cœpit —	10
	Igoro occiſo Olha pro Filio Suatislao infante Regno præfuit, cujus geſta referuntur — — —	—
	Olha Chriſtiana facta propter illuſtratam in Fide Ruſſiam ſoli comparatur — — — —	—
	Suatoslai geſta narrantur — — —	11
CAPUT III.	De primis Ducibus Culcinii narratio — — —	12
	Bulgari, Serbi, Moravi, Ruſsi &c. per SS. Cyrillum, & Methodium converſi — — — —	13
	Igorus ſedem Novogorodo Kioviam transfert —	—
	Culcinii de Olha & Suatoslao narratio — —	—

Ruſsia Sueonibus & Germanis, eſto Nordhmani nominentur, Natione tamen ab iisdem differunt — 15

Ruſsi, Rutheni, Bulgari, Raſciani, Croatæ, Bohemi &c. ejusdem ſunt Nationis — — — —

Rhoſſorum Chaganus ad Ludovicum Pium Exploratores mittens videtur fuiſſe Kius Kioviæ Conditor — 16

CAPUT IV. Roſsi Biſantinorum omnia quæquæ deripiunt intincta tamen Mari Deiparæ veſte fluctibus excitati conquaſſantur — 17

Ruſsi incombuſti in ignem projecti Evangyeliorum Libri miraculo Chriſtianam non pauci ſuſcipiunt fidem 18

Ex his complures quidem non tamen omnes ad Idololatriam reverſi ſunt — — — — 20

CAPUT V. Suatoslaus mortua Matre ſua Olha, diviſis inter filios ſuos Provinciis, Civitatem in Bulgaria Preslavam, bellumque Græcis denunciat pavidis exſtimulatis militibus ſuis — 21

Suatoslaus ſpernit quæquæ ſibi oblata munera, ſola veſtimenta, & arma acceptat — — — 22

CAPUT VI. Vladimirus examinatis Religionibus diverſis fidem Chriſtianam Græcorum præeligit — — — — —

Hic obcecatus, Baptismo ſuſcepto viſum recepit Anna Cæſaris Græcorum ſorore in uxorem accepta, & deletis idolis Ruſsiam ad Chriſti Fidem convertit — — 23

Hic e Græcia Michaelem adducit Metropolitam poſita Conſtitutione a Succeſſoribus ſuis inviolabiliter obſervanda 25

Michaelis Metropolitæ æque Græcus Leontius ſucceſſor fuit, poſt ipſum tertius Theopemptus pariter Græcus. Quartus Hilarion ſed Ruthenus genere creatus eſt Primas Ruſsiæ — — — — — — 26

Turbato per Michaelem Cerularium in Græcia Religionis negotio Ruſsi Græcos averſantes propter Schisma non Græcum ſed Ruſſum in Metropolitam eligunt — 27

Hilarioni mortuo ſubſtituitur Georgius itidem Ruthenus qui etiam SS. Vladimiri, Boriſsi & Hlibi promulgaverat cultum — — — — — — —

Baſilius Dux cum Cypriano Metropolita Kioviensi confirmat Vladimirianas conſtitutiones — — —

Sub-

Subſecuto apud Græcos Schismate Cerulariano Ruſsi in Orthodoxia permanent cum Latinis — — 28

Proinde Vladimirum, aliosque Ruſſorum Sanctos a Latinis quoque juxta Pagium, pro Santis coli poſſe ex præmiſsis ſequitur — — — — — 29

Immerito Ditmarus carpit Vladimirum aſſerens eum juſtis operibus Chriſtianitatem non ornaſſe — — —

CAPUT VII. Primis duobus Hungariæ ſæculis Ritum Græco Catholicum generatim in Hungaria viguiſſe, dubitari nequit — 30

Exinde patet ſæculis illis Epiſcopatus Græco Catholicos in hoc Regno Hungariæ quam plurimos exſtitiſſe, quorum unus ab immemoriali erectus Epiſcopatus Munkacsienſis præexiſtit — — — — — 31

Qui injuria temporum bonis Fundationalibus, deſtitutis per Vicarios Apoſtolicos diu adminiſtrabatur, quos Agrienſes Præſules Rituales quoque ſuos eſſe prætendebant & ad præſtandum ſubjectionis Juramentum urgebant, ut egit Comes Franciſcus Barkótzi, cum Manuele Olſavſzky — —

Idem Comes Munkacsini occaſione Canonicæ viſitæ eundem ad ratificationem prioris Juramenti ſtringens Generalem quoque Vicarium, & nonnullos Parochos ad idem præſtandum adegit — — — — —

Subjectionem illam Sacra Congregatio de propaganda Fide non probat — — — — — 32

Comes attamen Carolus Eſzterházi, Succeſſor Barkótzianus circulari Decreto ſuo 1763. vulgato Munkacsienſem Epiſcopum Pontificali exercitio omni privat, & a Ruthenis Parochis annuos in Filialibus Proventus tollit Clerus proinde Ruthenus adactus erat Regiam implorare clementiam — — — — — — —

CAPUT VIII. Manuel Epiſcopus identidem ægrotans inſtat ſibi reſolvi Coadjutorem Joannem Bradács, quem clementer reſolutum Apoſtolica Regina Romano Pontifici confirmandum præſentat — — — — — — 33

CAPUT IX. Idem confirmatus eſt in Vicarium Apoſtolicum per duplicis ordinis Bullas — — — — — 37

Epiſcopus Manuel Sacræ Unionis ſummus Defenſor, & Propagator dependentiam ſui ab Agrienſi Epiſcopo præcipuum propagandæ Unionis impedimentum eſſe multis exemplis remonſtrabat — — — — 39

CAPUT X. Hoc Præſule die 6. Novembris, ſtylo vetere, Anno 1767. e vivis ſublato Joannes Bradács Succeſſor in munere conſtitutus Reginam Apoſtolicam permovit, ut a prætenſa dependentia eundem clementer eximere efficaciter decreverit, & Summum Pontificem tum per Inſtantiam, tum per Advocatum ſuum eatenus ſolicitare dignata fuerit Canoniſationem Epiſcopatus Munkacsienſis ſuplicando — — 40

Motiva pro Reintegrando Epiſcopatu Munkacsinenſi Romano Pontifici per Advocatum Romanum Stephanum de Angyelis propoſita — — — — 41

CAPUT XI. Primos Chriſtianæ Fidei Aſſeclas fuiſſe in Pannonia Græcos ſeu Ruthenos Idem Advocatus de Angyelis multis ſolidisque, argumentis perſpicue remonſtrat — — 44

Solus Ordo S. Baſilii Magni primis ſæculis in Hungaria exſtitit — — — — — 45

Continuatam ſine interruptione Munkacsienſium Epiſcoporum ſeriem probari diverſæ Revolutiones non ſinunt 46

Octo Epiſcopi Græci Ritus disuniti peculiarem in Hungaria de præſenti etiam conſtituunt Hierarchiam — 48

Baſilius Taraſovits Epiſcopus Munkacsienſis nullatenus a Fide Orthodoxa dimoveri poterat — — 52

Clerus Ritus Græci Sacra Unione reſtabilita tres ſibi reſervavit conditiones — — — — 53

Leopoldus Primus Imperator Petro Parthennio nominato, & confirmato Epiſcopo confert decimas, exponitque Diœceſis Munkacsienſis limites — — — 54

Georgius Lippai, Archi-Epiſcopus Strigonienſis Petrum Parthennium pro legitimo Munkacsienſi Epiſcopo recognoſcendum publicat — — — — 55

Cauſa Deputationis Vicariorum Apoſtolicorum exponitur —

Per quos Gens Ruthena Octuaginta fere regebatur annis 56

Ex-

Extenſio & amplitudo Munkacsienſis Diœceſis deſcribitur — — — — — — 57

Tria ſunt requiſita, ex quibus juſta cauſa novi erigendi Epiſcopatus reſultat, quæ pro Munkacsienſi Epiſcopatu erigendo concurrunt — — — — — 61

Ex hac erectione Agrienſi Epiſcopo nullum infertur præjudicium — — — — — 63

Montis Csernek Baſiliani inpromovenda S. Unione Epiſcopo fuere Cooperatores — — — — 64

Contentiones utriusque Ritus Epiſcoporum obſtabant propagationi Sacræ Unionis — — — — 65

Felix Polonia, quæ ſub Epiſcopis Ordinariis Unitis in tantum brevi tempore aucta eſt Græco Catholicis fidelibus, ut vaſtiſsimas ſeptem de præſenti numeret Unitas Diœceſes, ſex Mille Parochias, Centum & Quinquaginto Ordinis S. Baſilii Magni Monaſterio — — — — 66

Inter Latini & Rutheni Ritus Epiſcopos nullam aliam præcedentiam Paulus PP. V. voluit, niſi, quæ ab anterioritate Conſecrationis ſolet dimetiri —

Litteræ Cleri Munkacsienſis ad Innocentium PP. X. de ſui Unione, & de conditionibus appoſitis exaratæ — 67

CAPUT XII. BREVE Alexandri Papæ VII. Confirmatorium Petri Parthenii in Epiſcopum Munkacsienſem — — — 69

Leopoldi Primi Imperatoris Literæ Nominationis Petri Parthenii in Epiſcopum Munkacsienſem — — 70

Archi-Epiſcopi Strigonienſis Georgii Lippay Literæ Circulares de exhibenda obedientia Petro Parthemio, ut Legitimo Epiſcopo Munkacsienſi — — — 71

BREVE Deputationis Joſephi de Camillis in Vicarium Apoſtolicum Alexandri PP. VIII. — — — 72

Catalogus Comitatuum, Locorum, Eccleſiarum Parochorum, Perſonarum Confeſsionis capatium — — 73

Decretum Congregationis de Propaganda Fide de Anno 1651. Erectionis Epiſcopatus Munkacsienſis — — 74

Cle-

Clemens XIII. PP. exigit ab Agrienſi Epiſcopo ſenſum, & opinionem de Erectione Epiſcopatus Munkacsienſis ut patet, ex Literis Nuncii Apoſtolici Viennenſis —

CAPUT XIII. Juſſa Pontificia executurus Agrienſis Epiſcopus ſenſa ſua quoad Epiſcopatum Munkacsienſem non erigendum in ſua ad Pontificem ex 115. numeris conſtante exarata Epiſtola exponit fuſiſsime, quæ incipit — — — 75

Opinionem hanc Præſulis Agrienſium aprobaſſe Pontificem, ejusdem Reſcriptum clare remonſtrat — — 76

Regina Apoſtolica ſuaſu Pontificis, nec non Epiſcopi Agrienſis Allegationibus ſua de hoc erigendo Epiſcopatu Conſilia ad tempus ſuſpendere cenſuit, & Epiſcopum Munkacsienſem ab Agrienſi dependentem ſuo Decreto declaraverat —

CAPUT XIV. Quoad eandem dependentiam aliud quoque Decretum ad Munkacsienſem Epiſcopum directum habetur — — 127

CAPUT XV. Juxta hujus Decreti Tenorem Epiſcopus Munkacsienſis Joannes Bradacs aſſumptis ſecum e Clero ſuo quibusdam individuis profectus eſt Agriam Anno 1769. dieque 15. Septembris eorſum apulit, cujus geſta recenſentur — — 131

CAPUT XVI. Facta inibi diſceptatione, cum de Juribus ſuis neutra pars quidpiam cedere vellet, ab utrinque finalis Deciſionis cauſa ad Thronum Regium provocatio facta fuit — 134

Dominus Parochus & Archi-Diaconus Doroghenſis Andreas Bacsinſzky communi Cleri voto Deputatus, Viennam expeditur cum Inſtantia Tenoris præinſerti — — 135

CAPUT XVII. Cauſam hanc Regina Apoſtolica hac altera vice defert Romam, declaratque Pontifici Compoſitionis inter Epiſcopos nullum aliud idoneum ſupereſſe medium præter exemptionem Munkacsienſis Epiſcopi ſubordinationis a Latino Agrienſi, ſignificat inſuper ſuam quoad erigendum Epiſcopatum Munkacsienſem inalterabilem voluntatem, atque Argumenta Agrienſis Epiſcopi in contrarium adducta per ſuum Advocatum ſolide refutat — — — — 138

CAPUT XVIII. Tres in Partes dividi poſſunt, quæ ex adverſo adducuntur ab Agrienſi Præſule contra Epiſcopatus Munkacsienſis Erectionem ut patet — — — — 143

Recenſetur Diſciplina Orientalium quoad Cathedram —

Extrema Unctio per ſeptem Presbyteros adminiſtrari ſolebat olim etiam apud Latinos — — — 176

Hi Presbyteri omnes Materiam ſubminiſtrant, & Formam 177

Sub ipſa exhibitione Sacramenti, Oleum quoque benedicitur — — — — — 178

Mos Infantis recens baptiſati Linguam Chriſti ſanguine intingendi in Latina etiam Eccleſia olim erat, in Orientali vero hucdum alicubi perdurat —

Peculiaria ſua Feſta & Jejunia habent Græci, proinde ad Latinorum obſervantiam ſtringendi non ſunt — 179

Idem intelligendum de Viatico in Aſimo Pane a Græcis recipiendo — — — — — 180

Qui Græcos in ſuis Cæremoniis carpunt, & ſuperſtitioſos cenſent, manifeſte produnt ignorantiam Rituum, Morum, & Conſuetudinum Eccleſiæ Græcæ — — — 181

Decimæ, quæ Eccleſiaſticæ, & Sacramentales dicuntur ad Epiſcopos Ordinarios, & concernentes Parochos ſpectant — — — — — — 182

Has Jure ſui Patronatus Imperator Leopoldus I. Petro Parthenio Anno 1659. contulit —

Epiſcopus Manuel Olſavſzky independens erat ab Agrienſi Epiſcopo ante Annum 1747. — — — 185

CAPUT XIX. Quo Anno coactus jurat emiſſa eodem tempore proteſtatione — — — — — — 186

Leonis Papæ X. Conſtitutio, qua Ordinaria Græcorum Epiſcoporum Jurisdictio in Diœceſibus Latinorum præſervatur 187

Epiſcopi Græci Ritus nullo modo a Latinis moleſtandi 189

Decretum Congregationis de Propaganda Fide, quo Orientalium Epiſcoporum Jura integra ſervantur in ſuos Populos — — — — — — 190

Decretum Conſiſtoriale Erectionis Epiſcopatus Fogarasienſis pro Ritu Græco in Tranſilvania — — 192

Eccleſia Sebaſtena in Partibus infidelium Joſepho de Camillis confertur — — — — — 193

Leges Regni Hungariæ, quibus ſtatuitur a Rutheno Populo decimas Sacerdotibus ſui Ritus, non autem Latinis eſſe perſolvendas — — — — 195

CAPUT XX. Reſcriptum Clementis Papæ XIV. ad Imperatricem MARIAM THERESIAM reſpectu Epiſcopatus jam reſoluti Munkacsienſis ſonans — — — — 196

Canoniſationis Epiſcopatus Munkacsienſis, cujus Tenor deſcribitur — — — — — — 197

Clauſula quoad eliciendam ſingulis annis Profeſsionem Fidi Bullæ præmiſſæ inſerta ſublata eſt, & ab obligatione hac Epiſcopus immunis declaratus — — — 206

CAPUT XXI. Regina Apoſtolica Joannem Bradács jam Vicarium Apoſtolicum antea conſtitutum Romano Pontifici præſentat pro Diœceſano confirmandum — — — — 208

BULLA Confirmationis præfati Epiſcopi — — 210

BREVE Pontificium ad Ven. Capitulum Munkacsienſe ſonans — — — — — — 214

CAPUT XXII. Epiſcopo Joanni Bradáts Anno 1772. die 4. Julii e vivis ſublato ſucceſsit Dominus Andreas Bacsinſzky Electus, & Nominatus mox eodem Anno 1772. die 5. Auguſti Regio Decreto perhibente — — — — 216

CAPUT XXIII. Confirmatus vigore Bullæ Pontificiæ — — 219

CAPUT XXIV. Conſecratus Anno 1773. Menſe Majo Viennæ in Capella Regia — — — — — — 222

Epiſcopo 12. millia Rfl. Titulo Menſe idque interimaliter ſolum clementer reſoluta ſunt — — — 223

Præter hæc 12. Millia pro Menſa Epiſcopali, pro Inſtructione quoque Cathedralis Eccleſiæ Unghvarienſis reſoluti ſunt 4000. Rfloreni — — — — 226

Pro Dominis Vicareis Foraneis Diſtrictuum Valachicorum utpote Szigetienſis, & Szathmarienſis Salarium in Summa 800. flor. clementer reſolutum. Ibidem Salaria pro ſeptem Dominis Canonicis Ven. Capituli Munkacsienſis ſpecificantur — — — — — 227

Pro

Pro Intertentione Notarii, & Fiſcalis ac Titulo expenſarum Cancellariæ Annui 500. flor. reſoluti — —

Pro Seminario Unghvarienſi Cleri Junioris 3000. flor. item pro D. Profeſſoribus ſpecificantur Annua Salaria — —

CAPUT XXV. Invicem 12. Mille Rflor. pro Menſa Epiſcopali, collata eſt Abbatia Tapolczenſis — — — — 228

CAPUT XXVI. DIPLOMA Collationale præattactæ Abbatiæ — 232

CAPUT XXVII. Indeligendis Eccleſiarum Prælatis Reges Hungariæ olim parum curabant cujus quis Ritus, aut Nationis eſſet — 240

Primis duobus hodiernæ Hungariæ ſeculis Abbatiæ, & Regales Præpoſituræ erant potiſsimum Græci Ritus — 241

Anno adhuc 1204. unum tantum pure Latinum Cœnobium in Hungaria erat — — — — 243

Inter Belam IV. occidentis, & Stephanum V. ejus Filium Orientis Hungariæ Reges propter Ritum duntaxat Bellum Civile exarſit — —

CAPUT XXVIII. Diſſertatio Patris Innocentii Simonchicz de Floreno Longo 245

Criſis Clar. D. Ignatii Gotzigh ſuper Triparto Opere jam antea edito — — — — — 251

SERIES RERUM PARTIS QUINTAE.

CAPUT I. Bonus Ordo a Canonibus præſcriptus exigebat Erectionem Capituli Munkacsienſis — — — — 3

Miniſtri Cathedralis Eccleſtæ Canoni ejusdem, ſeu Matriculæ inſcripti Canonici vocari ſolent — — 4

Denominatio Canonicorum Clero Græci Ritus Characteriſtica eſt 6

Capitulum, olim Presbyterium, Clerus Eccleſiæ, ac etiam Sacer Senatus dicebatur —

Inſignia Honorum & Dignitatum Cleri illius recenſentur 7

Exſtitiſſe olim Canonicos in Eccleſia Ruthenorum Cathedrali extra dubium eſt — — — — 8

Munkacsienſis Epiſcopatus cur prius ad Normam Canonicam eluctari haud potuerit, cauſa redditur — —

Non tamen Eccleſia Cathedralis omni penitus Sacro ſuo ſenatu fuerat deſtituta —

Pro Erectione Capituli ad Auguſtam Dominam Præſulis Munkacsienſis intro porrectæ Inſtantiæ Tenor exponitur 9

Exponitur peculiaris Canonicorum obligatio, & authoritas in Eccleſia —

Canonicorum apellatio apud Ruthenos nullam redolet novitatem — — — — — 11

Capituli Munkacsienſis, Sede vacante exercitium Jurisdictionis exponitur, uſusque ejus declaratur per electionem Vicarii Generalis —

Officia & munia Canonicorum in Eccleſia Græca etiam vigent, qui Cruces, annulos, aliaque honoris inſignia geſtant 12

Septem Conſiſtoriales pro Canonicis cum ſuis officiis, & expoſitione meritorum per Epiſcopum Suæ Majeſtati Regiæ præſentantur — — — — — 13

CAPUT II. Intimatum reſpectu ſeptem Canonicorum benigne reſolutorum ſpecificatis eorum nominibus, & Officiis — — —

CAPUT III. Vigore præmiſsi intimati cum penſione reſolvuntur Szigethienſis, & Szathmarienſis Vicarii Foranei — — 17

Præſulis Munkacsienſis intuitu auctionis Salariorum pro Canonicis Inſtantia — — — — 18

CAPUT IV. Ad præattactam Præſulis Inſtantiam petita Salariorum auctio pro ſingulo Individuo Canonicorum reſoluta eſt — — 19

Similis quoque pro Notario, Fiſcali item, & pro Scripturiſticis expenſis, pro Seminario qnoque Clericorum ac Profeſſoribus benigna reſolutio emanata habetur — 21

CAPUT V. Solemnitas Inſtalationis V. Capituli Munkacsienſis deſcribitur 23

Geſtorum ſub præmiſſo Actu circumſtantialis exhibetur adumbratio — — — — — 24

CAPUT VI. Allocutio Epiſcopi ad Neo-Inſtallandum Capitulum — 27

Lecta per Secretarium Epiſcopalem, & publicata ſunt ſingilatim emanata pro Canonicis Regia Diplomata 28

Formula Inſtallatoria Capituli per Epiſcopum dicta 29

Continuatio allocutionis Epiſcopi ad Capitulum —

CA-

CAPUT VII. Dictio Præpoſiti Andreæ Zsetkey, ſub actu Inſtallationis ejusdem Capituli — — — — — 32

Juramentum a Canonicis præſtitum — — 40

CAPUT VIII. Diploma pro Præpoſito Andrea Zsetkey — — 41

Reliqui Domini Canonici ſimilibus Diplomatibus eotum publicatis proviſi — — — — — 43

Diploma collationale Dignitatis Abbatialis pro præfato Præpoſito emanatum — — — — 44

CAPUT IX. Cathedræ Epiſcopalis ex Oppido Munkacs Unghvarinum Translationis cauſæ exponuntur — — — 46

Collegium Jeſuitarum Unghvarienſe cum Templo pro Sede Epiſcopali, & Eccleſia Cathedrali, Arx vero pro Seminario Junioris Cleri Anno 1775. benigne reſoluta habentur cum ſuis appertinentiis Intimato perhibente — 48

Præmiſſa ædificia cum omnibus ibidem exiſtentibus utenſilibus cum Bibliotheca Jeſuitarum pro parte Epiſcopatus Munkacsienſis vigore reſolutionis Regiæ per Commiſſarios Regios reſignata ſunt, Inſtrumento Reſignatorio docente 49

CAPUT X. Circa adaptanda, & reparanda ædificia reſoluta Unghvarienſia Projectum ſumptuum ad 24782. Rflor. aſſurgentium una cum Delineationibus Locumtenentiale Conſilium Regium cum Præſule Munkacsienſi eum in finem communicat, quatenus ſuum ſenſum, & informationem deſuper præſtare velit — — — — — 51

CAPUT XI. Præter præattactam Summam nempe 24782. flor. pro præattactis Ædificiis ad ſtatum perfectum perducendis reſolvuntur adhuc Rflor. 21143. xr. 46. ad ſenſum Intimati 57

Cameralis Adminiſtrator Caſſovienſis Comes Michael Sztaray, fine Contractus cum Architecto ineundi reſpectu reparandorum ædificiorum qua Regius Commiſſarius Unghvarinum exmittitur — — — — 59

CAPUT XII. Fundato Vicariatu Caſſovienſi Canonicus Dominus Joannes Paſztelyi, pro ſtatione illa reſolvitur — — 60

Succeſsit huic in munere Vicariali Canonicus Michael Bradács, Minoritarum Clauſtrum cum Templo ſumptibus Regiis ad normam Ritus Græci ſucceſsive adaptando Eperieſini

rieſini clementer reſolutum pro ſtabili ſua Reſidentia obtinuit — — — — — — 61

CAPUT XIII. Diploma Imperatoris LEOPOLDI II. Collationes cunctas, & Dotationes præmiſſas Thereſianas complectens pro Epiſcopatu Munkacsienſi emanatas — — — 63

CAPUT XIV. Cathedralis Eccleſia Unghvarienſis Anno 1780. die 15. Octobris conſecrata fuit — — — — 79

Epiſcopus Munkacsienſis Andreas Bacsinſzky factus Actualis Intimus Regius Conſiliarius in Diæta Regni Sedem cum Voto adeptus cum cæteris Græco Catholicis Præſulibus —

Olim Statum Prælatorum conſtituebant magna ex parte Epiſcopi quoque Græco-Catholici — — — 81

Stephanus V. Ritum Græco-Catholicum tenuit utpote Matrem ſuam, Conjugemque Græco Catholicas ſecutus —

Epiſcopi & Epiſcopatus Græci-Ritus Cathol. — 82

CAPUT XV. Præmiſſarum pro Epiſcopatu Munkacsienſi Fundationum in Diplomate Leopoldino contentarum Statutio ſolemnis Anno 1792. peracta eſt, perhibente Statutionis Inſtrumento —

SERIES RERUM PARTIS SEXTAE.

CAPUT I. Domini Epiſcopi Andreæ Bacsinſzky Titulus, Ætas, Anni Epiſcopatus, Tranſitus Unghvarinum recenſentur — 3

Ven. Capituli Munkacsinenſis Individua cum Eorum Officiis deſcribuntur — — — — — —

Canonici Honorarii — — — — 5

Ven. Conſiſtorii Conſtitutiva — — — 6

SS. Theologiæ Profeſſores — — — —

Diœceſis Munkacsienſis per XIII. Comitatus extenditur —

Dividitur hæc Diœceſis in Diſtrictus 59. conſtatque ex Parochiis (præter Filiales) Septingentis quadraginta —

CAPUT II. Tabella remonſtrat Diſtrictuum Vice-Archi-Diaconorum, & Parochiarum Nomina — — — — 7

CA-

Partis ſextæ.

CAPUT III. Status Perſonalis Religioſorum Ordinis S. Baſilii Magni in VII. Monaſteriis degentium deſcribitur — — — 11

CAPUT IV. Clerus Ruthenus, non tam eruditus, quam exemplaris, ac Zeloſus olim fuit — — — — — 15

Idem Clerus nunc Scientiis omnibus excolitur, ex Fundo Publico providetur, ac dotatur — — — 16

Benigna Reſolutio Regia 30000. Rhflor. Titulo Annui Subſidii Decreti Tenor — — — — 17

CAPUT V. Schvartner carpit Ruthenos, & Valachos de negligentia Inſtitutionis Prolium ſuarum — — — 18

Reluitur Redargutio Schvartneriana intuitu Æducationis Prolium — — — — — —

Criſis Clariſsimi Schvartner adverſus Diploma Koriathovitsianum de Fundatione Monaſterii Munkacsienſis — 21

Solvitur Dubium Clariſsimi Schvartner, & Diploma Koriathovitsianum verum, ac Genuinum eſſe demonſtratur — —

Characteres Genuini Diplomatis aſsignantur — 22

Multa de Fundatione ſua Monaſterium amiſit — 23

Metarum Confuſio multas Sequelas malas peperit Monaſterio, vigentes tamen inter Dominium, & Monaſterium Controverſiæ amicabili Tractatu ſufferuntur — — —

CAPUT VI. Quædam Puncta præliminaria amicabilis Tractatus, ex Conſenſu mutuo confecta, & ſubſcripta ſunt, quorum Tenor exponitur — — — — — 24

CAPUT VII. Metalis Reambulationis Bubuliskaienſis Teritorii Litterale Inſtrumentum Capite hoc per extenſum deſcribitur — 29

CAPUT VIII. Sub prima Reambulatione Metali non ſubſecuta Coalitione amicabili, iterum ſecunda Reambulatio inſtitui debuit — 36

Pater Proto-Hegumenus ad Inclytum Officium per Dominum Præfectum intuitu amicabilis Tractatus concludendi comparet — — — — — 38

Coalitio præattacta intuitu Controverſiarum Matalium Terreni Bubuliskaenſis feliciter confecta eſt Anno 1792. ſub Conditionibus, quas Tenor Inſtrumenti Litteralis refert 39

CA-

Index Rerum Partis ſextæ.

CAPUT IX. Incolæ Bubuliskaenſes Sylvam Dubova dictam ſibi appropiando, adverſus Monaſterium movent Proceſſum, & ad uſum ejusdem per Inſtantiam ad Tronum Regium datam ſupplicant — — — — — — 43

Per Judicium ſubalternum Monaſterium ab impetitione Actorea abſolutum eſt, Sylvaque Dubova eidem adjudicata, ex motivis ſubnexis — — — 44

Sententia Judicii ſubalterni in Tabula Regia approbata eſt, Teſtimonialibus Litteris perhibentibus — — 45

CAPUT X. Facta fuit Controverſia quoad Metales Sylvæ Laukenſis, & rurſus Pax & Harmonia turbata, & Religioſi ſiniſtræ ad Comitem delati pro litigioſis, & turbulentis habebantur 48

Inſtantia proinde a Communitate Religioſa ad Comitem Schönborn lamentabilis data eſt adverſus Dominales Subditos in Tenuta Monaſterii involantes —

Prætitulatus D. Comes Schönborn in Jura Monaſterii Involationem omnem prohibet, ac conſequenter Monaſterium in pace permanet — — — — 52

CAPUT XI. Recapitulatio brevis Rerum in hoc Libro contentarum — 54

Decretum PP. PII VII. de non Tranſitu Ruthenorum ad Ritum Latinum — — — — 55

Hujus Decreti Rationes, & momenta adnectuntur —

APPENDIX

Ad paginam 67. Partis V. Capitis XIII. ubi Collationali Diplomati inſerptum habetur (Reſidentia Munkacsienſi cum ſuis pertinentiis, ultro quoque pro Epiſcopis Munkacsienſibus in ſalvo relicta.)

§ I. Siquidem ædificium pro Reſidentia Epiſcopali Munkacsini cœptum, & nondum conſumatum, eſto quidem Collationalibus Regiis inſertum foret, quia tamen ad præſens usque tempus pro ullo uſu accomodatum, deſtinatumque haud fuiſſet, ideo Communitas loci Græco-Catholica pro Eccleſia Parochiali illud ſibi benigne reſolvi Altiori Loco ſequentibus ex motivis ſupplex inſtitit; & quidem 1mo Quia numerus animarum Parochiæ illius cum ſuis Filialibus eſſet jam ſupra 1239. 2do præexiſtens vero Eccleſia, dempto Sanctuario cum Ambone ſeptem dumtaxat orgiarum longa, & trium lata foret: Vix proinde 252. perſonarum capax. Hinc 3tio potior pars concurrentis populi gremialis etiam præter intervenientes majori numero eos, qui manipulationem ſalis per vecturas promovere ſolent, toto

Communitas Gr. Cath. Munkacsienſis Reſidentiam Epiſcopalem inſtat ſibi reſolvi pro Eccleſia.

Motiva exponuntur.

X anni

anni tempore, ſtativantes item Milites, nec non conductorum corporis diebus Feſtivis, & Dominicis pro Divinis extra Eccleſiam ſub dio qualicunque temporis tempeſtate ſtare debent, & nec Divina debite, minus vero Dictiones ſacras fructuoſe audire poſſunt. Quo ex motivo 4to Inclyta etiam Deputatio in Negotio Regulationis Diœceſis Munkacsienſis ordinata conformem pro convertenda videlicet in Eccleſiam quæſtionata Reſidentia dederat Opinionem. 5to Reſidentia hæc ipſo ſitu, & ſtructura ſua ita ſita habetur, ut pro Eccleſia facile converti queat. E contra 6to præſens Eccleſia neque prolongari, neque dilatari poteſt, & cæteroquin in humido, paluſtrique loco jacet, ut mucedo, & putredo internam Inſtructionem conſummat.

Intimatum Excelſi Conſilii ad Epiſcopum ſonans intuitu Informationis præſtandæ

§ II. Præmiſsis his Rationum momentis, Excelſum Conſilium Regium Locumtenentiaie benigne permotum, priusquam tamen de hoc merite abſolute quidpiam decerneret, voluit deſuper a Sua Excellentia Præſulea genuinam habere Informationem, una & opinionem, quod patet ex hocce ſubjuncto Intimato Nro 15509. Illuſtris, plurimum Reverende, Excellentiſsime &c. Quibusnam Rationum Momentis Munkacsienſis Græco-Catholica Communitas, ibidem ædificium Reſidentiæ Epiſcopalis nondum conſummatum pro Eccleſia ſibi reſolvi ſupplicet, adjacens horſum iterum re-

mit-

mittenda ejusdem Originalis Inſtantia pluribus perhibet. Super Recurſu proinde hoc, Conſilium hoc Regium Locumtenentiale in mutua cum Comitatu Bereghienſi eatenus inſtituenda concertatione, ab Excellentia Veſtra Informationem, & Opinionem præſtolaturum eſt. Datum ex Conſilio Regio Locumtenentiali Hungarico, Budæ 4. Auguſti, Anno 1801. celebrato. Illuſtris, plurimum Reverendæ, Excellentiſsimæ, Illuſtriſsimæ, ac Reverendiſsimæ Dominationis Veſtræ, ad Officia paratus, paratiſsimi Paulus Álmáſsy m. p. Franciſcus Darvas m. p. Antonius Álmáſsy m. p.

15509. Illuſtri, plurimum Reverendo, Excellentiſsimo, Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino Andreæ Bacsinſzky, G. R. Catholicorum Epiſcopo Munkacsienſi, Abbati S. Petri Apoſtoli de Tapolcza, S. C. & R. A. Majeſtatis Actuali Intimo Status Conſiliario, Amico Chariſsimo, Domino Nobis Obſervandiſsimo. Uughvarinum. Ex Officio. (L. S.)

Reſolutio favorabilis quoad Reſidentiam pro Eccleſia adaptandam l. Comitatui ſignificatur.

§ III. In conformitate proinde prælaudati Intimati Præſul hic Excellentiſsimus illam ſuam, quæ exigebatur, indilate præſtitit Informationem cum favorabili Opinione, ultro ſubſcribente hanc Voto ſuo Inclyta Univerſitate Comitatus Bereghienſis. Quibus præmiſſo modo præſtitis mox Benigna

Reſolutio ſubſecuta eſt, ut Tenor Intimati, qui ita ſonat, perhibet. Nro 25682. Illuſtriſsimi, Reverendiſsimi &c. Benigne annuit Sua Majeſtas Sacratiſsima, ut, ob defixam Unghvarini Sedem Epiſcopalem, ædificium pro Reſidentia Epiſcopali Munkacsini cœptum, quia nullam in præſens aliam accomodam deſtinationem haberet, ob exilitatem Eccleſiæ Gr. Ritus Unitæ Parochialis, adauctumque nimis Populum, pro uſibus Eccleſiæ Parochialis ejusdem Ritus, absque ullo tamen, ſeu pro adaptatione, ſeu pro conſervatione e Fundo Religionis ſperando ſubſidio, cedatur. Quod ipſum proin Prætitulatis Dominationibus Veſtris erga fatam hoc in merito repræſentationem pro ſui, & impetrantis Communitatis directione, ac Notitia præſentibus intimatur. Datum ex Conſilio Regio Locumtenentiali Hungarico Budæ die 15. Novembris Anno 1803. celebrato. Præattactarum Dominationum Veſtrarum Benevolus, ad Officia paratiſsmi, Joſephus Comes Brunsvik m. p. Franciſcus Darvas m. p. Joſephus Dviſztricey m. p.

Collatum cum Originali per Ordinarium Notarium Joſephum Liptsey m. p.

Series Determinationis ſub Particulari Congregatione I. Comitatus Bereghienſis die 16. Januarii 1804. in Oppido Bereghſzáz celebrata interventæ.

Nro

Nro 180. Publicatum eſt Benigno Gratioſum Excelſi Conſilii Locumtenentialis Regii de dato 15. Novembris A. P. Numero 25682. emanatum Intimatum, contextu cujus erga Repreſentationem ab hinc factam, pro ſtatu notitiæ, & directionis intimatur: Suam Majeſtatem Sacratiſsimam Benigne annuere dignatam eſſe, ut ob defixam Unghvarini Sedem Epiſcopalem, ædificium pro Reſidentia Epiſcopali Munkacsini cœptum, quia nullam in præſens accomodam deſtinationem haberet, ob exilitatem Eccleſiæ Græci Ritus unitæ Parochialis, adauctumque nimis Populum, pro uſibus Eccleſiæ Parochialis ejusdem Ritus, absque ullo tamen ſeu pro adaptatione, ſeu pro conſervatione e Fundo Religionario ſperando ſubſidio cedatur. Superqua Benigna Reſolutione Regia præfata Græci Ritus Eccleſia Munkacsienſis, medio proceſſualis Judicis Nobilium edocenda veniet. Extra datum per Juratum Notarium Nicolaum Kutni m. p. Publicatur Intimatum in particulari Congregatione intuitu reſolutæ Reſidentiæ.

§ IV. Simile pariter de præmiſſo merito Dominus Epiſcopus quoque accepit Intimatum, atque quæſtionatam Reſidentiam Munkacsienſem Inſtanti Communitati pro Eccleſia Parochiali adaptandam mox reſignari ordinavit. Reſignatorium, ac Ceſsionale Inſtrumentum ita ſonat:

ANDREAS BACSINSZKY, Divina Providentia Epiſcopus Munkacsienſis, SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum de Inſtrumentum Ceſsionale

intuitu Residentiæ Epiſcopalis pro Eccleſia reſolutæ.

Tapolcza perpetuus Abbas, nec non Sacratiſsimæ, Cæſareæ, & Regio-Apoſtolicæ Majeſtatis Actualis Intimus Status Conſiliarius &c. Damus pro memoria, quibus expedit, & competit, Univerſis, quod, poſteaquam Græco-Catholica Parochialis Noſtra Communitas Oppidi Munkács iteratos ſuos ſupplices pro eo ad Nos feciſſet recurſus, ut ædificium ejus Reſidentiæ olim Epiſcopalis Munkacsienſis, præexiſtenti ibidem Eccleſiæ Parochiali advicinatum, ex rationibus, in ſupplici ſuo Libello expreſſatis pro neo-erigenda Eccleſia Parochiali transformandum, & accommodandum Gratioſe cederemus, conferremus, & reſignaremus, ac una reſpective, in quantum videlicet præattactum ædificium Reſidentionale, poſt translationem Cathedræ, & novæ Reſidentiæ Epiſcoporum Munkacsinenſium Unghvarinum, Benignis Collationibus Regiis per Auguſtum condam Glorioſæ, ac perennis recordationis Regem Apoſtolicum LEOPOLDUM II. de Anno 1791. interventis inſertum haberetur, per Suam Majeſtatem Sacratiſsimam, nunc feliciter regnantem Auguſtum FRANCISCUM II. præmiſſum in finem Eccleſiæ Parochialis Munkacsienſis clementer cedi, conferri, ac reſignari impetraremus; Nos proinde ſubſtratis coram Nobis eorumdem Chriſti Fidelium Parochianorum Munkacsienſium rationibus & precibus, veluti undequaque pro veris, & juſtis recognitis inclinati, ac permoti, ſignanter

nem-

nempe: quod aucto per DEI Gratiam Parochianorum Græco-Catholicorum Munkacsinenſium numero præexiſtens Parochialis Eccleſia prorſus inſuficiens, ac incapax foret, in ſe vero tam ob anguſtiam, quam & ob paluſtroſitatem Loci, ac una ob improportionem ſui nullatenus ampliari quiret, præmiſſo conſenſu Noſtro, præmiſsis item altius tam præfatæ Communitatis, quam & concomitantibus ſupplicibus precibus Noſtris, in Virtute Clementiſsimi Majeſtatis Suæ Sacratiſsimæ Annutus, via Excelſi Conſilii Locumtenentialis Regii de dato 15. Novembris Anno mox evoluto ſub Nro 25682. ad Nos emanati, prærepetitum Reſidentiæ olim Epiſcopalis Munkacsinenſis ædificium totum quantum, prouti videlicet illud de præſenti exiſtit, cum emetiendo ſuo tempore competente contiguo cæmeterio, Jure perennali, in perpetuum, ac irrevocabiliter in præconceptum Sanctum, & ſalutarem finem, Gloriæ DEI, & ſalutis Animarum, pro Eccleſia nempe Parochiali Munkacsinenſi cedimus, conferimus, & reſignamus, atque pro ceſſa collata, & reſignata declaramus, hiſce Ceſsionalibus Noſtris in majorem vim, ac robur per Nos ſubſcriptis, & ſub ſigillo Noſtro authentico, extradatis mediantibus. Unghvarini die 22. Februarii Anno 1804. Andreas Epiſcopus m. p. (L. S.)

APPENDIX

Ad paginam 100. *Partis I. Caput XVIII.*

Teſtimoniales ſuper Fundatione Monaſterii Miſzticzienſis. De anno 1676.

§. I. Joannicius Zeikan in Serie XI. Epiſcopus Munkacsienſis, de quo præter illa, quæ loco citato inſerta habentur, hæc quoque memoratu digna occurrunt, utpote: Epiſcopus hic Joannicius, qui etiam Joannes Miſzticzey, ſeu Miſzticsevſzky a Loco Reſidentiæ ſuæ, in Poſſeſsione Miſzticze ſituatæ nominari ſolebat, omnia ſua bona, quæ in dicta Poſſeſsione, qua Nobilis, ac Terreſtris Dominus habuerat, Eccleſiæ ſeu Monaſterio Miſzticzienſi, quod Ipſe fundaverat, contulit tenenda, & poſsidenda, Litteris Teſtimonialibus clare remonſtrantibus, quarum Tenor ita ſonat:

Nos Univerſitas Dominorum Magnatum, & Nobilium Comitatus de Beregh. Damus pro Memoria, quod cum Nos in Anno hoc Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, nunc currente, die vero Decima Menſis Februarii, in Oppido Munkács, die vero, ac loco Celebrationis Generalis Congregationis Noſtræ alias quoque conſueto pro tractandis nonnullis publicis negotiis frequenti

nume-

numero Tribunali conſediſſemus. Eotum Generoſus Dominus Georgius Kysfaludi, Vice-Comes hujus Comitatus Noſtri, ſub proprio ſui Juramento, in Generali Regni Decreto ſuperinde contento, & expreſſo Nobis retulit hunc in modum. Qualiter in Anno hoc Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, nunc currente, diebusque proxime præteritis. Honorabilis Joannes Miſzticzey, Ladika ejusdem Loci, univerſa Bona ſua Mobilia, & Immobilia per ſe acquiſita ad honorem Templi, per eos vulgo Czerkó nominati, Loci ejusdem Miſzticzienſis obtuliſſet, faſſusque fuiſſet, tali per expreſſum ſub conditione, ut ſi qui ex Poſteris ſuis, & Hæredibus commodi fuerint poſt deceſſum ſui, illi per gradum ſuccedant in Officiis, caſu quo autem ratione hæredum, & poſterorum, defectus ſuboriretur, ex tunc quæcunque commoda perſona ſuccedat. Unde Nos ad fidedignam Domini Vice-Comitis Noſtri Relationem Litteras Noſtras Teſtimoniales, ſub authentico Comitatus Noſtri Sigillo dandas duximus, & concedendas, Communi ſuadente Juſtitia. Datum ex Generali Congregatione Noſtra in Oppido Munkács die Decima Menſis Februarii, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto celebrata. Lecta, Publicata, Proclamata, & extradata per me Franciſcum Turoczy, Juratum Sedis Notarium m.p. (L.S.)

Præ-

Præſentes Teſtimoniales, ſeu Fundationales Litteras Sanctæ Habitationis, ſeu Monaſterii Miſzticzienſis in Honorem S. Michaelis Archangeli erecti Nobis præſentatas, & per Nos viſas, lectas, & perlectas præſenti Chyrographo confirmamus, ratificamus, & approbamus. Datum in ſolita Reſidentia Noſtra Epiſcopali Munkacsienſi, die Octava Menſis Maji Anno Milleſimo ſeptingenteſimo Vigeſimo ſeptimo. Genadius Bizanczy, Epiſcopus Sebaſtianus Munkacsienſis, & Maramoroſienſis. m. p. (L. S.)

Mortuo Epiſcopo Joannicio An. 1686. Monaſterium Miſzticzienſe traditur Monachis.

§ II. Aliud Litterale Inſtrumentum Idiomate Ruthenico de Morte præfati Epiſcopi, (quod in ſuo Originali in Miſzticenſi Monaſterio aſſervatur) ita ſonat:

Anno 1686. Menſe Novembri, die 8. obiit Epiſcopus Joannicius Miſzticenſis, in cujus glorioſæ memoriæ ſepultura erat Pater Jeromonachus Methodius Nominatus Monaſterii Munkacsienſis, & Pater Hegumenus Monaſterii Uglenſis Geraſimus, & Archimandrita Metrofanes. Poſt exequias, defuncti Epiſcopi, elegimus, & conſtituimus Jeromonachos, Patrem Dorotheum, & Patrem Theodoſium, & Patrem Athanaſium, & Patrem Joannicium, Nos ex Statu ſuperius prænotati Hegumeni, & ſimiliter ex Statu Seculari Spirituales (Sacerdotes) Congregationaliter tradidimus Monaſterium Miſzticzienſe neo-ordinatis Reli-

gioſis

gioſis ſupra nominatis, ut cum circumſpectione paſcant Eccleſiam DEI Vivi, id eſt: Monaſterium Miſzticzienſe. Primo hoc modo, ut diſpenſa nullis ſecularibus hominibus, vicinis, & remotis ſit communis. Secundo nemo e cognatis defuncti ullo modo ſub Anathemate Monaſterium infeſtet. Tertio, ſimiliter etiam Jeromonachi, quibus tradidimus Monaſterium, & conſtituimus Hegumenum, Patrem Dorotheum, ut cum ſolertia, & obedientia ſalutari optemperent. Aderat Andreas Parochus Copanenſis: Pater Stephanus Miſzticzienſis, Pater Petrus Bilkenſis, Pater Timotheus Miſzticzienſis, Pater Alexius Miſzticzienſis, Protopopa Bereghienſis Comitatus. Scripſit Presbyter Petrus Szölöſienſis.

APPENDIX.

Pro Statu Notitiæ, & Directionis habendæ, Controverſiam illam, quæ Munkacsienſem inter, & Scepuſienſem Præſules ob-mota condam, dein Authoritate Primatis deciſa fuit, referendam eſſe duxi. Controverſiæ illius Origo iſta fuit: Clerus Græco-Catholicus intra Ambitum Diæceſis Scepuſienſis exiſtens, Fidelium Latini Ritus Confeſsiones excipiendi, aliaque Sacramenta adminiſtrandi, Facultate, & Jurisdictione gaudebat non ſolum tempore illo ſibi conceſſa, dum ſub Latini Epiſcopi Regimine conſtitueretur, ſed etiam poſtquam Antiſtiti Munkacsienſi ſubjiceretur, continuo uſitata, utpote laudabili praxi in Diœceſi Agrienſi ſemper uſitatæ inſiſtens. Aſt Illuſtriſsimus Præſul Comes JOANNES de RÉVA facultatem hanc a præfato Clero, Anno 1786. non absque ingenti animorum motu utriusque Ritus Fidelium revocavit, ademitque, cauſam Facti ſui aſsignans, quæ ad duo hæc capita reducitur. 1-mo Quod Facto Cleri Græco-Catholici ab uno Ritu ad alium Fideles facile deſciſcant. 2-do Quod proles Parentibus Latino-Catholicis progenitas

)(Pa-

Parochi Græco-Catholici, collato Baptismo, etiam confirmare præſumant. Diſsidium iſthoc inter prælaudatos Præſules Sua Eminentia qualiter deciderit, compoſueritque, Inſtrumentum iſthoc clare perhibet:

JOSEPHUS Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Tituli S. Bartholomæi, in Inſula Presbyter Cardinalis, S. R. I. Princeps a BATTHYÁN, Perpetuus in Németh-Ujvár, Archi-Epiſcopus Strigonienſis &c. &c. Damus pro memoria, vigore præſentium ſignificantes, quibus expedit, univerſis, a quod, poſteaquam Nobis Reverendiſsimus in Chriſto Frater, & Suffraganeus Noſter, Excellentiſsimus Andreas Bacsinſzky, Græci-Catholici Ritus Munkacsienſis Epiſcopus pro remedio expoſuiſſet, qualiter videlicet Reverendiſsimus æque in Chriſto Frater, & Suffraganeus Noſter, Illuſtriſsimus Joannes Comes de Réva, Latini-Catholici Ritus Epiſcopus Scepuſienſis, Presbyteros ſuos Græcos-Catholicos, per Diœceſim Scepuſienſem coram animarum exercentes medio Encyclicarum, ad univerſos Diœceſis ſuæ Parochos peremptorie dimiſſarum Sacra Jurisdictione, qua diu antea mutuoque in Fideles Latino-Catholicos uſi fuerunt, exuerit; Nos audito ſuperinde Titulato Domino Scepuſienſi Epiſcopo, Factum hoc ſuum gravibus equidem, momentoſisque rationibus legitimante, erga propoſita nihilominus per Nos ſibi concordiæ conſilia, ad amicam, pro arbitrio Noſtro adinveniendam controverſiæ iſtius complanationem facile accedente, hocque fine Puncta

cta

cta Nobis quæpiam pro futura Jurium ſuorum, uti & Presbyterorum Græco-Catholicorum, curam animarum intra Diœceſim ſuam exercentium, pro cautela ſcripto exhibente; quibus per Nos cum Titulato Domino Epiſcopo Munkácsienſi, pro reciproca Ejusdem ſuperinde depromenda declaratione communicatis, cum Hujus pariter amica ſenſa intelligeremus, combinatis utriusque Partis reflexionibus, ac poſtulatis, per Nos pro Judicio Noſtro ad Partis, ut ſperamus, utriusque ſatisfactionem temperatis, ſed &, quod imprimis attendimus, Spirituali utriusque Ritus Fidelium neceſsitati accomodatis neque ſeu Sànctimòniæ, ac integritati Rituum, ſeu prævigenti uſui, in quantum is ordinatus eſſet, derogantibus.

Pro Auctoritate Noſtra Metropolitana, qua alias in utrumque Veſtrum Reverendiſsimi in Chriſto Fratres, veluti Suffraganeos Noſtros pleno Jure pollemus, conſtituendum decreverimus, prout vigore præſentium conſtituimus, & quidem: ut, reſtituta per Titulatum Dominum Epiſcopum Scepuſienſem Presbyteris Græco-Catholicis, per Diœceſim ſuam, curam animarum legitime exercentibus, ea, qua diu antehac in Fideles Latino-Catholicos uſi ſunt Sacra Jurisdictione.

1.) Presbyteri Græco-Catholici, curam animarum legitime exercentes, Proles, Parentibus Latino-Catholicis genitas, in caſibus neceſsitatis, ſed & aliás occur-

)(2 rente

rente impedimento, vel abſentis Parochi Latini Ritus, vel valde difficilis ad eum acceſſus, baptizare licite poſsint, habeant tamen prævium poſitivum, & generalem pro ſimilibus caſibus proprii Parochi Latini conſenſum, cui ſimul ſeriem Baptismi Matriculæ inferendam ſubmittere teneantur.

2.) Cautum vero ſit Græco-Catholicis Presbyteris, Proles Latino-Catholicas, quas baptizaverint, ſimul Sacramento Confirmationis initiari.

3.) Si Presbyter Latino-Catholicus in Eccleſia Græco-Catholica baptismum adminiſtraverit, poſsit quidem uti aqua Latino Ritu benedicta, ſi hanc ſecum attulerit, neceſſum tamen non erit in Eccleſiis Græcis diſtinctum pro Latinis fontem baptismalem ſervari.

4.) Prohibeantur Græco-Catholici Ritus Presbyteri, Fideles Latino-Catholicos quovis modo, & tempore, imprimis vero occaſione adminiſtrationis Sacramenti Pœnitentiæ, ad Ritum ſuum acceptandum perſuadere, id quod nec viciſsim Presbyteris Latino-Catholicis integrum ſit præſumere.

5.) Quoad ſpontaneam ex uno, ad alium Ritum tranſitum, curent Domini Epiſcopi, ut ne iſte, citra prævium ſuum ſcitum uſpiam ſuſcipiatur.

6.)

6.) In caſibus ineundorum per ſponſos diverſi Ritus Matrimoniorum, promulgationes in utriusque Ritus Eccleſiis fiant, neque in his, niſi Epiſcopus diſpenſare poſsit; prout &

7.) In impedimentis graduum Conſanguinitatis, & Affinitatis. A cujusmodi proinde diſpenſationum elargitionibus, velut ceteroquin non valituris, Parochi omnino abſtineant, neque Eorum prætextu Fideles ab uno ad alium Ritum avocent.

8.) Provideant Domini Epiſcopi, ut Famulorum, & Famularum, apud diverſi Ritus Dominos, ac Dominas in ſervitiis conſtitutorum, conſcientiis, ſi videlicet circumſtantiæ rei domeſticæ non admittant, ut diebus abſtinentiæ præcepto Eccleſiæ ſatisfacere poſsint, diſpenſatione ſubveniatur.

9.) Quemadmodum Latini Ritus Clericis minime convenit, ut ii clam ſeu palam de præferentia ſui Ritus, cum poſthabitione Græci, quod ſine læſione mutuæ charitatis vix fieri ſolet, ſermones moveant, ac diſputent; ita viciſsim Græci Ritus Clero omnino cavendum, ne hujusmodi odioſis diſcurſibus, ac diſputationibus animos Fidelium concitet, multoque magis caveat hæc & talia coram diverſæ Religionis hominibus proferre.

Volumus autem, imo per expreſſum commendamus Titulatis Dominis Epiſcopis, ut Ipſi Clerum quisque ſuum de præappoſitis Punctis congrue edoceant, &, prout quemque concernunt, ad exactam eorumdem obſervantiam, diſtrictim, ſubque pœnis arbitrariis obligent, ac adſtringant.

Commendamus in reliquo Reverendiſsimis in Chriſto Fratribus Suffraganeis Noſtris, quam impenſiſsime: ut, quemadmodum de mutua Eorumdem ad invicem Chriſtiana, Fraternaque charitate nulli dubitamus; ita Ipſi præclaro ſuo exemplo, &, in quantum opus eſſet, conſiliis pariter, atque monitionibus ſuum utriusque Catholici Ritus Clerum, ac Populum ad parem mutuam Chriſtianam, Fraternamque charitatem, quæ ſcilicet non æmuletur, modis omnibus adducere pro zelo ſuo ſatagant, utpote, quos elegit Deus in Opus Miniſterii ſui, in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, cujus omnes membra ſumus. Datum in Reſidentia Noſtra Hortenſi, Poſonii die 9-na Decembris, Anno Milleſimo Septingenteſimo Nonageſimo Sexto. Cardinalis JOSEPHUS a BATTHYÁN, Regni Hungariæ Primas m. p. Ad Benignum Mandatum Nicolaus Rauſcher, Secretarius m. p.

Se-

Sequitur Encyclica Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi Domini Epiſcopi Scepuſienſis, Comitis Joannis de Réva, qua mediante Jurisdictionem relate ad Ritus Latini Fideles prius revocatam, iterum Clero Græco-Catholico ad ſenſum præexpoſitæ Deciſionis Primatialis reſtituere dignatus eſt, cujus Tenor ita ſonat:

Reverendiſsimi Admodum Reverendi Domini Decani, Vice-Archi-Diaconi, & cæteri Parochi, Locales Capellani, & Adminiſtratores!

Notum eſt Dominationibus Veſtris Me haud ita pridem gravibus, momentoſisque rationibus eo adductum fuiſſe, ut Presbyteris Græco-Catholicis intra ambitum Diœceſis hujus curam animarum exercentibus Jurisdictionem Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptismi Latini Ritus Fidelibus adminiſtrandi a Prædeceſſoribus Epiſcopis ipſis conceſſam, a Me vero usque illud tempus diſsimulatam revocare, & de pleno adimere debuerim, cum nihilominus circumſtantiæ eæ, quæ Me ad hoc faciendum impellerent, jam ſuperatæ haberentur, ſicque neceſsitatem hujus denegationis, ſeu cautelæ nullam eſſe amplius videam, hinc dictis Græco-Catholicis Presbyteris quicunque per Diœceſim hanc meam Scepuſienſem a proprio Munkacsienſi Antiſtite approbati Parochorum, & Capellanorum Localium funguntur officio S. eandem Jurisdictionem in ordine ad audiendas Latini Ritus Fidelium S. Confeſsiones adminiſtrandum,

dum, ubi gravior exigit neceſsitas baptismi Sacramentum a dato præſentium, usque revocationem iterum reſtituo, do, & concedo, prout hanc per Me ipſis tributam, reſtitutam, & conceſſam eſſe Prætitulatis Dominationibus Veſtris notum facio. Pro mutua attamen concordia Sacerdotali, & ne ultro qualescunque differentiæ, animorumque diſſenſiones a parte alterutra enaſcantur, utque deſideriorum Meorum effectum tanto facilius obtinere valeam, per formam Regulæ nonnulla Puncta perſcribo, & ab Eminentiſsimo Principe, & Regni Primate Meo, Epiſcopique Munkacsienſis Metropolitano confirmata Dominationibus Veſtris in hicce adjectis Gratioſi ejusdem Eminentiſsimi Principis Decreti vidimatis paribus communico, unde ubertim, luculenterque ſingulus perſpiciet, quænam ſeu Dominationibus Veſtris, ſeu memoratis Græco-Catholicis Presbyteris Religioſe obſervanda præcipiuntur. Et quamvis plene confidam cuncta ea a D. Veſtris rite, & accurate hactenus etiam obſervata fuiſſe, nihilominus tamen easdem vehementer commendandas habeo, ne a præſcriptis iisdem Regulis aliquam facto ſuo, quacunque ratione violare præſumant, ſed ſumma cum diligentia accurationeque illis ſemet ad amuſsim conforment, & quam exactiſsime adimplere ſatagant, quod ſi enim aliquos e D. Veſtris contra præmiſſa Puncta, vel in minimo peccaſſe intellexero, in tales veluti transgreſſores, & inobedientes Mandatorum Meorum quam ſeveriſsime, & omni cum rigore animadverſurus ſum. Jam vero, ut Conditiones hæ, ſub quibus ante-

latam

latam Jurisdictionem Græco-Catholicis Presbyteris attribuo, menti D. Veſtrarum tanto firmius inhærere, earumque ſucceſſoribus pro cynoſura, & debita obſervantia deſervire valeant, volo, & præcipio D. Veſtris, quatenus præſens Eminentiſsimi Principis Gratioſum Decretum per extenſum de verbo ad verbum ſingulus deſcribat, & Protocollo Parochiali inſerat.

Ut porro Populus etiam in iis, quæ ad ipſum ſpectant, edoceri, & plene in omnibus inſtitui poſsit, committe D. Veſtris, quatenus primo quoque Dominico, aut Feſtivo die eidem Populo ſuo publicent, & ex Cathedra promulgent, quod præfatis Græco-Catholicis Presbyteris priſtina Jurisdictio conceſſa a Me iterum, & attributa ſit. Magnopere autem eo connitentur D. Veſtræ, ut Populum a primis relate ad baptismum, qui nec alias, quam in gravi neceſsitate ſaltem a Græcis Parochis conferetur, accurate inſtruant, & vel maxime moneant Parentes in eo, quod ſi in prædicto neceſsitatis caſu baptismus Ritu Græco Infantibus collatus fuerit, non liceat Presbyteris Græcis Prolem a Parentibus Latini Ritus progenitam Chrismate in Fronte ungere, adeoque nec ſic dictam confirmationem Infanti contuliſſent, Presbyterum illum illico proprio Latini Ritus Parocho denunciabunt, qui iterum ſine mora talem mihi deferre tenebitur, & debebit.

Deinde Tenores Puncti 5ti & 8vi quidnam nempe in

his

his quoad tranſitum ex uno ad alium Ritum tenendum, & relate ad famulos Latini Ritus apud G. R. Hæros ſervientes obſervandum præſcribitur, eidem Populo ſuo plene explanent, eumque in præmiſsis debite inſtruant. Quare omnes illi animarum Curatores, qui L. R. animas in Filialibus inter G. R. Populum degentes habent, ſuperius commendatam Inſtructionem Parochianis ſuis neceſſario impertiri, & non ſolum in Matre Eccleſia, ſed etiam in Filialibus, quorſum hoc fine accedere tenebuntur, illam ipſis præſtare debebunt.

Denique Paternæ Dominationes Veſtras hortor, atque majorem in modum eisdem commendo, ut quemadmodum erga omnes homines charitatem feri debent, ita mutuam quoque cum Græco-Catholicis Parochis, velut Fratribus foveant, pacem, & Fraternam charitatem, omneque ſtudium, omnes in illud convertant, ut omnis, vel minimæ etiam læſionis occaſionem a ſe avertere poſsint, ab odioſis cryſibus, rixis, diſputationibus caveant, eaque humanitate, & benevolentia eos complectantur, ut oſtendant ſe dignos vocationis ſuæ Miniſtros, iisque virtutibus præditos eſſe, ut Gregis ſui ſe formas exhibere dignoſcantur, taliterque a Dominationibus Veſtris omne bonum, & in Populos curæ earumdem concreditos dimanet, ad quam mutuam charitatem Fraternam relate ad Dominationes Veſtras reciproce obſervandam, Græcos etiam Catholicos Presbyteros per ſuum D. Epiſcopum excitandos, commo-

nen-

nendosque eſſe non dubito. In reliquo Paternam Benedictionem impertior, & conſtanter perſevero, D. Veſtrarum — Addictiſsimus Pater Joannes Epiſcopus Scepuſienſis, Comes de RÉVA, Scepuſii die 10. Januarii 1797.

Similiter idem Gratioſum Suæ Eminentiæ Decretum inter ſuos Parochos Scepuſienſes publicare, ejusdemque obſervantiam, quoad omnia puncta ad ſe pertinentia diſtrictim eisdem præcipere Excellentiſsimus Præſul Munkacsienſis neutiquam prætermiſit.